RER:
MAGIS
ERA

Pre-Linn
QK1
A1857
1719
v.7-8

ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOLDINAE CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONVM MEDICO-PHYSICARVM

A

CELEBERRIMIS VIRIS

Tum Medicis, tum aliis Eruditis in Germania et extra eam communicatarum

CENTVRIA VII. et VIII.

Cum

APPENDICE

et

Privilegio Sacr. Caeſ. Majeſtatis.

ACAD LVGD

NORIBERGAE,
Sumptibus ACADEMIAE.
Litteris MELCHIORIS GOTTOFREDI HEINII.
ANNO M DCC XIX.

Mo. Bot. Gard.
1902.

ARCHIDVCI AVSTRIAE

DVCI

BVRGVNDIAE BRABANTIAE

MEDIOLANI STIRIAE CARINTHIAE

CARNIOLIAE AC LVCEMBVRGI

VIRTEMBERGAE ET VTRIVSQVE

SILESIAE

PRINCIPI SVEVIAE

MARCHIONI BVRGOVIAE

MORAVIAE ET LVSATIAE

COMITI PRINCIPALI

HABSPVRGI TIROLIS PFIRETARVM

KYBVRGI ET GORITIAE

PROVINCIALI ALSATIAE

COMITI FLANDRIAE

DOMINO MARCHIAE VENEDICAE

PORTENAVIAE ET SALINARVM

ET QVAE SVNT RELIQVA

PRINCIPI PROVIDENTISSIMO,

ET RELIGIONIS LAVDE RERVMQVE GESTARVM
GLORIA VBIQVE TERRARVM INCLYTO
IMPERII AMPLIFICATORI AC PROPAGATORI
FORTISSIMO
SECVRITATIS PVBLICAE FELICITATIS LAETITIAE
ADSERTORI ET CONSERVATORI
INVICTISSIMO
LITERARVM OMNIVMQVE STVDIORVM
FAVTORI NVTRITIO ALTORI

PATRI PATRIAE

CONSTANTI HEROICAE VIRTVTIS MAGNITVDINE
OPTIMO GLORIOSISSIMO
NOVVM INDEFESSAE SEDVLITATIS LABOREM
RELIGIOSISSIMAE FIDEI SVAE ANIMIQVE
PRO CVMVLATISSIMIS CAESAREAE GRATIAE
DOCVMENTIS GRATISSIMI MONVMENTVM
SVBIECTISSIMO OBSEQVIO FIGENS
SEQVE ADEO IPSAM SVAQVE OMNIA
IMMORTALI ANIMORVM VENERATIONE
OFFERENS
EX MVTVA AVGVSTORVM CARITATE
QVAM DEVS AVCTOR CONCILIAVIT
CONCILIATAMQVE AETERNVM PERPETVABIT
STABILIA AVGVSTAE PROSPERITATIS INCREMENTA
ARDENTIBVSQVE BONORVM PRECIBVS
EXPETITAM

DOMVS IN ORBE PRIMARIAE

PERENNITATEM
FLAGRANTI PIETATIS DEVOTISSIMAE
VOTO COMPRECATA AVGVRATVR

ACADEMIA NATVRAE
CVRIOSORVM.

AVſpiciis MAIESTATIS VESTRAE, CAROLE, Imperantium Maxime, quartum nunc in conſpectum orbis exponere licuiſſe Ephemeridum Centurias novas, Academia Auguſto Veſtro Nomine decorata, eo impenſius ſibi gratulatur, quo frequentiora ſtudii, mediocris licet, non tamen in rerum medicarum et reconditae naturae ſcrutinio unquam otioſi, experimenta et quo certiora pro immortalibus Heri Sui Clementiſſimi in ſe meritis, quae nulla unquam apud ipſam delebit oblivio, memoris gratiſſimaeque voluntatis ſymbola, devotiſſimaeque ſubmiſſionis hoſtimenta, exhibere valet. Etenim tot tantisque Imperatoriae Gratiae documentis, quorum nume-

numerum inire difficile, aucta et ornata cum ſit, facile intelligimus, ſplendidiſſimo hoc benefactorum jubare nos colluſtrari ideo, ut in quamplurimos illud ſpargatur opportunitatis publicae commodo, et ut omnes CAESARIS Indulgentiſſimi cura, providentia, virtute et ſapientia, capita fortunasque ſuas defendi, ac ſumma erga cunctos benignitate foveri experiantur. MAIESTATI VESTRAE parum videbatur, cum revera eſſet maximum, tranquillitatem regnis ac gentibus, et rerum quarumcunque affluentiam provinciis, urbibus, agris reddidiſſe, niſi et literarum ſtudiis ſuum quoddam eſſet pretium, quo ii, qui ingenii gloria florent, ad ſpem et fiduciam erecti, certatim de artium et ſcientiarum augmento pro ſua quisque parte laborarent; omnes autem ac ſinguli communi populorum utilitati litarent. IMPERATORIAM VESTRAM MAIESTATEM ex utroque Caeſarem miratur et concelebrat univerſus orbis, qui utrumque tempus et bellorum et pacis recte poſſit gubernare. Herculem Muſageten veneratur, qui bellorum monſtris nondum penitus edomitis, incredibili Muſarum ſtudia favore proſequatur. Bellum bello nectitur, et dum inimicorum alter, amicitiam pactus, arma deponit; alter aemulationis oeſtro percitus bella movet injuſtiſſima, ut tropaea Veſtra tum numeroſiora, tum auguſtiora, ac plures in medio victoriarum curſu moderationis vere divinae teſtes eſſent et admiratores. Divum LEOPOLDVM, inter caelites nunc triumphantem, quo nemo Caeſarum major fuit, nec futurus certe fuiſſet, niſi MAIESTATEM VESTRAM orbi reliquiſſet; LEOPOLDVM accepimus pro vindi-

canda Hiſpaniarum hereditate, quam jus Eidem fasque omne addixerat, invitum plane cruenti. Martis tempeſtatibus, e quibus nuper admodum eluctatus erat, denuo Se ſuosque commiſiſſe. In quo Auguſti Genitoris quam ſimillimam eſſe MAIESTATEM VESTRAM, laetatur univerſa Europa, dum penitus recognoſcit, eam eſſe conſiliorum omnium cynoſuram, atque Vindabonnae id unice adhuc actum eſſe, et etiamnum agi, ut bella non modo præſentia, ſed et futura deleantur. De jure ſuo ſponte quid concedere non dubitat, ut tranquillitas populorum perpetua ſit. Victoria haec eſt tropaeis omnibus illuſtrior, quam poſteri legentes obſtupeſcent: fortaſſe et monumentorum fidem in dubium vocarent, niſi CAROLVM fortiſſimis quibusque Heroibus anteponendum, rerum ubique geſtarum fama majorem ipſimet perſpicerent. Adeo quidem ſummam omnium ſpem atque expectationem incredibili virtute longe ſuperavit MAIESTAS VESTRA! Deſinet autem mirari poſteritas, ſi pietate in Deum imperiorum felicitatem abſolvi cogitaverit. Ea quippe in Deum pietas, Auſtriacorum propria, fundamentum eſt et Fortitudinis, quae vim repellit, robur potentiae ſedemque ſtabilit, vicinorum diſcordias componit; et Conſtantiae, quae humanos caſus omnes virtute inferiores putat, et conſiliis longe ſaluberrimis, quae imminere videbantur, pericula ſuſtinet; et feliciſſimorum Eventuum, quibus res domi ac foris geſtae coronantur; et Moderationis, quae victorias maximas fortunas-

tunas-

tunasque ampliſſimas divinitus conceſſas contemperat; et Sapientiae, Gravitatis, Clementiae, Iuſtitiae, reliquarum denique Virtutum, quae ſummos rerum moderatores auguſtiores faciunt. Quam Virtutum coronam, ſpecioſam ſane, cum praeterea exornet propenſa in doctrinarum ſtudia Humanitas et Gratia ſingularis; omni ope enitendum erat nobis, ut MAIESTATIS VESTRAE favorem atque indulgentiam, qua hanc quoque Academiam, Glorioſiſſimi Parentis clementia conditam, Auguſti Fratris gratia conſervatam, in tutelam ſuſcepit, ſtabilivit, munificentiſſimeque fovit, publice profiteremur, animumque aeterno cultu devotiſſimum declaremus. Ejus propterea ſignificationem offerimus novum ex diuturna obſervandi conſuetudine longoque medendi uſu ſubnatum induſtriae noſtrae opuſculum, in quod, Voluntati Veſtrae religioſiſſime obſecundantes, collegimus atque digeſſimus, quae et ad vitam utilia, et ad cognitionem jucunda videbantur. Sciant populi, Caeſareae Veſtrae Benignitati ſe debere, ſi qua ex noſtra nunquam otioſa obſervandi aſſiduitate utilitas in ipſos manarit. Deſideria denique cum noſtris conſocient, atque DEO immortali una nobiscum ſupplicatum eant, qui cum magna prece expoſcimus, ut MAIESTAS VESTRA Chriſtianae Reipublicae bono diu incolumis ſuperſit, ſolium pietate ſuffultum, juſtitia munitum, providentia corroboratum, tot tantisque decoribus perfectum, commodiſſime teneat, omni-

busque divinis pariter atque humanis cumulatiſſime beata bonis, conſiliorum, actionum et expeditionum cunctarum eventus ſemper videat laetiſſimos. Piiſſimis noſtris deſideriis et precibus annuet, confidimus, Numen Opt. Max. ac vota orbis propitium porro exaudiet, ut Caeſaream Veſtram Domum Subole Auguſta augeat, confirmet,

Imperium oceano, famam qui terminet aſtris,

in quo Paternarum Avitarumque Virtutum Herede, altiſſimi Dignitatis faſtigii capace, poſteritas ſera conquieſcat.

CATALOGVS

NOBILISSIMORVM DOMINORVM,

Quorum Obſervationes Phyſico-Medicae in his duabus Centuriis leguntur.

D. D. Chriſtianus Michaël Adolphi, Archiater Ducalis Saxo-Cizenſis et Medicus Lipſienſis, Academicus Curioſus.

D. D. Joh. Jacobus Bajerus, in Vniverſitate Altorf. Medic. Prof. Public. Facult. Senior et Phyſic. Norib. Acad. Curioſ.

D. D. Leopoldus Emanuel Binninger, Sereniſſ. Ducis Würtenberg. Montisbeligard. Archiater.

D. D. Joh. Phil. Breynius, Poliater Dantiſcanus, Academicus Curioſus et Reg. Societ. Anglic. Collega.

D. D. Rudolphus Jacobus Camerarius, Medic. Profeſſ. Publ. Hortique Academ. Inſpector, Academ. Curioſus.

D. D. Elias Camerarius, Conſiliarius et Archiater Ducalis Würtembergicus, in Vniverſitate Tubingenſi Profeſſor Public. Acad. Curioſ.

D. D. Georgius Detharding, in Vniverſitate Roſtochienſi Profeſſor Public. Acad. Curioſ.

D. D. Juſtus Friedericus Dillenius, Profeſſor Public. Med. in Vniverſitate Giſſenſ. Facult. Med. Sen. Acad. Curioſ.

D. Lic. Joh. Jacob. Dillenius, Poliater Giſſenſis, Acad. Curioſ.
D. Lic. Phil. Eberh. Dillenius, Poliater Giſſenſis.
D. Johannes Gabriel Doppelmajerus, Profeſſ. Phyſ. et Matheſ. Noribergenſis, Acad. Curioſ.
D. D. Marcus Gerbezius Poliater Labacenſis, Acad. Curioſ.
D. D. Johannes Adamus Goerizius, Poliater Ratisbonenſ. Acad. Curioſ.
D. D. Benedictus Gulmannus, Poliater Auguſtan.
D. D. Laurentius Heiſterus, Anat. & Chir. Profeſſ. Public. in Univerſ. Altorf. Acad. Curioſ.
D. D. Godofredus Heldius, ab Hagelsheim, Conſiliarius et Archiater Byruthinus, Acad. Curioſ.
D. D. Christianus de Helvvich, Seren. Princ. Eliſabethae Conſiliarius & Archiater, Poliater Vratislavienſis, Academ. Curioſ.
D. D. Johannes Mauritius Hoffmannus, Conſiliarius & Archiater Onoldino-Brandenburgicus & Solisbacenſis, Academ. Nat. Curioſ. Adjunctus.
D. Lic. Daniel Hoffmannus, Medicus Tubingenſis, Academicus Curioſus.
D. D. Johannes Georgius Hoyerus, Poliater Molhuſinus, Academ. Curioſ.
D. D. Godofredus Klaunig. Sacr. Caeſar. Majeſtat. & Princip. Palat. Medicus, Poliater Vratislavienſis, Acad. Curioſ.
D. D. Joſephus Lanzonus, Proto-Medicus & Profeſſor Ferrarienſis, Academ. Curioſus.
D. D. Hieronymus Laubius, Noſocomii Regii Hafnienſis Medicus, Academicus Curioſus.
D. Lic. Roſinus Lentilius, Conſiliarius & Archiater Ducalis Würtenbergicus & Proto-Medicus Stutgardienſis, Acad. Curioſ.
D. Johannes Georgius Liebknecht, Matheſ. Profeſſ. Public. in Academ. Giſſenſ. Acad. Cur.
D. D. Michaël Friedericus Lochner, Archiater & Comes Palatinus Caeſareus, Nobilis, Ephem. Nat. Cur. Director, & Collegii Medic. Noribergenſis Decanus.

D. D. Johan-

D. D. *Johannes David Mauchartus*, Phyſicus Marbacenſis, Academ. Curioſus.

D. D. *Godofredus Mayer*, Poliater Vratislavienſis, Acad. Curioſ.

D. Lic. *Johannes Matthias Müller*, Phyſicus Cünzelſavienſis, Acad. Curioſus.

D. D. *Adam Friedericus Pezold*, Poliater Lipſienſis, Acad. Curioſus.

D. D. *Maximilianus Preuſſius*, Protophyſicus Vratislavienſis, Acad. Curioſus.

D. D. *Chriſtianus Gottlieb. Reusnerus*, Archiater Com. a Schafgotſch, et Poliater Javerenſis. Acad. Curioſus.

D. D. *Vitus Riedlinus*, Reip. Vlmenſis Phyſicus primarius & Gymnaſii Scholarcha, Academ. Nat. Curioſ. Adjunctus.

D. D. *Sigismundus Schmiederus*, Phyſicus Lomaczenſis, Acad. Curioſ.

D. D. *Lucas Schröckius*, Archiater & Com. Palat. Caeſar. Nobil. Acad. Nat. Curioſ. Praeſes, Reipubl. Auguſtanae. Phyſicus primarius.

D. D. *Johannes Chriſtian. Sproegel*, Phyſicus Hamburgenſis, Academ. Curioſus.

D. D. *Samuel Steurlin*, Phyſicus Schleuſingenſis, Academ. Curioſ.

D. D. *Erneſtus Godofredus Struve*, Vkeromarch. & Stolpenſ. Circuli Phyſicus, Academ. Curioſ.

D. D. *Godofredus Thomaſius*, diverſ. S. R. Imper. Stat. Archiater & Medicus Senior Noribergenſ. Acad. Nat. Cur. Adjunctus.

D. D. *Michaël Bernhardus Valentini*, in Vniverſitate Giſſenſ. Medic. Profeſſor Publicus, Acad. Nat. Curioſ. Adjunctus.

D. Lic. *Chriſt. Bernhardus Valentini*, Poliater Giſſenſ.

D. D. *Antonius Vallisnerius*, e Nobilibus de Vallisneria, Primar. Theor. Medic. Profeſſor Patavin. Acad. Curioſ. & Societ. Reg. Londin. Colleg.

D. D. *Joſephus Vallisnerius*, e Nobilibus de Vallisneria, trium Eſtenſium Principum quondam Archiater.

D. D. *Jacobus Vercellonus*, Anatomicus & Poliater Aſtenſis.

D. D. Jo-

D. D. *Johannes Melchior Verdries*, in Vniverſitate Giſſenſi Phil. & Medic. Profeſſor Publicus, Academ. Curioſus.

D. D. *Johannes Andreas Vſenbenz*, Poliater Vlmenſis.

D. D. *Johannes Friedericus Weismannus*, Phyſicus Windsheimenſis, Academ. Curioſus.

D. D. *Hermannus Wernerus Engelbertus*, de Weſthofen, S. R. I. Nobilis & Eques, Com. Palat. & P. L. C. Medicus Hammenſis, Acad. Curioſus.

D. D. *Johannes Guilhelmus Widmannus*, Phyſicus Noribergenſis, Academ. Curioſus.

D. Lic. *Chriſtianus Gotthardus Wiliſchius*, Phyſicus Provincialis & Poliater Pirnenſis, Acad. Curioſus.

D. D. *Theodorus Zwingerus*, Sereniſſ. Principis Baden-Durlacenſis Archiat. Profeſſor Publicus Medic. Baſilienſis, Academ. Nat. Curioſ. Adjunct.

D. D. *Johannes Rudolphus Zvvingerus*, Profeſſor Medic. Ordin. Baſilienſis, Academ. Curioſus.

OBSERVA-

Tab: I. pi



OBSERVATIONUM PHYSICO-MEDICARUM ACADEMIAE CAESAREAE CAROLINAE NATURAE CURIOSORUM CENTURIA VII.

Dn. D. JOH. PHILIPPI BREYNII *TRIGA OBSERVATIONUM* ad D. D. MICHAELEM FRIEDERICUM LOCHNERUM, Archiatrum & Comitem Palatinum Caeſareum.

OBSERVATIO I.

De Coronis Serpentum.

CUm Callimachi nomen mihi, more recepto, in Receptionis Diplomate, Illuſtri Academiae Caeſareo-Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Praeſidi imponere placuit, quem ut et Mneſteum Medicos, apud Graecos, de Coronis, quæ nocerent capiti, privatim ſcripſiſſe, teſtis eſt Plinius H. N. L.

XXI. c. 3. mox animum meum ſubiit cogitatio, ex ſimili quodam argumento obſervationum mearum primitias depromendi. Ubi ultro ſeſe *Coronae Serpentum* obtulere, quarum quidem ſaepius in hiſce Ephemeridibus facta fuit mentio, nonnullis earum exiſtentiam negantibus, aliis affirmantibus, neutris vero, ni fallor, controverſiam decidentibus.

Varia nimirum, ut id hac occaſione moneam, Auctores in Hiſtoria Naturali tradidere, quae talia non eſſe, qualia ab iis fabuloſis relationibus & praejudiciis occœcatis, habentur, ſequens probavit dies & accuratius examen.

Exemplo nobis ſint Viperae et Serpentes, qui ab Auctoribus deſcribuntur, & paſſim in Curioſorum Muſeis credulis demonſtrantur, ſuperſtitioſis inſuper Apoſtoli Pauli miraculo obtruduntur, petrefacti, ex Melita Inſula effoſſi: Vid. Muſei Besleriani Tab. XXXVI. (quod nuperrime cum deſideratiſſimi longiorique vita digniſſimi Juvenis, Joannis Henrici Lochneri utiliſſimis Explicationibus et Commentariis, curante Illuſtri ejus Parente, prodiit) titulo Exuviae Serpentis in lapidem converſae; nec non Wormii Muſeum p. 90. nomine Viperæ petrificatae. Hos, etiamſi capita ipſis aliquando ex luto affingant impoſtorum manus, Tubulariae ſive Vermiculariae cujusdam marinæ, majoris, in Melitenſi terra ſepultæ, eſſe ſpecimina, quod jam hariolatus fuerat Wormius loco cit. optime ad oculum demonſtravit Auguſtinus Scilla in Tract. cui titulus: *La vana Speculatione* etc. T. XII. quod luculentius adhuc ipſa ſpecimina rite examinata evincunt. Ut de illis ſerpentibus petrefactis in ſpiram convolutis, nunc taceam, quorum paſſim apud Auctores fit mentio, Ophiomorphitæ et Ophitae aliquando ſpecioſo titulo. Vid. Muſeum Metallicum Aldrovandinum, Beslerianum, T. XXXIV. Calceolarianum p. 424. et Wormianum p. 86. ubi nomine Lapidis ſceleton ſerpentis referentis. Quippe quos Cornu Ammonis, vel ut hodie rectius ſalutantur, Nautilitae ſpecies eſſe, omnes cordati mihi concedent Naturae Myſtae. Quamvis non negem, forte alicubi reperiri poſſe ve-

rorum ſerpentum veſtigia, Eislebianorum piſcium more, ſaxis, imprimis fiſſilibus, impreſſa; etiamſi eadem nec a me hactenus viſa, nec ab ullo deſcripta meminerim.

Oculos ſerpentum quoque ex Inſula Melita vulgo dictos, Dentes eſſe molares piſcium, *Sarco Orata* & *Dentato* Italis dictorum, a diluvio aquarum ibidem ſepultos, iterumque effoſſos, qui non vult credere demonſtranti Auguſtino Scillae l. c. T. II. ipſa adeat Naturalium Gazophylacia et hos cum illis conferat.

Gloſſopetras vero, quae ſerpentum linguae petrefactae quoque quondam pie, etiamſi nullam cum iis habeant ſimilitudinem, credebantur, Dentes eſſe varios Canis Carchariae et Stampellae Italis dictae, aliorumque piſcium hujus generis foſſiles, poſt F. Columnam, N. Stenonem & A. Scillam, omnes largiantur neceſſe eſt.

Reſtat nunc, ut de Coronis vulgo creditis ſerpentum, dubium tollamus, quod quidem ante me tentarunt Schenkius in Epiſt. ad Sachſium, quæ reperitur in Gammarologia p. 928. et Velſchius in Hecatoſtea I. Obſ. 27. et in Ephemeridibus hisce Jaeniſius D. I. A. 3. in Schol. ad Obſ. 128. & Wagnerus D. II. A. 5. Obſ. 106. nec non Illuſtr. Schröckius in Scholio ad dictam obſervationem; ubi docent hactenus obſervatas Coronas ſerpentum falſo Agyrtarum impoſturis ita ſalutari, et re ipſa nihil aliud eſſe, quam vel ſquillae Μάντις dictae Rondeletio ſpolium, vel dentem molarem ex inferiori maxilla porcelli jam ablactati.

Hiſce tamen Doctiſſimis Curioſiſſimisque Viris ſeſe oppoſuerunt Clarisſimi Hannemannus D. II. A. 7. Obſ. 68. et Lentilius D. III. A. 3. et 4. Obſ. 22. Sed immerito, quia argumenta ipſorum infirmo admodum ſtant talo. Nam primo teſtimonium de viſis eminus ſerpentibus coronatis, ab hominibus perterritis, ſequioris ſexus aliisque et in Hiſtoria Naturali hoſpitibus, nihil probat; uti nec ſecundo ipſarum Coronarum ſerpentum dictarum apud Curioſos conſpectus: nam etiamſi Coronis aliquando ſimilia fuerint illa corpora, tamen ex ſerpentum capitibus deſumta fuiſſe, inde non ſequitur.

His itaque praemiſſis, ut Hiſtoria Naturalis, quae per ſe ſatis ampla eſt, a non entibus liberetur, concludo ſaepius dictas Coronas ſerpentum, omnes eſſe fictitias & corpora aliunde deſumta. Nec alio modo convinci ab adverſariis poſſum; niſi vel demonſtratione ipſius ſerpentis coronati, vel Coronae ejusmodi, quam ſufficientibus et indubitatis teſtimoniis, ex ſerpentis capite prognatam depromtamque eſſe, probare poſſunt.

Reliquum eſt, ut paucis Coronas hujusmodi fictitias, quarum duas in Muſeolo meo ſervo, deſcribam, et, quod a nemine hactenus factum, figura illuſtrem. Prima criſtae potius, quam coronae ſimilis eſt, ea magnitudine, qua Fig. 1. Tab. I. conſpicitur, eburnea quaſi eſt et nitens, ex albo flavicans, intus cava, compreſſa, dorſo acuto, ſpinis altero latere peracutis non nihil falcatis aliquot praedita. Revera nihil aliud eſt, quam extremus articulus chelae Squillae, quæ Μάντις Rondeletio dicitur, a Rumphio vero in Muſeo Amboinico Squillae arenariae nomine eleganter figuratur et deſcribitur. Secundam, quam a Curioſo quodam Amico accepi, Fig. 2. T. I. exhibet, naturali quoque dimenſione: denti molari ſimilis eſt, altera extremitate anguſtiore, altera latiore, ſuperne quatuor eminentiis majoribus, minoribus non numeratis, prædita, inferne inaequaliter excavata; colore gaudet cinereo et ſuperficie parum nitente, et inæquali, quare hunc pro foſſili Dente habeo.

Quid jam de viribus miraculoſis harum putatitiarum Coronarum, a fumivendulis Circumforaneis, adeo depraedicatis, ſentiendum ſit, facile unicuique patet; ſcilicet, una cum Coronis falſas eſſe et fictitias.

OBSERVATIO II.

Dn. D. Johannis Philippi Breynii

De Balſamo Carpathico.

BAlſamum Carpathicum, prout aliquando, quamvis rarius, ad nos ex Hungaria defertur, eſt Oleum quoddam ex reſina liquida arboris cujusdam coniferae et reſiniferae in Carpathi jugis naſcentis, deſtillatum, tota natura ſua Oleum Terebin-

binthinae Officin. referens; cui Hungari quam plurimas virtutes medicatas prolixe ſatis adſcribunt.

Nullam, quod miror, Balſami hujus apud ullum Auctorem reperio mentionem, niſi tribus ſaltem verbis in Miſcell. noſtris Curioſorum D. I. A. 2. et quidem in Scholio ad Obſerv. 28. ubi legitur: *D. D. Chriſtianum ab Hortis, qui adradices Carpathi Montis in nobili villa vixit, ſcripſiſſe duos Tractatus, alterum de Gemmis Hungariae, de Balſamo Hungariae Carpathio alterum; morte tamen praeventum et editionem ſuſpenſam manſiſſe, et ex negligentia viduae et impuberum liberorum Bibliothecam ipſius rariſſimam, una cum his duobus MSS. praecipue a vicinis Polonis diſtractam fuiſſe et abalienatam.* Nec dubium eſt, utrumque Tractatum, quia neuter, quantum ego novi, apparuit, periiſſe. Cum autem ab Amico quodam Hungaro ante aliquot annos, hujus Chriſtiani ab Hortis, Med. Doct. de viribus et uſu Olei ſive Balſami Carpathici brevem quandam, ex memorato Tractatu forte quondam extractam, Commentationem communicatam ſervo, eam hic ſubjungo:

De Viribus et Uſu Olei ſive Balſami Carpathici, Krummholtz-Oehl *Germanice dicti, Chriſtiani ab Hortis, Med. Doctoris.*

Duplex eſt Uſus Olei hujus, externus et internus. Notandum autem, Oleum hoc non eſſe ipſum Balſamum, quale effluit ex inciſis arboribus, ſed Oleum ex arbore quadam, quam Accolae Carpathi Germanice Krummholtz / *Slavonice autem Koſſadrewina vocant, deſtillatum, hoc enim multo efficacius expertus ſum, quam Balſamum ipſum.*

Uſus externus.

1. *Omnia vulnera recentia, quae ſcilicet non nimis magna ſint, aut profunda, ſpatio 24. horarum, ſine ulla ſuppuratione, aut notabili cicatrice ſanat; majora vero intra triduum, quatriduum etc. ſi ſolummodo aliquot guttulae penna inſtillentur. Debet autem linteum ſuperponi, quo ligetur, alias enim evaporat, cum ſit nimis ſpirituoſum.*

 2. *Humi-*

2. Humidam infantium in facie et capite ſcabiem, intra triduum funditus exſiccat et tollit, nullo relicto veſtigio.

3. Ulcera antiqua ſerpentia, qualia ſunt plerumque in cruribus, ſpatio duarum ſeptimanarum, ſi modo illiniantur et linteum ceratum ſuperponatur, ex fundamento ſanat; debet autem illini ter de die, mane meridie et veſperi.

4. Frigidis etiam fluxionibus, contuſionibus, ſanguinis concreti retentionibus, tumoribusque, ex quibus plerumque Paralyſes et contracturae nervorum diuturnae oriuntur, ad miraculum tollendis efficax eſt. Iſchiaticam quoque lenit et tollit.

Uſus internus.

1. Obſtructionibus hepatis, hypochondriorum et renum potenter viam aperit.

2. Sine moleſtia impuritates ſanguinis per copioſam urinam et paucos ſudores e profundo elicit.

3. Arenas et renum calculos pellit, urinamque odoriferam reddit.

4. Menſes et haemorrhoides movet.

5. Gonorrhoeam et catarrhos frigidos ſiſtit.

6. Inveteratos capitis dolores diſcutit.

7. Tuſſi etiam et inveteratis pectoris morbis, nominatim vero Phthyſi et ulceri pulmonum medetur.

Alias inſuper omnes, quibus Orientale Balſamum praeditum eſt, vires habere, multiplici experientia a S. Caeſarea Majeſtate Ferdinando III. aliisque Illuſtribus Perſonis comprobatum eſt. Doſis: Guttulae 7. vel 9. in aliquo liquore convenienti, veſperi cubitum ituro et mane, jejuno ventriculo exhibendae.

Hactenus ille. Forſitan mihi nunc aliquis objiciet, easdem ferme virtutes in vulgari noſtro Terebinthinae oleo, quod omnibus ſenſibilibus qualitatibus referre videtur, reperiri, adeoque de Carpathico nos non oportere eſſe adeo ſolicitos. Verum his reſpondeo, verum quidem eſſe, vires ejus cum viribus Olei Terebinthinae Off. convenire, eas autem, ſi Hungaris adhibenda fides, longe nobiliores magisque efficaces eſſe.

Ego ob parvam ejus, quam poſſideo quantitatem, pauca ſal-

ſaltem experimenta inſtituere potui; interim tamen Hungaris aſſentior, quia arbor, ex qua Balſamum hoc fit, a caeteris arboribus, ex quibus Terebinthina Off. colligi ſolet, longe diverſa et ad Cedrum Libani montis genere accedit.

Procuravit enim mihi Amicus quidam ex Hungaria ramulum hujus Arboris exſiccatum et Conum ſive fructum ejus maturum; ex quibus probe examinatis didici, hanc arborem eſſe Pinaſtrum, Bellonii, de Arb. Conif. p. 17. et ſeq. Pinum Sylveſtrem, montanam, tertiam, C. Bauhini Pin. 491. Pinum, cui oſſicula fragili putamine, ſive Cembro, J. Bauhini Hiſt. Pl. T. I. L.IX.p.251.Pinum ſylveſtrem,alteram,Parkenſonii Theatr. Botan. p. 1535. quam Pinearum nucum genus alterum, Tarentinum dictum, digitis fragili putamine, aviumque expoſitum furto in arbore, Plinii, recte ſtatuit Bellonius l. c. male vero eam Dalechampius pro Teda Plinii habet, forte in hanc ſententiam ſeductus, quia arbor haec plurima reſina, ut nonnulli Auctores tradunt, ſcatet.

Satis bene eam deſcribit Bellonius l. c. ejusque inſigniorem notam, qua a caeteris coniferis et reſiniferis diſtinguitur, annotat, quina ſemper folia ex eodem tubulo ſive centro prodeuntia; ſecus ac Joh. Bauhinus, qui l. c. male refert, bina ex uno tuberculo prodire. Axtius de Arboribus coniferis p. 41. eam adhuc diligentius deſcribit. Conum vero ejus nobis accuratius enarrat Joh. Bauhinus l. c.

Operae pretium duxi, Coni Tab. I. F. 3. cui hinc inde reſina ſicca adhaeret, cum Nuculis edulibus, F. 4. Pinearum aemulis, ſed minoribus, putaminibusque fragilioribus praeditis, ramulique cum foliis F. 5. naturali magnitudine exhibere icones.

Similes plane Nuculas quoque ex Moſcovia transmiſſas ab Amico accepi, quarum ibidem inter bellaria frequentem eſſe uſum referunt. Unde arborem hanc in Moſcovia quoque naſci colligo, quam alias praeter Carpathi juga, Juniperorum mons et Senuſius apud Allobroges, teſte Bellonio, Elvi nomine ruſticis, qui et fructus et reſinam ex ea colligunt, notam, Rhaeto-

rum

rum et Valeſiorum alti montes copioſe, ut et Tridentinus ager et Tyrolenſis comitatus, locaque circumjacentia, quae ſeptentrionem ſpectant, teſte Axtio l. c. alunt, ubi et caudicem reſinam albam et odoratam fundere, ait idem.

In Carpatho ſaepius humilem, caudice ramisque diſtortis, unde Krummholtz ſalutant, inveniri, conosque fere nunquam proferre tradunt; quem creſcendi modum pro monſtro ſaltem ex vitio ſoli forſitan habendum eſſe exiſtimo.

Coronidis loco addam genuinam arboris hujus ex notis characteriſticis ſecundum Tournefortii Methodum, quae reliquas inter tantum eminet,

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi,

petitam denominationem, quae eſt:

Larix ſemper virens, foliis quinis, nuculis edulibus.

Tournefortio ignotam fuiſſe, vel ſaltem minus accurate examinatam judico, quia in Inſtitutionibus ejus Rei Herbariae, incomparabili iſto opere, quo nemo Botanicus carere poteſt, inter Pinos, nomine Pini ſylveſtris, montanae, tertiae, C. B. recenſetur, cum tamen a Pini genere foliis quinis, ut ſupra dictum, manifeſte differat.

Rogantur denique Viri Curioſi, qui prope Carpathum degunt, ut Arboris hujus, una cum modo colligendi Reſinam et Balſamum, exactam Hiſtoriam in publicum emittant; admonentur praeterea Rhaetiae, Comitatus Tyrolenſis et Tridentini agri incolae, ut inquirant in virtutes hujus Balſami etiam apud ipſos, ſi velint, reperiundi.

Obſervatio III.

Dn. D. Johannis Philippi Breynii

De Ribas Arabum.

Ribes Officinarum noſtrarum Planta eſt vulgatiſſima et omnibus nota; ab hac vero differre, quae Ribas dicitur Arabibus Medicis, Serapioni, Avicennae caeterisque, ii ſaltem norunt Medici, qui τὴν ὕλην Ἰατρικὴν accuratius ſolito introſpexerunt.

Qui-

Quidam Botanicorum equidem, ut Amatus, Dodonaeus et Lobelius, putarunt Ribem noſtratem Off. eſſe verum Ribas Arabum; verum hiſce plurimi ſeſe poſtmodum oppoſuerunt, ſtatuentes, Ribas Arabum a noſtro Riba Officinarum plantam eſſe toto coelo diverſam. Quibus et ego calculum adjicere cogor, ob ſequentes rationes:

1. Quia unicuique Serapionis et Avicennae deſcriptionem Ribis, contractam quamvis pro Arabum more, examinanti et cum Ribe Off. conferenti, facile patet, plantas eſſe longe diverſas.

2. Rauvvolfius Hodoepor. p. 166. et 282. et Bellonius, de Arb. Conif. p. 4. b. experti et circa Medicam Materiam curioſi Medici, in peregrinationibus per minorem Aſiam vicinaſque terras inſtitutis, plantam illam obſervarunt in monte Libano, cui Arabum Ribas deſcriptio competit, et ex qua hodienum ibidem Rob Ribis dictum conficitur. Hujus etiam aliqualem tradiderunt deſcriptionem, cui Rauvvolfius et Iconem, ſed admodum imperfectam, adjecit. Hos poſtmodum Botanici plerique ſecuti ſunt, nihil praeterea addentes novi. Donec

3. Sententiam Rauvvolfii et Bellonii confirmant ea, quae tradit Pharmacopoeae Perſicae interpres R. Pater Angelus de Sancto Joſeph p. 154. et in ſpecimine Notarum ad Pharmacopoeam Perſicam p. 364. et ſeq. ubi diſertis verbis docet, Ribas Arabum, ex quo olim Arabes et nunc Perſae et Turcae Rob conficiunt, veram eſſe Lapathi ſpeciem; nullam vero ſubjicit deſcriptionem, multo minus figuram.

4. Denique nullum amplius dubitationi relinquit locum, ſequens, quam Jacobus Golius Ling. Or. quondam in Academia Lugduno Batava Profeſſor Celeberrimus, ante plurimos jam annos, ex ipſo Libano Monte ex Syria Parenti meo p. m. procuraverat Plantae, de qua quaeritur, icon cum deſcriptione:

Ex Radice ſimili radici Cinarae, dura, nodoſa et plena tuberculis, filamentiſque quibusdam praedita, verno tempore inter nives novella prorumpunt folia, criſpata inſtar Braſſicae Sabaudae coloris rubri viridiſque elegantiſſime mixti, qui etiam in

adultioribus totaque planta perſeverat ; ubi praeterea, quaſi exiguis granulis, inſtar Goſſipii conſperſa eſt. Juniora folia cum pediculis ſubacidi ſunt ſaporis, ſed admodum grati, quorum ſuccus expreſſus, ubi ſufficienter ebullierit, ſimilis eſt muſto cocto, ſpiſſus ſcilicet denſuſque. Pediculi vero, ubi folia ſe expandere incipiunt, contracti quaſi, tenuiores fiunt durioreſque; Folia majora rotunda, nonnihil concava, exterius admodum nervoſa, tota aliquantulum aſpera ſunt, et ſiccata adhuc aſperiora evadunt. Caules longitudinem trium palmarum ſaepius ſuperant, in quorum ſummitatibus ramoſis apparent flores racematim diſpoſiti, qui abeunt poſtmodum in ſemina triangularia et alata Lapathi more, principio rubicundi, per maturitatem lutei; ſed exſiccata, quae ſervo ex dicto Monte Libano, ex rubro ſpadicea ſunt et ſalivam, ubi dentibus conteruntur, rubicundo colore inficiunt, ſapore ſubacido adſtringente.

Ex hac itaque deſcriptione cum Icone collata facile patet, Plantam hanc eſſe *Lapathi* ſpeciem genuinam, nec inepte *Lapathum Orientale, tomentoſum, rotundifolium, Ribas Arabum dictum*, ſalutari poſſe; male vero Clariſſ. Rajum Hiſt. Plant. p. 1487. Ribem Arabum, minus accurata Bellonii deſcriptione ſeductum, Epiphylloſpermis annumerandam cenſuiſſe. Ex hac Rob in Perſia conficitur, teſte P. Angelo de Sancto Joſeph Pharmacop. Perſ. p. 154. ſequentem in modum:

Livas (ita Perſis dicitur, teſte jam jam citato Auctore et Thevenoto Itiner. Part. 3. L. 2. c. 16.) *ſive Oxylapathi* (ſcilicet Orientalis ſupra dicti) *ſummitates & caudices* (tempore nimirum vernali, ubi primo ex terra erumpunt) *reſeca; tum in mortario lapideo, aut ligneo contunde, donec eruatur ſuccus ad pondus tertiae partis: facta identidem effuſione et expreſſione per colatorium lineum, inde colaturam aſſumito et clarificato; adde ſingulis minis totidem minas Sacchari; decoquendo, donec ſpiſſeſcat Syrupus: lente et attente.*

Hac ratione fit Rob Ribis compoſitum; ſimplex vero abſque addi-

additione Sacchari, ſola coctione ad conſiſtentiam Muſti coct paratur, ut habet deſcriptio ſupra tradita.

Idem P. A. de Sancto Joſeph. l. c. p. 365. Plantam hanc exi montibus in hortos transplantatam ad Braſſicarum noſtratum ambitum pingueſcere, ejuſque coſtas, (puto pediculo:) ſub humo candificatas (ut apud nos Seleri Italorum) exiguo pretio venire teſtatur in foris Aſpahani et Syraſii in Perſia, et inter primariorum et delicatiorum epulas, inter delicias haberi acetariorum loco &c.

Haec eadem quoque planta eſt, cujus Cornelius de Bruyn in Itinerario ſuo Perſico nuper emiſſo p. 141. nomine Rhabarbari, ſed virtutis purgantis expertis, meminit, et foliorum, ut ſunt caeterae ejus, Pictoris quamvis excellentis, plantarum animaliumque figurae, ſatis malam annectit iconem. Caeterum confirmat turiones, ſive potius folia primo vere prorumpentia et imprimis eorum pediculos cocta comedi in juſculo carnis, vel cruda etiam cum pipere et ſale, et ſubacido ſuo ſapore ſe guſtui admodum commendare, ſanguinemque bilioſum refrigerare, hincque multum aeſtimari.

Quouſque autem cum Rhabarbaro vero (ut ait de Bruyn l. c.) quod ex Tartaria et China per Ruſſiam ad nos transfertur, conveniat; alio tempore dicam, ubi promiſſa Rhabarbari ſemina cum accurata delineatione et exſiccato ſpecimine, quae mihi promiſit Perilluſtris et Excellentiſſ. Vir, Robertus Areskinus, S. Zareae Majeſtatis Conſiliarius intimus et Archiatrorum Comes &c. Patronus et Amicus meus, nemini ſecundus, accepero.

Locus natalis eſt Mons Libanus in Syria, ex quo tempore verno, ubi adhuc ſub nive deliteſcit, ejus tenella folia cum caulibus Halepum transferuntur pro conficiendo Rob, quod ad alias deinde regiones transportatur. Reperitur etiam in Perſia, tam ſpontanea in locis montoſis, quam culta in hortis, ut tradunt P. A. de Sancto Joſeph et Corn. de Bruyn ſupra citati, et forte etiam in aliis regionibus orientalibus.

Quia itaque Ribes Arabum cum noſtro Officinarum nullam, quod probavi affatim, habet affinitatem; ille vero in noſtris non reperiatur terris, quaeritur merito, an non ex noſtro Oxylapatho, tempore vernali et methodo ſupra enarrata, Rob parari poſſit, quod ratione naturae et virium longe magis Rob Ribis Arabum (quod et innuiſſe videtur Joh. Manardes in Annötationibus in Compoſita Meſue p. 582.) referret; quam illud, quod hoc nomine in noſtris Officinis hodie reperitur? Ego de affirmativa dubito nullus, quam ipſa experientia olim, ut ſpero, confirmabit.

Explicatio Figurarum.

Tab. II. Fig. 1. exhibet integram Plantam cum ſeminibus, quae Ribas Arabum dicitur, aſt naturali, quoad omnes partes, longe minorem. A latere nota ſemina naturali ſua magnitudine delineata, quorum vero alae membranaceae ob antiquitatem dilaceratae ſpectantur.

Tab. II. Fig. 2. Stolones ſive juniora folia prout primo vere e terra erumpunt, una cum caule, cujus flores inſtar racemi necdum explicati ſunt; etiam naturali dimenſione minora.

OBSERVATIO IV.


Dn. D. Johannis Jacobi Bajeri.

De

Maxillae amplo fragmento per callum reſtituto.

NAturae in ſarciendis non modo carnibus, ſed ipſis oſſibus ſolertiam ſingularem merito admiramur, ut profecto complures hiſtoriae *calli ampliſſimi, in locum oſſium perditorum affabre repoſiti,* vix invenirent fidem, niſi ab auctoribus fide digniſſimis eſſent traditae. Talium non paucas ipſe ego recenſui in *diſſertatione peculiari de callo oſſium* anno 1707. edita. In praeſentiarum vero addam exemplum perquam memorabile.

Molitor


Tab.II. p. 8
fig. 1
fig. 2

Molitor prope Veldam Norimberg. oppidum, imprudenter accedens ad rotam, quae tympanum dentatum (das Kamm-Rad) dicitur, vento forte manicam induſii pandente apprehenditur. Mox brachio ſiniſtro luxato, humeroque fracto, vix miſer ſe explicuiſſet, niſi admodum robuſtus et praeſentis animi, utcunque corpus retraxiſſet, cum interea neſcio quae vis *maxillam* ejusdem lateris, *a mento usque ad medium, circiter trium unciarum amplitudine, una cum cute & carnibus abruperit*, adeo ut reponendi et conſolidandi nulla ſpes relicta, ſed illud totum auferendum fuerit. Truculentus ſane erat aſpectus tanti vulneris, quod tamen non intermiſit legitime curare Chirurgus, eo quidem eventu, ut poſt aliquot ſeptimanas *in locum oſſis evulſi congruus ſuccreſceret callus*, quem imperata quies et a maſticando abſtinentia, cum remediis epuloticis, catagmaticis et balſamicis plurimum juvarunt, *ipſis quoque gingivis aliisque carnibus et cute regeneratis*, ut praeter dentes nihil omnino deſiderari potuiſſet. Sola *portio labii ſimul abrupta* minus feliciter renata videbatur, curta ſcilicet ſtrictaque nimis exiſtente prolabii cicatrice: Hanc igitur blande ſcarificandam, deinde linimento emolliente et ſarcotico tractandam praecepi, donec ad naturalem formam illa quoque pars reducta compareret, nullo aut loquelae aut aliarum oris functionum notabili detrimento ſuperſtite, niſi quod maſticatio in latere affecto, propter dentium defectum, a ſolo callo ſufficienter praeſtari non potuerit.

OBSERVATIO V.

Dn. D. Johannis Jacobi Bajeri.

De

Oſſiculo diu in gula detento.

RHedarius in prandio avide aſſumens juſculum, aliquid ſolidi cum ipſo deſcendere, idemque in medio quaſi pectore affigi ſenſit, non ſine dolore, inter degluciendum ac tuſſiendum ſubinde aucto. Tulit hanc moleſtiam, de qua quidem ſaepius apud amicos conqueſtus, et *inhaerens oeſophago oſſiculum*, do-

loris cauſam accuſans, nec aſſenſum nec auxilium invenit, usque dum tandem, *elapſo anno et ultra*, ſubito exorta quadam exſcreandi aut velut vomendi neceſſitate, *retentum tamdiu oſſiculum*, una cum modica ichoris putridi et foetentis quantitate, abſceſſus (eo nempe loco, quo ſe *oſſiculum* infixerat) rupti documento. Eſt autem illud ipſum, ſicuti hodieque oſtendere poſſum, *uncialis fere longitudinis, craſſitiei et latitudinis multo minoris, in altera extremitate acuminatum, margine rigidum.* Jam quomodo illud tamdiu immotum latere *in oeſophagi recta fiſtula*, nec inde deturbari potuerit a tot tamque diverſis quotidie ingurgitatis liquidis et ſolidis alimentis, arduum eſt animo concipere, niſi ſtatuatur, quod plicae alicui ſe infigendo diverticulum paraverit, haud ſine diſtenſione incommoda et laeſione gulae, in abſceſſum tandem converſa. Certe *diuturnitas retentionis* absque majori moleſtia, meretur admirationem, eoque magis, quo rariores hujusmodi caſus occurrere exiſtimo; cum alia diverſarum rerum plus minus incommode in gulam demiſſarum, ſed *non aeque diu retentarum* exempla paſſim annotata ſint, praecipue *in Miſcellaneis Academiae noſtrae &c.*

OBSERVATIO VI.

Dn. D. Sigismundi Schmiederi.

De

Flexione atque Diviſione tempeſtatum fulgurantium,

vulgo

von denen

Wetter-Scheidungen.

Multa certe in ruſticorum Phyſica, quae a plurimis contemtim habetur parvique aeſtimatur, deprehenduntur Phaenomena, quae paulo intimiorem ſane merentur perſcrutationem evolutionemque. Horum in cenſum pertinent v. g. prae-

praeſentes noſtrae *flexiones diviſionesque tempeſtatum tonitruarum;multitudo papilionum albicantium extraordinaria,* quas vulgus Todten Mücken vocat, easque luis cujusdam epidemicae prodromos credit; *nubes arborea,* der Wetter- oder Wind-Baum / cujus explicationem adjecta ſimul Figura *T. VI. Sect. V. Suppl. Act. Erud. Lipſ.* dedimus. Omnium horum phaenomenorum neque apud veteres neque etiam apud recentiores quicquam occurrit, vel, quod iſti ea ignorarint, vel quod ab iisdem pro nugis fuerint habita, atque ab his etiamnum derideantur. Huc porro referendae ſunt ſequentes plebis praedictiones: Die Heyde blühet biß oben aus/ es wird ein harter Winter werden. Item: Der Regen-Bogen beregnet/ es wird noch mehr regnen. Item: Es regnet Blaſen / es wird noch drey Tage oder länger damit anhalten. Hae aſſertiones praedictionesve, primo equidem ridiculae videntur atque vanae: nihilominus tamen quotidiana fere ab experientia confirmantur, pauloque curatius a ſedulo rerum naturalium indagatore perpenſae, ſuis utique niti obſervantur cauſis naturalibus. Si quis vero bullas a pluvia ſaepius excitatas, arcusque multicoloris ſole fulgente pluvialem aſperſionem, pro unica ac vera diuturnioris tempeſtatis uliginoſae, cum vulgo, cujus judicium in externorum tantummodo ſenſuum ſubſiſtit atque acquieſcit uſu, venditare vellet cauſa, ille riſu omnino excipiendus foret, cum longe aliunde iſta veniat petenda. Enim vero,

> *Quando iris croceis per coelum roſcida pennis,*
> *mille trahens varios adverſus ſole calores,*
> *devolat,*

atque, ut cum vulgo loquar, pluvia dum ſol lucet, adſpergitur, animum ad eam aëris attendamus neceſſe eſt naturam ac conſtitutionem, qua illo tempore, quando hoc contingit, praeditus eſt. Plerumque enim hoc Phaenomenon occurrit, quando *Africus* atque *Sub-Veſperus,* venti humidi, ſpirant, qui terris inconſtantem, hoc eſt, nunc pluvia, nunc ſolis ſplendore mixtam inferunt tempeſtatem, Hiſce temporis circumſtantiis pro-

be conſideratis, genuinam hujus aſſerti facile invenies cauſam, qua etiam illud gaudet: Es ſind Waſſer-Gallen/ (i. e. Segmenta iridis) es wird unbeſtändig werden/ oder noch länger ſo anhalten. Sic porro bullae aqueae, minime, ut jam monitum fuit, longioris pluvioſae tempeſtatis exiſtunt cauſa Phyſica, ſed iſta iterum ex alio capite derivanda eſt, ex aëris nempe nubiumque conſtitutione, ut ex ſequentibus patebit. Ordinario modo et ſecundum conſvetas pluviae naturales leges, guttae iſtius parvae ſunt, quae quidem copioſe, leniter tamen in terram decidunt, vulgus ait, es regnet fein ſittſam. Quando hoc fit, tunc nullae in aqua exoriuntur bullae, quando autem tales a pluvia excitari obſervantur, tum etiam guttas decidentes juſto obſervabis paulo majores, easque vi quaſi ac impetu quodam ex alto delabentes, manifeſto indicio, aërem undique et alte copioſiſſimis vaporibus ac nubibus iisque denſiſſimis eſſe repletum, quo aliter fieri nequeat, quam ut ejusmodi guttulae pluviales ad bullarum excitationem aptae generentur, pluviaque diu duret, cum aquarum moles in aëre haerens, ni alius accedat ventus ſiccior eamque disjungat diſpellatve, hac ſub forma cito effundi nequeat. Verum, haec hactenus. Veniamus nunc quoque ad propoſitum, *Flexiones* nempe ac *diviſiones* tempeſtatum fulgurantium, de quibus nihil fere vel parum literis conſignatum reperitur. Per iſtas autem ille irregularis tempeſtatum tonitruarum intelligitur motus, quo illae certis quibusdam in locis, ob ſingularem earum conformationem ac ſitum, non ſecundum lineam rectam, qua ad locum appellunt, progrediuntur, ſed, vel in duas ſtatim diſtinctas dividuntur partes, quarum una dextrorſum, altera laevorſum ſine mora movetur ulla, ſpatioque certo quodam emenſo, invicem iterum uniuntur; vel, poſt inſignem aliquam moram ad latus denique quoddam, nunc dextrum nunc ſiniſtrum, flectantur. Ex qua deſcriptione evidenter clarum eſt, *flexiones* et *diviſiones* tempeſtatum fulgurantium, non unum eſſe idemque, cum, ut reliqua taceam, loca, ubi tempeſtates morantur atque demum flectun-

flectuntur, inundationum fulminumve tyrannydi ut plurimum ſint expoſita, quod in altero caſu fieri non obſervatur. Ibi enim

. - - - - - - - effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
Ardua terrarum, et campi: ruit aethere toto
Turbidus imber aqua, denſisque nigerrimus auſtris;

Hic vero cito praeterlabuntur, nec facile locum tangunt, quanquam et heic quandoque exceptio occurrat, quod raro autem fit, et eo ſolummodo tempore, quando nubes nimium graves, propius terram haerere, nulloque cum vento impetuoſo aut turbine ſunt conjunctae. Excellentiſſimus *Dn. D. Sthalius* primum, quantum ſcio, hujus phaenomeni quoad priorem caſum, in literis mentionem injecit, binorumque ejusmodi locorum, in ſua nova *Meteoroſcopia*, p. m. 73. 74. meminit, ita ſcribens: desgleichen ſind die an einigen Orten beruffenen ſo genannten Wetterſcheidungen würdig zu beſehen und zu betrachten; dergleichen ich mich zweyer / nach ſelbſt genommenen Augenſcheine erinnere; einer ſehr beruffenen an der Köſsnitzer-Brücke und nächſt angelegenen Schul-Pforte: der andern auf dem Wege von der Roſsliſchen Finne / Weymariſches Fürſtenthumes und dem Dorffe Taubert / nach den Wendel-Steine zu / an einen nächſt angelegenen Dorffe / deſſen Nahmen mir entfallen. His, tertium adjicio locum, ad alterum vero caſum pertinentem, quem collis conſtituit noſter Lommacenſis, cujus ſumma, maxima oppidi pars occupat. Heic enim, tam ex incolarum relatione atque diuturna obſervatione, quam etiam ex propria multiplici experientia id certiſſime compertum habeo; quod tempeſtates tonitruae, rariſſime collem noſtrum tranſcendant attingantque, ſed conſtanter, vel dextrorſum vel ſiniſtrorſum cito abeant, vel etiam ſi paulo impetuoſiores ſint, in duas dirimantur partes, quarum una rurſum ſuperius, altera inferius fertur, ſpatioque praeter propter unius milliaris ſuperato, denuo coaleſcunt. Horum

rum Phaenomenorum cauſae naturales, ad quarum paulo ſpecialiorem nos nunc accingemus explicationem, in locorum potiſſimum ſitu ac conformatione ſunt quaerendae, quibus perſpectis facile unicuique hujus motus anomalia ſeſe ob oculos ſiſtet. Deſcribit autem ſupra laudatus *Dn. D. Sthalius* l. c. utrumque locum, ubi tempeſtates diu moram nectunt, demumque ad latus hoc vel illud flectuntur, ſequentibus verbis, quae exterorum in gratiam latine ita fluunt: *Portenſis* vel *Koeſnicenſis* tempeſtatum fulgurantium flexio, ſequentibus notabilis exiſtit requiſitis; quod *Salae* fluvius a Salza, longo eoque rectilineo, duorum milliarium, niſi me animus fallit, ſpatium conficiente tractu, inter vallem, ſenſim ſenſimque profundiorem anguſtioremque, utrinque vero alta admodum regione obſeptam, jactumve minoris prope tormenti latam, eines Falconet-Schuſſes breit/ decurrat: propter pontem vero *Koeſnicenſem* latus verſus ſiniſtrum deflexus, ac permagna curvatura effecta, denuo reflectatur, et reſpectu prioris decurſus penitus nunc tranſverſus incedat, hocque ſuo in tranſverſario curſu, quo dimidiam ad minimum milliarii emetitur partem, regionem iterum excelſam atque declivem alluat. Alterum locum, quo tempeſtates tonitruae ſolito diutius commorantur, demumque ad hoc illudve latus moventur, ingens et rotunda fere, tormenti itidem minoris jactum lata, in praealta planitie conſpicienda deſignat excavatio, mediocris vallis faciem referens, ubi tranſeuntium tempeſtatum nubes, caeteroquin eo tempore graviores terraeque propiores, collabaſcere et in gyrum quaſi rapi videntur, ita ut duplo triplove longius ac in aliis et juxta latera ſitis alias fieri ſolet locis, moram nectant. Cauſam vero, cur nubes heic nonnihil deſcendant, locus conſtituit hic alveatus. Quamprimum enim procella aut turbo praecedens, eum attingit, eo momento aëris quoque ibidem, ut intellectu facile eſt, circumgyratio exoritur, quae nubes propinquas, reliquas poſtea etiam in conſenſum trahentes, arripit, et in gyrum quaſi eas ducendo, juſto diutius detinet. Simili quoque modo res ſeſe

habet

habet cum Portenſi tempeſtatum flexione, ubi rurſum propter longum fluvii Salae ductum rectilineum, vallis profundam ac magis magisque anguſtiorem conformationem; atque in transverſum oppoſitam regionis altitudinem, ſimilis aëris nubiumque transeuntium cooritur vorticoſus motus, quo facto, eae valde remoratae et in caminum quaſi intruſae, tanta copia, quanta a vento adducuntur, perlabi nequeunt, ut ita aliter fieri non queat, quam quo diutius juſto detentae atque vehementius conſtipatae, tanta aquarum fulminumque effuſione ac dejectione, ejusmodi in locis non poſſint non ſaevire, ſuique denique ac aëris multiplicem ob flexionem, rotationem atque compreſſionem, a priſtina via rectilinea deflectere et ad latus quoddam, verſus quod maximus nempe tendit niſus, abire cogantur. Qua ex obſervatione perpetua atque conſtanti, nomen flexionis tempeſtatum fulgurantium, einer Wetterſcheidung / ejusmodi tandem non inepte ſortita fuerunt loca. His hactenus itaque conſideratis et expoſitis, nunc etiam ad noſtrum locum, qui tempeſtates fulgurantes utplurimum dividit, progreſſum faciemus, cujus ſitus atque conformatio ſequentem in modum ſe habet. Primo, regio Lommacenſis altum quoque, planum tamen obtinet ſitum, cujus in medio collis eminet haud exiguus, cui oppidum maximam partem eſt inaedificatum, aedesque inter ceteras, templum cum triplici turri ſupremum occupat locum, quem vulgus, ſtolide tamen, pro tempeſtatum fulgurantium diviſione habet ac venditat. Deinde, circumcirca reliquum ſpatium, mediocrem quaſi vallem conſtituere videtur, rivulis nonnullis irriguam, in Albim ſuperato milliarii ſpatio ſeſe exonerantibus. Qui locum hunc inhabitant, altitudinem ejus non adeo animadvertunt, qui vero in itinere et e longinquo eum adſpiciunt, illis ea notabiliter ſatis in oculos incurrunt, quod inde etiam patet, quod vix alius ad oppidum, quam per vias altas, fractas atque acclives, hohle Wege / detur acceſſus, unde etiam dubio procul oppidum ſuum accepiſſe videtur nomen: vox enim *Lummati*, Sclavonica, idem denotat ac

frangere, brechen/ von denen hohlen und gebrochenen Wegen/ ſo daherum zu ſehen/ *vid. Reiner. Reinecc. Steinb.* von der Meißner anfänglichen Herkommen/ *Edit. Wittenb.* 1575. *p.* 93. Hanc igitur regionis hujus faciem qui paulo attentius conſiderat, ille luculenter obſervabit, quod ventus tempeſtatem tonitruam ad locum recta advehens, inſignem heic patiatur reflexionem, quam etiam iter facientes et ad dimidiam milliarii partem ab oppido adhuc diſtantes, eo tempore interdum percipiunt. Quo facto, aliter evenire non poteſt, quam ut nubes appropinquantes, niſi ſint graviſſimae, valdeque demiſſae, ventusve non impetuoſus, locum intactum relinquant, cum a vento reflexo retineantur, dividantur, aliamque viam, lateralem nempe legere cogantur, cui tamdiu inſiſtere obſervantur, donec regionis haec conformatio, regulari motui contraria, ſit finita, ubi iterum invicem uniuntur. Uterque caſus hactenus allatus, ſimili quodam haud obſcuro, a caudice, in plano altove loco conſpicuo, vel ab excitato a talpa colliculo, deſumto, illuſtrari poteſt, ubi tempore hiberno videmus, quod caudicem vel colliculum, neque ea in parte, qua ventum advenientem reſpicit, neque etiam latera ejus nix attingat, ſed vacuum ab omni nive interjectum obſervetur ſpatium, poſtica ſolummodo ejus parte excepta, qua ipſi conſpicitur contigua, cujus rei cauſa adeo plana eſt atque evidens, ut nulla explicatione indigeat. Paulo aliter vero res ſeſe habet, quando caudex vel colliculus depreſſiorem obtinet ſitum, quam circumjecta terra, ipſique adhuc ex adverſo eminentia quaedam objicitur, et ſic valle quaſi aliquali declivi circumdatur; hoc enim modo conſtanter obſervabis, quod nix a vento verſus eum impulſa, diu hac in valle circumagetur, prius ad latera quam flectatur. Ex his igitur hactenus in medium prolatis, quilibet nunc de tempeſtatum fulgurantium flexione ac diviſione, clarum ſibi poterit formare conceptum. Meliora interim qui habet, ea ut afferre, noſtrisque uberiorem lucem affundere velit, eſt quod obnixe rogamus atque contendimus.

(*Lommacio Auguſtam Vind. d. 2. Novemb. An.* 1716. *miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Dn. D. Jacobi Vercelloni.

In Sue Calculus veſicae.

ANno 1710. Anſiniamum, in Dioeceſi Aſtenſi, ad aegros aliquot accito obtulit mihi Rev. D. Philippus Antonius Caſtinellus, ejusdem loci Rector Paroch. lapidem figura et magnitudine columbinum ovum referentem, colore griſeum, aut cinereum, ſabulisque parvis ac pellucentibus interpunctum, quem in veſica ſuis domeſtici repertum, ideo mihi aſſervatum voluiſſe ajebat, quod noſſet me Phyſicis ejusmodi φαινομένοις delectari. Redditis proinde condignis gratiis pro munere, ſtatim villicum alloqui deſideravi, a quo nempe lapidem illum provenire comperceram, qui retulit, reperiſſe ſe eum in veſica ſuis rugoſa quoad externam faciem, ſecundum internam autem plana, caeterum valde extenuata; ideo vero ad animal hoc mactandum ante praeſtitutum tempus, compulſum ſe fuiſſe, quod indies magis magisque gracileſceret, et metuendum fuerit, ne pro larido aridum adipiſceretur. Lapis autem hic cum figura, magnitudine, coloreque naturam lapidis abunde teſtaretur, nolui eum frangere. An forte cum lapide porci Indici aliquo modo conveniat, aliis dijudicandum relinquo.

SCHOLIUM.

Lapidem hunc a Nobil. Dn. Auctore mihi tranſmiſſum nullam cum illo porcino Indico ſive Malacenſi habere convenientiam deprehendo, dum colore, ſapore, ſubſtantia et loco, in quo generatur, ab eodem differt; ſiquidem in Indico I. color carneus, vel parenchymati hepatis non abſimilis, juxta D. Frider. Dekkerum in Exerc. pract. cap. 7. veluti Exc. D. Engelh. Kämpferus in faſciculo 2. Amoenit. exoticar. pag. 343. innuit,

ruffus ſpectatur; 2. Sapor ſubtiliſſime amaricans, ſecundum praelaudatum Dn. Kämpferum, vel quae Dekkeriana eſt relatio, amariſſimus exſiſtit; 3. Subſtantia attactu quodammodo unguinoſa, vel laevis inſtar ſaponis, ex communi Auctorum indicio obſervatur; 4. In veſicula fellea generatur: noſter autem hic colorem cinereum, ſaporem nullum, ſuperficiem nonnihil ſcabram oſtendit, inque veſica urinaria fuit productus.

Caeterum pondus obtinet drachmarum duarum et novendecim granorum: per medium diſciſſus lignoſum quoddam corpuſculum intus continet, ſupra quod concretio ejus facta eſt, ex laminis tribus arctius invicem unitis, et ſubſtantia non admodum dura conſtans, ſabulo autem pauco et pellucente, quo prius interſperſus fuiſſe dicitur, non amplius viſui occurrente.

Calculos tales in porcis domeſticis caſtratis, ex urina coagulatos in veſicae exitu nonnunquam inveniri, ex Encelio monet celeb. D. Phil. Jac. Sachſius noſter Gammarolog. pag. 295. et tales binos, unum candidum, alterum flavum ſe ipſummet vidiſſe teſtatur. Ill. etiam D. Georg. Wolffg. Wedelius in Eph. noſtr. Dec. I. Ann. 3. Obſ. 246. calculum in veſica porci inventum oblongum, ſcabrum, pondere ℥vj. ʒv. memorat; et Guil. Fabricius Hildanus cent. 4. obſ. chir. 24. lapidem duriſſimum, caſtaneam fere magnitudine aequantem inter rariora ſua reſervare ſe recenſet, in ductu urinario porci Coloniae Agrippinae repertum.

L. Schröck.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. Jacobi Vercelloni.

Effectus pulveris radicis Jalapae in ſat magna Doſi Puerperae exhibiti.

QUidam Iatrophilus otioſus cum legiſſet in libris medicis, quam periculoſum, imo exitiale ſit puerperis, easdem ve-

lidio-

lidioribus catharticis expurgare, et uxorem haberet, faeminam 30. annorum, euſarcam, zelotypam, cujus ideo faſtidio tenebatur, An. 1715. conſilium iniit hanc rem experiundi, et ſic in priſtinam ſe aſſerendi libertatem. Quamobrem comparatis radicis Jalapae in pulverem redactae drachmis duabus, expectatoque partu, pulticulae ſeu panatellae (qualis mulierculis noſtratibus ſtatim ab ipſo partu parari ſolet,) butyro conditae, omnem illum immiſcuit. Puerpera inter aſſumendum ex obſtetricibus ſciſcitabatur, anne quidquam liquatarum, praecipue aſſatarum (erat enim istum pulveris praefati ſapor,) carnium pulti fuerit immixtum? quod cum ſingulae negaſſent, panatellam illam omnem devoravit. En autem! Tormina quae prius atrociter saeviebant, inde, tanquam ex incantamento quodam (prout hoc mihi cum ille vir nequam, tum ejusdem uxor, et reliqui demum adſtantes, quotquot fide digniores poſtea percunctatus ſum, confeſſi fuerunt,) univerſim ſedata ſunt, nec deinceps recruduerunt, alvo interim nihil concitata, lochiis rite fluentibus, caeterisque una ſuccedentibus, quae ad puerperium feliciter exantlandum expetuntur. Enimvero elapſis quindecim diebus, quo nimirum tempore purgationi vacare conſueverat, (utpote quae jam alias quoque pepererat) in diarrhoeam incidit tam enormem, ventrisque tormina tam immania, ut ſuffecturam ſe dubitaverit; nihilominus ceſſante hypercatharſi, integre reſtituta eſt citra remedii ullius uſum, puellum ſuum maſculum lactavit, atque paulo poſt denuo utero geſſit.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. Jacobi Vercelloni.

Phrenitis ab utero.

DElata fuerat aliquando Romae in archihoſpitale S. Jacobi incurabilium, quum ibi praxin medicam exercerem, virago quaedam nominis minus honeſti, annos duodeviginti nata,

ſan-

ſanguinei temperamenti, euſarca, florida, vegeta, nec puerperium adhuc experta; quae cum in ſinu, alias pudoris, nunc impudicitiae verius appellando, ulcus geſtaret telephium, adeo depaſcens, ut perinaeo et recto inteſtino eroſis, e gemino unicum antrum effecerit. Haec in lectum delata, minas cuilibet intendere, intempeſtive loqui, maledictis, conviciis, verbis turpiſſimis obvium quemque inceſſere occepit, ſevera, vaniloquax, procax, ſtupida in tantum, ut idiotis paſſim energumenae ſpecie imponeret. Ad hanc itaque accerſitus, cum viderem obtutum ferocem, geſtus parum compoſitos, formamque foeminae ſatis liberalem, putabam primo aſpectu, illam furore, ceu vocant, uteri correptam, aſt pertentato pulſu, cum frequentem compererim ac vehementem, ſiti praeterea intenſa et calore partium flagrantiſſimo infeſtatam, eandem protinus plusquam erotico et phrenetico delirio moleſtari deprehendi. Chirurgus ideo interrogatus, anne ulcus ab ipſo indicatum, interna quoque genitalia jam invaderet, cum externum ſaltem id eſſe retuliſſet, judicavi, phrenitidis illius cauſam omnem in humoribus, inque nervoſo genere quaerendam eſſe; oblata igitur plura ſunt cum febrifuga, tum antiſpasmodica praeſidia; quibus etſi nihil proficerem, eo tamen res adducta eſt, ut putatitio illo daemone (delirio) cicurato, penes aliquos ſpes quaedam vitae longioris affulſerit, interim tamen, ulcere in gangraenam verſo, miſera reſipuiſſe viſa eſt, dum viribus fatiscentibus minus demens evadebat; ex quo porro ſeſe in Deum recolligendi impetrato ſpatio temporis, ſupremum denique diem clauſit. Cadavere aperto, inveni inprimis 1. Lienem inſolitae longitudinis, ad imum nempe abdomen usque protenſum, ut cum ulterius progredi non poſſet, obſtante ſcilicet oſſe pubis, ſurſum ſe erigeret, ac pone uterum in maſſam pugno aequalem ultimo terminaretur; 2. Laevam Fallopianam tubam ad ovarium arrectam, inque ejusdem pampinis ſeu laciniis contentum ovum figura ac magnitudine columbinum exaequans ut et colore, denſaque et albida membrana obductum teſtae loco. Haerebat autem iſtud

in

in ſuperiori parte adhucdum ipſi ovario mediantibus aliquot fibris inter utriusque ſubſtantiam excurrentibus: quibus ablatis facile fuit videre calicem ejusdem ovi (unde fuerat exprointum) etiamnum ovario inſculptum, quique parvum muſcae mellificae favum repraeſentabat, ac poſtremo diffiſſa illa tunica ambiente, vidimus humorem quendam aqueum, id eſt limpidum ac ſumme fluidum erupiſſe, in cujus medio extabat alba illa (Malpigii nomine) cicatricula, veram carinam humanam repraeſentans, et quae, ſi microſcopio utendi copia tum data fuiſſet, totum etiam microcosmum fortaſſe demonſtraſſet; 3. uterum comperi tam gracilem, ut nec in minorennibus puellis talem obſervarim, item figura gibbum, ut qui retrorſum a retro impellente illo, id eſt lienoſo corpore cogebatur: quam cauſam fuiſſe opinor, quo minus ovulum in eum deſcendere potuerit, verum ut inſuper convulſione facta nervorum ejusdem uteri ad octavum par aſcendentium Phrenitis porro et reliqua ſpasmodica conſequi debuerint. Tandem vaginale ulcus, utpote longe ab utero ſitum, nihil ad hoc communicaſſe vidimus, ſed tantum cum recto inteſtino, ex cujus propterea compreſſione flatus ac ſtercora in eandem vaginam erumpebant plane, ut ne foetore ejusmodi careret, quae ſentina jam evaſerat omnium foeditatum.

(Aſtâ Auguſtam Vind. d. 27. Novembr. A. 1716. miſſae.)

OBSERVATIO X.

Dn. D. Adami Friderici Pezoldti.

Phthiſis in aliquot foeminis per ſuccum Plantaginis acutae et Elixir proprietatis curata.

PHthiſin ſtricte ſic dictam, ſeu exulcerationem Pulmonum, varia ex cauſa oriri, hincque pro cauſarum, ſubjectorum et circumſtantiarum diverſitate, etiam diverſa poſtulare reme-

dia atque medendi methodum, res Medicis rationalibus eſt notiſſima; quos etiam non fugit, Phthiſin invaleſcentem contumax admodum eſſe malum, et nonniſi pauciſſimos ex ea ad ſanitatem priſtinam redire, praeſertim ſi ex congeſtione et ſtagnatione ſanguinis nata, et haemoptyſis aliquoties praegreſſa fuerit, ſexumque virilem occupaverit. Sane ſequiorem ſexum prae virili facilius liberari poſſe ab hujusmodi affectu ſontico, et experientia et ratio teſtatur: id quod etiam mihi ante paucos annos in duabus faeminis alias ſanis atque ſucculentis obſervare contigit, quarum una 33. annor. altera 48. annorum, cum propter incendium urbis, panico afficerentur terrore, eo tempore, quo conſvetus menſium fluxus inſtabat, ſtatim inde pectoris anguſtia, artuum laſſitudine, appetitu proſtrato et inſequente difficili reſpiratione obrutae ſunt, quae cuncta magis magisque invaluere, usquedum pedum tumores oedematoſi, tuſſis ſicca ferme continua, haemoptyſis et tandem rejectio puris cruenti ac phlogoſes inſequerentur, et per unum atque alterum annum continuarent: ſub quo tempore contabeſcebant ſenſibiliter, cum tanta tuſſis ac reſpirationis difficilis exacerbatione, ut tantummodo ſedendo reſpirare poſſent. Varii generis remedia tam domeſtica, ut vocant, quam a Medicis praeſcripta, incaſſum uſurparunt miſerae, tandem ex ſucco Plantaginis acutae recenter expreſſo, atque Elixir Proprietatis ſ. acido, convaluerunt ambae: nimirum de ſucco Plantaginis quovis die, quantum cochlear unum capit, ore aſſumebant per octiduum: poſtmodum ſucci hujus bina cochlearia plena quotidie capiebant; Elixir autem Proprietatis ſemel aut bis in die, una adhibebant, atque ſic per menſem continuando, imminuebantur ſub horum remediorum uſu, tuſſis et difficilis reſpiratio; appetitus quodammodo redibat, rejectio puris cruenti primo promovebatur, poſtmodum ſucceſſive minuebatur: pedes ab initio adhuc magis intumeſcebant, deinde vero pedetentim detumebant inſequente fluxu menſium hactenus ſuppreſſo: phlogoſes denique etiam remittebant, ac vires redibant, adeo, ut

per

per divinam gratiam ambae, pro deploratis jam habitae, intra aliquot menſes iterum recte valerent, atque ſanitas exoptata per aliquot annos usque huc conſtanter continuaret. Memorata haec remedia etiam ab aliquot viris perfecte phthiſicis in uſum vocata ſunt, quos vero parum levavit. Ex iis autem aliquos ſanavit ſuccus Plantaginis acutae, copioſius adhuc aſſumtus, qui ab externa violentia quadam, nempe ex luxatione, vel ex lapſu aut contuſione, ſanguinem congrumatum, et circa pectus cumulatum gerebant, atque inde difficilem reſpirationem, tuſſim et alia incommoda ſentiebant, imo valde contabeſcebant, tandemque cruenta cum purulentis rejiciebant.

SCHOLION.

Quod Phthiſis ſaepiſſime ex congeſtione et ſtagnatione ſanguinis in pulmonibus, ortum ſuum ſumat, teſtantur non modo actuales rejectiones ſanguinis per pectus, verum etiam incommoda, ſuppreſſionem catameniorum in ſexu ſequiori preſſo pede inſequentia, nempe pectoris anguſtia, ſpirandi difficultas, aliaque pectoris gravamina, quae ſi diutius et contumacius ibi ſubſiſtunt, ad haemoptyſin et Phthiſin non modo diſponunt, verum etiam confirmatam inducunt. Eadem haec pectoris incommoda etiam inducit ſuppreſſio fluxus haemorrhoidalis in ſexu virili, a quibus vero uterque ſexus vix ullo modo liberari poteſt, niſi congeſtio et inde nata ſtagnatio ſanguinis a pectore vel ſponte vel arte avocetur, et ſanguini in inferioribus locis exitus iterum procuretur; id quod in ſexu ſequiori per reſtitutionem ordinarii fluxus menſtrui facilius impetratur, quam in virili, ubi haemorrhoidum fluxus nondum aſſuetus, difficillime procuratur, et ſuppreſſus juſta menſura, tempore et ordine, prout neceſſe eſt, aegre iterum reſtituitur, ſed ut plurimum, ſi quid efficitur, immoderate et ultimis tantummodo temporibus contingit, ubi vires jam fractae et pulmonum ſubſtantia valde corrupta eſt, quemadmodum in diverſis phthiſicis hactenus obſervare licuit; hinc etiam poſtmodum

rariſſime in emolumentum aegrotorum vergit. Cum itaque evacuatio menſtrui fluxus in ſexu ſequiori antea conſueta promptius provocari, et per hanc pectus praegravatum, a mole et confluxu ſanguinis efficaciter liberari poteſt, quid mirum? ſi et memoratus ſexus facilius et conſtantius prae virili ab haemoptyſi et phthiſi ex confluxu et ſtagnatione ſanguinis orta, liberetur et reſtituatur; quandoquidem pulmonum ſubſtantiae laeſae, cum ab infarctu ſanguinis ſtagnantis prius relevata fuerit, facilius ejusmodi remediis traumaticis, uti imprimis ſunt ſuccus Plantaginis acutae, et Elixir Proprietatis, ſuccurri; ſcilicet, ulcus detergi, evacuari, mundificari et tandem conſolidari poteſt, quale quid in memoratis foeminis factum fuiſſe, experientia atque eventus abunde oſtendit.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. Adami Friderici Pezoldti.

Quod neque argentum vivum, neque alia medicamenta e minerali regno deſumta, operentur irradiando.

QUod experimenta minus caute inſtituta et peracta, ſuggerant rationes incertas, imo plane falſas, ex primiceriorum Chymicorum ſcriptis quotidie obſervare licet. Ejusmodi experimenta tam chymica quam medica, atque his incaute ſuperſtructae rationes quoque inveniuntur in ſcriptis illius acris ſcholarum medicarum cenſoris, Joan. Baptiſtae van Helmont, a modernis Medicis hinc inde notata; ad quae itidem pertinet experimentum illud cum argento vivo inſtitutum, quo probare conatur, diverſa remedia irradiando tantum operari: legitur hoc in Tract. de Verb. Herb. ſequenti modo deſcriptum: „Quae radialis commiſtio argenti vivi, adhuc magis admiranda eſt. Si nempe argentum vivum maceretur in magna a-, quae communis quantitate, haec namque, etſi ne minimum de „argento vivo in ſe ſorbeat, aut ad ſui naturam convertere queat;

queat; attamen ab argento vivo proprietatem, non item „ ſubſtantiam mutuat, ſic ut pota aqua ejusmodi necet lum- „ bricos univerſos et aſcarides, exiſtentes etiam, quo potus iſte „ nunquam pervenit: quippe qui mox totus in lotium rapitur. „ Fitque aqua iſta contra lumbricos validior, ſi ſemel cum ar- „ gento vivo bullierit. Sic unica uncia argenti vivi millies po- „ terit menſuram aquae inficere, attamen permanere in ponde- „ re et proprietate priſtinis. Sic nempe Scholae etiam invite „ addiſcunt, quod quaedam agentia citra paſſionem aut reactio- „ nem patientium, libere, ſemper, indefeſſisque viribus agant, „ et perſtante eodem ſui ſemper pondere. Argentum vivum „ nempe agit in aquam, eique imprimit ſui characterem; non „ tamen viciſſim quicquam ab aqua repatitur. Manifeſtum eſt „ itaque, quod vis quaedam medica transferatur mutetque ſuum „ ſubjectum naturale, et abeat in objectum peregrinum ſolo ve- „ lut radio, vel aſpectu ſui. Ita tamen, ut licet objectum pere- „ grinum acquirat exoticam ſibi vim, agens tamen inſpiransque „ initium nequicquam de ſuo priſtino robore aut pondere a- „ mittat, remittatque. Fit nempe id absque ulla argenti vivi „ paſſione, diminutione, mutatione, debilitate aut alteritate. „ Exemplum ſane hoc loco adductum inſervit argumento, poſt- „ modum de virtute propemodum infinita remediorum cele- „ brando. Quae res poſtquam in mineralibus ſaepe ac diverſi- „ mode ſubter experientiam tracta fuiſſet, me docuit tandem, „ quod antehac nemo mortalium fortaſſis, adhuc optice atque „ intus perſpexiſſet, qualiter remedia abſtruſiora operarentur: „ quodque nimirum citra ſui diſſolutionem aut interitum, citra „ ſui penetrationem, introadmiſſionem, commiſturam et com- „ mutationem libere etiam eminus agant in ſopitum, vel ſuc- „ cenſum Archeum: ſolo quaſi ſuo aſpectu, irradiatione vel „ ejaculatione ſuarum virium in medio productarum, retentis „ adhuc priſtinis et non mutatis, pondere et proprietatibus etc. Ex- „ perimento hoc ſpecioſo Helmontius docere et probare magnopere contendit, quod ſicuti argentum vivum in aqua maceratum vel

 coctum,

coctum, nihil de pondere ſuo et proprietate amittat, neque minimum de ſua ſubſtantia aquae communicet, ſed ſolo quaſi ſuo aſpectu et irradiatione tantummodo in illam efficaciter agat, viresque anthelminticas ei impertiat; ita quoque alia remedia, imprimis ex minerali regno deſumta, pariter illuminando tantum et irradiando archeum, vires ſuas exſerant, nec quicquam de ſua ſubſtantia communicent, ſed ſemper non imminutis viribus ac priſtino pondere perſeverent. Aſt ſi Helmontius paulo circumſpectius hoc experimentum inſtituiſſet et examini ſubjeciſſet, minime ſe ipſum et poſteritatem ejusmodi experimento atque inde deducto argumento ficulneo illuſiſſet, ſiquidem ego, inſtituta aliquoties paulo accuratiori examine hujus experimenti, edoctus ſum, quod ex argenti vivi ſubſtantia corporea omnino portiunculae in notabili quantitate abſcedant, et in aqua ſeſe abſcondant, adeo, ut argentum vivum inde non parum de pondere ſuo amittat: Scilicet, de argento vivo, deſtillatione depurato, uncias quatuor in cucurbitam vitream indidi una cum affuſione aliquot menſurarum aquae fontanae, et, applicato Alembico, aquam ſaepiſſime, leniter tamen, abſtraxi ad ſiccitatem usque; hoc peracto, argentum vivum e cucurbita caute deplevi et ponderavi; ubi manifeſte deprehendi, argentum vivum de pondere ſuo ad drachmas duas perdidiſſe, et in hac quantitate ſimul cum aqua Alembicum transcendiſſe; id quod ſapor hujus aquae notabiliter alteratus, ut et virtutes anthelminticae et diaphoreticae, interne ad cochlearia aliquot aſſumta, externe autem vires diſcutientes et reſolventes in gingivarum, faucium aliarumque partium glanduloſarum tumoribus, ſola humectatione, collutione vel gargariſatione applicata, ſatis ſuperque teſtantur. Fatiſcunt ergo, fatiſcente ipſo fundamento, ſpecioſe formata et ab hoc experimento operoſe deducta illa argumenta, quod nimirum argentum vivum et alia medicamenta Chymica, e regno minerali imprimis producta, ſolummodo irradiando et illuminando archeum operentur, cum experientia potius contrarium oſtendat, et

clare

clare demonſtret, particulas de eorum ſubſtantia integras utique abſcedere, atque ex harum particularum abſceſſione ac communicatione, vires ac operationes medicamentorum unice dependere. Notarunt hoc plures jamdudum in Antimonialibus, praeſertim infuſis emeticis, ubi etiam nulla ad ſenſum craſſa apparet imminutio Vitri vel reguli Antimonii etc. etiamſi multoties in uſum vocata fuerint, (celat enim hanc imminutionem imprimis praecipitatio particularum ex ſuperfuſo Vino, vel alio liquore contingens, quae in locum abraſorum ramentorum antimonialium ſuccedunt, ac non modo priſtinum pondus antimonii impoſiti, mentiuntur, verum etiam interdum augent) quando autem hujusmodi infuſum provide decantatum, evaporatur vel deſtillatur, ad oculum ramenta antimoniata, quamvis pauca in quantitate, relicta apparent et conſpiciuntur: quod etiam accidit, ſi ejusmodi infuſum in paulo majori quantitate aliquandiu immotum ſtare permittitur, ubi ſimiliter ramenta antimoniata ad fundum vaſis ſeceſſa facile dignoſcuntur, infuſumque inferius, potentius redditum quam medium aut ſummum, obſervatur.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. Adami Friderici Pezoldti.

De
Palingeneſia.

VEteres naturalium ſcrutatores ac Chymici, cum ſub denſa rerum caligine lucem adſpicere anhelarent, atque ideo magna induſtria, labore et patientia, rerum naturalium repagula reſerare atque nucem frangere opus haberent, inventa ſua poſtmodum, ſive utilia et lucroſa, ſive tantummodo curioſa et ad animum delectandum ſolum inſervirent, multis encomiis depraedicare, praxin autem magno ſtudio celare, conſveverunt; partim ut ſibi et ſuis rebus aeſtimationem pararent, ſuos-

ſuosque labores non plane fruſtra collocaſſe oſtenderent: partim, ne vileſcerent divulgatione, et ſolertibus ac expertis praerogativa ſupereſſet: partim, ut poſteros ad ulteriorem rerum naturalium ſcrutationem magis allicerent, imprimis autem ſapientia Creatoris agnoſceretur et celebraretur. Inter ejusmodi curioſa occultata atque depraedicata, referenda eſt artificialis rerum igne combuſtarum, e ſuis cineribus reſuſcitatio et repraeſentatio, Palingeneſia dicta; quae vero deinceps admodum diverſas experta eſt ſententias: nimirum, quamvis hujusmodi artificium dari jam demum a ſeculo quam plurimi, iique graviſſimi auctores conſtanter adſeverarint, tamen non defuere, nec adhuc deſunt, qui huic omnem fidem derogare, et inter Non-Entia Chymica referre haud erubeſcunt, vid. Programma D. Georg. Franci de Franckenau, de Palingeneſia Vegetab. Verum enim vero, ſi rem provide, tanquam aequi judices, examinare velimus, in tanta exemplorum copia, tot tantisque Viris, omnis fides deneganda non erit, modo viam mediam amplectamur, auctorum mentem circa hanc rem recte capiamus, ſobrie interpretemur, nec non experimenta caute inſtituamus, tunc facile apparebit, phaenomenon hoc non merum figmentum et non-Ens, ſed omnino in natura fundatum eſſe, quamvis a ſcriptoribus diverſo modo ac ratione proponatur, et a paucis producatur. Communiſſimum autem et maximum, quod negantes contra Palingeneſiam imprimis Plantarum proferunt argumentum, eſt, Plantis hujusmodi reſuſcitatis nihil ſolidi inesse, neque e cineribus eodem prorſus pondere, numero, figura vel magnitudine, qua primitus gaviſae ſunt, reſurgere et ſeſe praeſentare, quod tamen neceſſarium foret, ſi pro vera reſuſcitatione habenda ſit. Sed quis non hujus argumenti imbecillitatem obſervat? 1.) Inconſiderate quid poſtulant, quod ab omni ratione et naturae poſſibilitate abludit, ſiquidem omnibus notum eſt, plantarum partes volatiliores, aquoſas nimirum, oleoſas et terreſtres, ſub combuſtione et incineratione, copioſe fugari in auras; quomodo tunc hujusmodi cinis, vitro incluſus, pri-

priſtinum pondus per ignem fugatarum particularum recuperare ac in priſtino pondere, numero, figura vel magnitudine, quam ſane etiam vitrum non caperet, iterum ſiſtere poterit? Auctores, ubi ſuam Palingeneſiam commendant, nunquam de tali completa reſuſcitatione et repraeſentatione loquuntur, quae integritati priſtinae plantae in omnibus partibus reſponderet; quanquam me non fugit, eſſe quosdam, qui aſſerunt, e cinere plantae artificialiter combuſtae terrae permixto, plantam eodem modo ac ex ſemine prodire et progerminari perfectam: ſed hujusmodi proventus potius ad naturalem vegetationem et progerminationem, ſi veri quid ſubeſt, non vero ad memoratam artificialem reſuscitationem et repraeſentationem referendus erit. 2.) Haec, quae poſtulant, ne quidem in naturali propagatione ſemper locum inveniunt, quandoquidem raro e ſemine planta progerminat et reſurgit eodem prorſus pondere, numero, figura et magnitudine, ac planta fuit, quae ſemen dedit, quin aliquis defectus vel exceſſus, varia ex cauſa, obſervetur. 3.) Nullus auctorum in memorata Palingeneſia ſolidi quid ineſſe aſſeruit: Dygbi vocat ſaltem ideam plantae ſuae aemulam: Tackius p. 42. eſſe umbraticam: Gregor. Michael. p. 252. ſequ. eſſe ſaltim ſpeciem aut formam accidentariam: Higmorus f. 105. ſpiritales plantas: Otto Tachenius Hippocr. Chym. c. 20. p. 158. ſpiritualem repraeſentationem vel regenerationem, et p. 165. umbratilem etc. Ideoque mens auctorum affirmantium recte capienda et interpretanda eſt, utpote qui non de reali, et quoad omnes circumſtantias cum priſtina planta exacte coincidente convenientia et ſoliditate, uti jam innui, locuti ſunt, ſed potiſſimum de ideali, ſpirituali ſeu ſubtiliſſima et umbratica, ad vivum tamen quoad colorem et figuram conſpicua plantae reſuſcitatione et repraeſentatione ſcripſerunt; quae, licet ſit exiguae magnitudinis, figurae ac ſummae teneritudinis, pro nihilo tamen, vel opinione et fuco, ideo aeſtimanda non eſt. Quod ſi autem quis pertinacius in non admittenda experientia atque hujus phaenomeni exiſtentia perſeveret, ille ſciat, quod etiam

realis et ſolida non modo Vegetabilium aliarumque inanimatarum rerum ac creaturarum; verum etiam animatarum, poſt ſui per ignem factam deſtructionem, detur Palingeneſia, et in veram vitam artificialis revocatio, uti ex ſequentibus diluceſcet: Scilicet, praeter hactenus memoratam Palingeneſiam, etiam his noſtris temporibus plures doctiſſimi, graviſſimi et fide digniſſimi viri in ſuis laboribus chymicis experti ſunt realem et ſolidam, manibusque palpandam Palingeneſiam, inter quos eſt Excellentiſſ. atque Experientiſſ. D. Joh. Daniel Major, Collega Academiae Leopold. Naturae Curioſ. digniſſimus, qui ex Sale Lavendulae effloreſcentem ſylvulam Lavendulae obſervavit viſum ac tactum admittentem, vid. Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. VIII. Obſerv. IX. Hujus veritatem atque exiſtentiam et ego propria experientia atteſtari, et cuilibet veritatis aeſtimatori, quoties deſideratur, demonſtrare poſſum; poſſideo enim vitrum, quod cinerem ex combuſtione corticis atque ligni Schacharillae reſtitantem in ſe continet, ſuper quem eſſentia propria ante combuſtionem cum Spiritu Vini tartariſato extracta, affuſa ſtetit per aliquot menſes, qua poſtmodum decantata, coepit intra ſpatium quadrantis anni, materia albicans cinerea ad parietes vitri, duobus in locis, ſeſe affigere atque ſucceſſive latius ſeſe explicare, usque dum in uno latere in perfectam parvam arbuſculam coaluit; e regione autem in eleganter formatam fruticem abiit: Color utriusque eſt albidus cinereus, ſecundum vivae arboris faciem ab hiſtoricis deſcriptam, nempe cortice undique cana ſeu cinerea induta: Conſpiciuntur quoque hinc inde corpuſcula quaedam ſtriata, a reliqua ſubſtantia quaſi elata inſtar ſtellularum, quae flores arboris vivae candidos aemulantur. Duravit elegans haec repraeſentatio jam per 4. annos, neque mutabilitatem quandam pro nunc minatur. Simile quid non ita pridem obſervare licuit propullulare ex maſſa ſalina e Coralliis facta: nimirum Corallia alba aceto deſtillato ſolvi, acetum deſtillatione iterum abſtraxi ad ſiccitatem, relictam maſſam ſalino-amaricantem in aqua deſtillata

pluvia-

pluviali rurſus ſolvi, filtravi, atque ad omnimodam ſiccitatem aquam iterum abſtraxi, huncque ſolutionis et abſtractionis actum aliquoties cum aqua pluviali reiteravi, inde maſſa ſalina candidioris coloris, et dulcioris ſaporis remanſit; haec in locum humidum, praeprimis in cellam poſita, in liquorem reſoluta eſt, de quo aliquid plano vitri hinc inde impoſitum, et calori temperato commiſſum, quo humiditas iterum abire et ſicceſcere potuerit, concrevit in frutices, figuram Coralliorum cum ſuis ramulis affabre repraeſentantes, inque calore temperato bene durabiles. Idem hoc eadem ferme ratione obſervavit ſuo tempore Henricus de Rochas in Tract. de aquis mineralibus p. 749. Volum. VI. Theatri Chymici, inquiens: Exem- „ plum de Corallo notabilius eſt, ſi enim illud ſubtiliſſime pul- „ veriſatum in aceto deſtillato et alcaliſato infundas, et per bi- „ duum ſuper calore moderato infuſum relinquas, et poſtea per „ inclinationem liquorem defundas, et in vaſe vitreo evapores, „ Sal volatile in fundo remanens, tot filamenta in forma ramo- „ rum Coralli contra Phiolae parietes ſparget, ut niſi quis expe- „ rimentum viderit, difficulter hoc ſibi perſvadere poſſet. Vid. „ quoque Franciſc. de Lanis Tom. III. p. 16. §. 17. it. p. 126. Magiſt. naturae et artis.

Animatorum Palingeneſiam, quam Kenelmus Dygby in Diſſertatione de plantarum vegetatione cum cancris peractam deſcribit, ego itidem aliquoties peregi, et hujus veritatem abunde expertus ſum: Cancros videlicet vivos ſecundum praeſcriptum coxi (elegi autem, qui ovulis carerent) in aqua pluviali; coctos deſtillavi usque ad olei empyreumatici proventum, et denique in calcem et cinerem alcalicum combuſſi: his peractis cuncta vitreo in vaſe permiſcui; nempe decoctum et liquorem deſtillatum cineribus pulveriſatis affudi, et poſt agitationem fimo equino commiſi, ubi, poſtquam per aliquot dies quiete ſtetit, ſub putrefactionis quaſi actu aliqua puncta albicantia in ſuperficie hujus mixturae in conſpectum veniebant inſtar ſeminis Milii albi, quae intra νυχθήμερον omnes par-

 tes

tes ac organa cancri una cum vita ac motu nacta erant, et in liquore hinc inde natabant, ac microſcopiis ſubmiſſa, veros, minutiſſimos licet, repraeſentabant quoad omnes partes, cancros fluviatiles, exceptis caudis, quae introrſum curvatae et cum corpore adhuc implicatae videbantur, atque vix diſtincte dignoſci poterant. Caeterum adhuc monendum, quod hujusmodi cancrorum regeneratio vix alio tempore quam aeſtivo, et quidem diebus aequaliter calidis Menſ. Julii et Auguſti ſuccedat. Atque haec ſunt, quae propria experientia in veritatem Palingeneſiae atteſtari poſſum. Quod ſi vero iſta, quae in regno minerali effici poſſunt, una conſiderare velimus, non minus jucunda quam ſolida, Palingeneſiam confirmantia experimenta atque documenta ibi occurrent; ſiquidem tam mineralia quam metalla, ſi igne exurantur, et in meram calcem, per ſe in metallum nudo igne in crucibulo haud liquabilem, convertantur, in priſtinum corpus ſeu formam, quoad omnes qualitates iterum ſiſti et reſuſcitari queunt, quod Chymici reductionem vocant; et hic actus toties quotiescunque lubet, in uno fruſto metalli peragi et exerceri poteſt; ubi ſimul id imprimis notabile occurrit, quod, quo ſaepius hujusmodi deſtructionis et reſuſcitationis modus, certis enchiriſibus, cum metallo quodam v. g. plumbo, repetatur, eo intimius melioretur metallum, non ſolum in puritate et ductilitate, verum etiam in fixitate, i. e. ſemper aliqua pars de eo in argentum mutatur optimum. His itaque atque ſimilibus phaenomenis ac experimentis curioſioribus veneranda antiquitas plurimum delectata fuit, eaque pro reſurrectionis atque clarificationis certo futurae corporum, imprimis humanorum, ſimulachris habuit, pie conſiderando, quod ſicuti creaturae inferiores tam animatae quam inanimatae, etiamſi igne vel naturali, vel potentiali, e craſi ſua turbentur, imo plane corrumpantur, tamen non penitus deſtruantur, ſed nativam ac priſtinam ideam et characterem primitus impreſſum, etiam in extrema ſui relicta parte adhuc ſecum ſervent, atque omne corpus in ejusmodi characteriſatam mate-

materiam revertatur, quae poſtmodum artificialiter conceſſa juſta combinatione, vehiculo, occaſione atque liberiori motu, quo id, quod quaſi concentratum latet, ſeſe diffundere, et explicare commode queat, facile in priſtinam poſituram, faciem nempe atque formam iterum ſeſe explicet, illam aemuletur atque oſtendat, ſi non craſſo modo, tamen ſubtili repraeſentatione; ita quoque corpora humana, quocunque modo corrumpantur ac deſtruantur, non plane interitura ſint, verum multo facilius et certius a ſummo, potentiſſimo, ac ſapientiſſimo artifice atque Creatore coelorum ac terrarum, iterum reſuſcitari, atque in veram vitam reſtitui ac revocari queant.

(*Lipſia Auguſtam Vind. d. 5. Decembr. A. 1716. miſſae.*)

OBSERVATIO XIII.

Dn. Lic. Chriſtiani Gotthardti Wiliſchii.

Morbus Spasmodicus.

Qui hoc morbo corripiuntur, vellicationem aliquam in membris extremis ſentiunt, modo in manibus, modo in pedibus, modo in pedibus et manibus ſimul, quaſi membrum formicis plenum ſit et ſtupore corripiatur. Poſt hanc vellicationem, digiti vel in manibus vel in pedibus convelluntur et contrahuntur. Cum convulſione et ſpasmo iſto, frigus et acerbiſſimi dolores ſunt conjuncti, qui aegros miſere torquent, ut per longa locorum intervalla clamores et ejulatus aegrotantium audiantur: Es wolle ihnen Arm und Bein ausreiſſen/ man ſolle ihnen um GOttes willen helffen! Tam ſubito hoc malum ſaepe invadit, atque per aliquot ſeptimanas in membris exterioribus perſeverat, imo et nonnullis caput afficit. Si vero caput afficitur, et aegri epilepſia corripiuntur, plerumque cedunt ſatis. Aliqui amentes redduntur, alii veternoſi, es iſt ihnen/ als wenn ſie ſtets betruncken/ aliqui deliri et maniaci,

et varia ſunt deliriorum genera, pro temperamentorum forſitan ratione. Qui vero amentes aut deliri fuerunt, ſtupidi permanent, neque priſtinum mentis vigorem recuperarunt hactenus. Ceſſante Paroxyſmo fames praeternaturalis omnes fere corripit, cibosque avide appetunt, ut vix ſaturari poſſint. Nonnullis tubercula, ſeroſo humore plena, erumpunt, quae tamen ſine vitae diſcrimine curantur. Contagio caret hoc malum; experientia enim quotidiana docet, ex iis, qui diu et cum multis aegris in domo aliqua converſantur, impune evadere omnes. In noſtra regione ortum hoc malum habet ex victu pravo, et praeſertim a granis ſecalis degeneribus, quae germanice, **die Korn-Mutter**/ vocant noſtrates, de qua materia propediem ſequentur plura.

OBSERVATIO XIV.

Dn. Lic. Chriſtiani Gotthardti Wiliſchii.

Guſtus et olfactus laeſio ſingularis.

VIr Sexagenarius, Muſicus, ante viginti, et quod excurrit annos, a caſu ab alto, cranii patitur fiſſuram, auxiliante vero Deo, ſolertique Medici et Chirurgi cura, priſtinum et ſolidum recuperat cranium. Ab eo vero tempore, atroces interdum ſentit capitis dolores, praeſertim dolorem in fronte gravativum. Is vero, quoties ab eo tempore *Carnem bubulam radice petroſelini coctam, vel cibos ſale conditos* vel quosdam acidos edit, toties omnem odoratum et guſtum amittit, qui ſecundo die vix redeunt.

(*Pirna Auguſtam Vind. d. 16. Decembr. A. 1716. miſſae.*)

OBSERVATIO XV.

Dn. D. Johannis Adami Göritzii.

Thee Romanum.

SCire poteſtates herbarum uſumque medendi cum Medicum deceat: praeter Chimicos labores, et Botanophilus per aeſtates hactenus eſſe ſtudui. Innotuerunt ſic per excurſiones inſtitutas et in peregrinationibus pleraque, quae circa Ratisbonam noſtram, (vel, quod malunt Critici, Reginoburgum) creſcunt, ad vegetabile regnum pertinentia, inter quae multa reperias, quae alibi non videas, de quibus ſuo tempore plura. Suffeciſſent mihi haec inquilina, ad curandos, Deo benedicente, morbos quoscunque: quippe quae ſemper vera recentia colligi poſſunt, et quae naturae noſtrae magis amica obſervantur, quam peregrina alia adulterata, et certiorem experientiam deſiderantia. Aſt in Comitiis vivo, ubi homines obſervavi, qui non contenti ſunt cum Medico, qui facit, quod ſui eſt officii; ſed curioſum ſimul eſſe volunt Occaſione ergo hortuli mei domeſtici, exotica quoque inſpicere, et in eorum virtutem inquirere placuit. Annus jam agitur quartus, quo a perilluſtri quodam Domino, hortulo meo donabantur plantae quaedam, Thee Romani nomine ſuperbientes. Has utpote plane hic ignotas laetus accepi, et per hortulum ſparſim terrae demandare juſſi, ut obſervarem, quam plagam mundi et quam terram creſcendo amarent. Fiebat hoc Menſe Majo, felici manu, vix una enim periit: illae tamen, quae verſus meridiem ſtabant, altitudine reliquas ſuperabant. Menſe Auguſto frutices erant ramoſi, ulnae altitudinis, geſtantes flosculos albos, ramulos ambientes: quos ſequebatur ſemen copioſe, parvum, rotundum, viride, inſtar ſeminis botryos noſtratis, æque graveolens, ac folia ipſa. Flos armato oculo inſpectus videbatur tetrapetalus. Flore cadente, caules et inferiora folia rufeſcebant,

bant. Caulis maximus, rotundus fere, craſſitiem digiti mei mi-nimi acquirebat, extus glaber, ſulcos tamen habens, intus me-dullam in cavitate gerens. Folia maxima longitudinem digiti medii et latitudinem pollicis habebant, acuminata et ſinuata, ad modum atriplicis ſylveſtris vel ſpinachiae: tactui ſeſe offe-rebant, ac ſi pinguedine obſita eſſet illorum ſuperficies. Ra-dix plane nihil participat de graveolentia jam dicta: eſt fere in-odora, alba, fibroſa, intus lignoſa. Circa medium Septembris ſemen maturum erat, quod collectum ſtudio ſervavi, idque ſequentis anni menſe Martio ſerere juſſi, et plantas inde natas ſub initium Maji transferre in ſolum. Creverunt ex voto, et in Autumno ingens copia foliorum et ſeminis mihi collecta fuit. Hinc de medendi uſu cogitare coepi, ad quod vel ſolus odor gravis, multum ſalis volatilis ſpondens, me invitaverat. Judica-vi ergo, prodeſſe poſſe hoc Thee Romanum, naſturtium et raphanum ruſticanum redolens, in ſcorbuto, arthritide, cal-culo et aliis morbis tartareis. Deo ſic dirigente, tunc tempo-ris pauper quidam mihi obveniebat, dyſuria ſaepius laborans, ex ſabulo renali. Portionem dedi hujus Thee, quo bis in die uteretur in infuſo. Educto ſic indies multo ſabulo et mucila-gine, ex integro convaluit. Puer V. annorum, conquereba-tur de ſuppreſſione urinae et dolore circa pudenda: Parentibus id negligentibus, aucto dolore epilepſia ſuccedebat, in qua magna urinae quantitas proſiliit, et cum illa calculus albus, du-rus, hordei granum ſuperans, cum multis arenulis. Dedi Pa-rentibus Thee Romanum in infuſo propinandum, et trageam quandam aromaticam, cum ſemine hujus Thee, veſperi quo-tidie cum vino parandam, et ſic hactenus liber vixit ab hoc af-fectu. Faemina 50. annorum, per multos annos calculo la-boravit, horumque magnum mihi monſtravit numerum, di-verſae formae et magnitudinis: poſtquam per ſemeſtre Thee noſtrum bibit, mane et veſperi, idque vino ſuo imponit, non amplius calculos excrevit, ſed urinas craſſas tartareas, ut inte-grae cruſtae ex ſcaphio eximi potuerint. His ita feliciter geſtis,

ex-

experimenta inſtitui ſolvendi calculos: impoſui ergo albos et duros, a modo dicta foemina dono mihi datos infuſo meo calido duplicato. Hos poſt XXIV. horas non quidem ſolutos, verum adeo molles reperi, ut intra digitos facile comprimi potuerint, inſtar hordei cocti. Vocabar tunc temporis ad mercatorem hujus loci, LX. annorum, qui a multis annis calculo laborans, ſat multos hactenus excrevit. Hic ſe ſentire dicebat calculum in penis glande, urethram obſtruentem, nec urinam emittentem, erant autem tres. Poſt inſertam peni parvam candelam ceream, urina libere fluxit, quod repetere neceſſe fuit, quoties mingere voluit. Juſſi glandi infundere ſaepius laudatum infuſum; ſed obſervavi, tam parvam quantitatem non ſufficere, ad emolliendos latentes hoſpites. Hinc peculiarem juſſi parare forcipem, qua Chirurgus indies particulas defringere ſtuduit, donec tandem ſucceſſive, ſpatio unius menſis omnes tres calculi exempti fuere feliciter. Quotidie jam Thee hoc bibit et ſaniſſimus vivit. Exempla plura dare poſſum, ſi quis velit; ſed haec ſufficere credo. Uſus ſum praeterea hactenus iſthoc Thee Romano in catarrhis, ubi incidendum erat, bono cum ſucceſſu, item in ſcabie et morbis venereis, quae omnia hic recenſere, nimis longum foret, et praeter intentionem. Unicum ſaltim adhuc addam, quod contigit in priori anno, ad probandum, quod et utile topicum eſſe poſſit. Militis cujusdam uxor lue venerea affecta, conſilium meum petiit: aderant autem praeter alia duo bubones in inguinibus, et tumor pudendorum, ut prae dolore difficulter ſederet. Praemiſſis praemittendis et datis antivenereis cum decocto lignorum, Thee Rom. in cereviſia infuſum, bubonibus pariter ac pudendorum tumori calide intra lintea applicuit miſera, felici eventu: reſolutis enim ſic bubonibus et tumor moleſtus diſparuit. Caeterum cur iſtud Thee dicatur Romanum, hanc cauſam eſſe exiſtimo: quia ſemen Roma in Germaniam translatum fuit, et quantum ego novi, primum a Jeſuitis, quorum commendatione res eo rediit, ut exoticum hoc deſideretur ab omni-

bus fere Magnatibus; Thee autem nomen forſan gerit, quod a conſuetudine hodierna, folia haec, Thee Chinitici ſimilitudinem habentia cum aqua fervente infundantur, et infuſum hocce ad ſorbillandum exhibeatur. Principem novi Reverendiſſimum et aliquot Nobiles, qui jam Thee Romano utuntur pro Chinitico: hinc dictorum plura teſtimonia impoſterum ſecutura eſſe ſpero. Deſtillavi nuper hanc herbam cum ſemine, per ſe, ex retorta vitrea: prodiit primum phlegma ingrati odoris et ſaporis, limpidum tamen, quod ſequebatur ſpiritus volatilis urinoſus, et hunc oleum nigrum empyreumaticum, aeque faetens ac cornu cervi vel tartari. Aqua deſtillata ex veſica inſtar naſturtii ſapit, magis tamen ingrata. Extractum dat largius fuſcum, dulc-amarum, inter guſtandum linguam feriens, et ori frigus inducens, uti nitrum. Tandem quaerenti, an exoticum hoc olim non cognitum fuerit? reſpondeo: mihi videtur idem eſſe, quod Botrys Mexicana, de qua ſcripſerunt Franc. Hernandez in hiſt. nat. Mexican. Joh. Rajus in hiſt. plant. Caſp. Bauhin. in app. ad Pinac. Ephemerides Nat. Cur. Dec. I. ann. IV, ne plures laudemus.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. Johannis Adami Göritzii.

Ileon diſciſſum et extra abdomen dependens.

NOtiſſima res eſt, monſtra fieri in medicina, nihilque tam abſurdum eſſe in mundo, quod non accidere poſſit corpori humano, eruditiſſimus Pechlinus ſuo jam tempore conqueſtus eſt. Prae aliis Medicos talia notare, vel ſolae Germanorum Ephemerides teſtis eſſe poſſunt ſufficiens, licet plures alii Medici in peculiaribus tractatibus ſtupenda plane literis conſignarint. Tale quid jam referam, cujus oculatus teſtis ipſe fui. Ante VI. annos, et quod excurrit, hic Ratisbonae a multis hominibus conſpiciebatur Margaretha Niſſlin/Sigenburgo veniens, quod eſt oppidulum in ſuperiori Bavaria, cui extra abdomen inteſti-

teſti-

teſtinum dependebat, Miſera haec, cum et a me peteret eleemoſynam, hanc hiſtoriam retulit: ſe ante tria luſtra gravidam diu geſtaſſe foetum mortuum, tandem ad latus umbilici dextrum abdomine rupto in conſpectum veniſſe embryonis pedes, quibus extractis ab obſtetrice imperita putridis, reliquum corpus remanſiſſe, et fruſtillatim demum intra X. hebdomades extractum fuiſſe, ſub foetore intolerabili. Prodiiſſe tunc temporis ſimul inteſtinum quoddam, hoc obſtetricem, cum haberet pro ſecundinis, per medium diſſecuiſſe, cujus partem breviorem retractam fuiſſe intra abdomen, longiorem vero adhuc extra abdomen conſpiciendam eſſe, per quam his XV. annis naturam ſe purgaſſe, et nil amplius per inteſtinum rectum excreviſſe. Re altius expenſa, cum multa viderentur paradoxa, ut oſtenderet mihi hoc inteſtinum petii, quod libere fecit, uti etiam multis Nobilibus hujus loci aliis, exhibens ſimul duo teſtimonia a duobus Medicis in fidem hujus miraculi ſcripta. Fateor, horrui primo adſpectu motum periſtalticum hujus inteſtini, et ſordes foetidae nauſeam mihi crearunt; hinc illam altero die magis mundam redire juſſi. Quo facto, corpore detecto, inteſtinum hoc ſumma cum admiratione perluſtravi, quod inſtar vermis ſe movens excrementa evomebat, qua occaſione et glandulas inteſtini et motum periſtalticum obſervare licuit. Hoc inteſtinum pars ilei fuit ad longitudinem dimidiae ulnae noſtratis; de meſenterio autem et pinguedine parum vel nihil habens, quod pannis calidis involvere, et bis in die mundare ſtudebat, alias mirum in modum a colica torquebatur. Ulcus abdominis perfecte conſolidatum erat, nec aliud quid querebatur niſi tormina, hinc multas civitates percurrens, demonſtrationibus ſuis lucrum quaeſivit. Miſertus ego hujus miſerae, data eleemoſyna, per teſtimonium illam aliorum quoque miſericordiae commendavi.

(*Ratisbona Auguſtam Vind. d. 26. Januar. A. 1717. miſſae.*)

Confer. Ephem. noſtr. Dec. 1. Ann. III. Obſ. 8. Ann. VIII. Obſ. 229. et Cent. III. Obſ. 6.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. Samuelis Steurlini.

Sectio virginis Hydrope ſaccato laborantis deſperata et infeliciſſima.

IN extremis extrema aeque ex patientis impatientia ac ex operatoris medicaſtri audacia nonnunquam ſolent tentari: Virgo enim nomine Catharina Magdalena Steübin / Pharmacopoei Kaldennordheimenſis in Franconia filia ob pietatem cariſſima, 1683. d. 1. Jul. nata, 1709. 16. Aug. denata, ſicque annorum 26. ante octo circiter annos ſentiit in interna lateris ſiniſtri parte increſcentem globulum verſus dextrum quandoque mobilem, poſt tertium vero annum ex mole ipſius aucta coguntur excrementa alvi (juxta effatum ipſius aegrotantis parentis) ſuperiora verſus ejici, qui motus excrementorum perverſus alias lethalis, per dimidium anni duraſſe, tandem vero fuiſſe mitigatus, dicitur, adhibitis ſcilicet quibusdam a patre medicamentis, cum continuo tamen remanente vomendi conatu et paſſione hyſterica, collum verſus aſcendente, ex qua colli inflatio quandoque fuit orta, motusque quaſi vitalis corporis in concavo latitantis ſe repraeſentavit, cum extremarum partium ſanguineis prodeuntibus maculis et menſium fluxu nunc imminuto, nunc nimio ad tertiam vel ſextam usque ſeptimanam cum grumis ſanguinis quandoque continuato; ante aliquot menſes iterum alvi excrementa per os evacuare cum minaretur natura, patiens impatiens, mori melius eſſe, concludit quam vitam plane quaſi mortuam vivere, proinde anxie deſiderat aegrotans auxilium cum praeſentaneo vitae ſuae periculo et quidem ab operatore ſive Chirurgo militari, Dn. Joh. Jac. Freitagio, quippe qui praeſentibus, Dn. J. C. Müllero, Med. Pract. et Dn. Joh. Jac. Hoffmanno Jur. Pract. et Advoc. ord. Kaldennordh. praemiſſisque precibus deſiderio patientis intimo

mo ſatisfacturus ſiniſtrum ſecuit latus circa lumbos, ſimulque viſitando poſt inciſionem inſtrumento, ex quo ſectionis locum occupat materia, qua inſtrumento acuto denuo penetrata, ingens exſiliit aquae quantitas ultra 14. menſuras, vulnere vero aliqualiter compreſſo, ortae fuere convulſiones et horrendi coloris vomitus cum nimia ſubſecuta debilitate et citiſſima vitae extinctione: Emortua tunc ulterius viſitata, aquoſum ſacculum pene totum ſiniſtrum latus occupantem, diaphragmati et lieni adhaerentem cum ipſius lienis circumvolutione et ductu quodam craſſo renem verſus ſiniſtrum tendente demonſtrat; renis ſiniſtri color erat pene coeruleus et ſubſtantia grandior dextro, cor apparuit flaccidum cum ſanguinis aliquali defectu, reliqua viſcera, ſtomachus cum pulmonibus et hepate erant ſalva, ſacculus aquoſus penitus evacuatus ultra 28. menſuras aquae retinuit. Hic verum illud deſperatorum aegrotantium: Melius eſt mori, quam vitam dicere mortem; et ulterius eſt verum: Non audet Stygius Pluto tentare, quod audere ſolet raſor, et audax medicaſter Chirurgus ſoſtri cupidus: Apud Juriſperitos regula alias eſt: Involuntarium ex voluntario ortum trahens habetur pro voluntario: hoc in caſu involuntarium fuit, mortem inferre, voluntarium vero aegram ſanare, ſed quia involuntarium ex voluntario fluere hic juſſit neceſſitas, omnino etiam habendum pro voluntario et poena merita operator affici debuiſſet. Quod aegrotam ipſam attinet, ea iſtud Ciceronis monitum merito obſervare debuiſſet dicentis: Tibi et piis omnibus retinendus eſt animus in corporis cuſtodia, nec injuſſu ejus, a quo nobis ille datus, ex hac migrandum vita, ne munus humanum a Deo aſſignatum defugiſſe videamur. A Stoicis quidem laudata αὐτοχειρία, a Venetianis et Judaeis in periculo cum hoſte permiſſa, ſed impie: Sectionem ipſam quod ſpectat, potuiſſet fieri apertio lateris et ſacculi aquoſi per paracentheſin ſucceſſive aquam e ſacculo evacuando, ſicque ulterius patiens potuiſſet ſervari, usque dum ipſa natura absque vi illata ſuccubuiſſet.

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. Samuelis Steurlini.

Foetus putridus ſub umbilico ex vivae matris utero occaſione ulceris extractus cum matris reſtitutione.

Quaedam ſartoris uxor in ditione Saxo-Naumb. Henneber-gica, prope Suhlam habitans ultra 13. menſes gravida etc. Anna Barbara, conjux Joh. Schneideri, ſentiit ultimis geſtationis menſibus horrores frequentes cum calore febrili ac partium ſolidarum conſumtione, naturae interitum praeſagientes, tandem animadvertit gravida ſub umbilici regione locum dolentem cum inclinatione ad exulcerationem; unde vocatus Chirurgus Suhlanus Dn. Joh. Steph. Dombard loci aliqualem tentat inciſionem ob mortificatam inibi carnem ex putredine intus latente, hac facta, ſe repraeſentat foetus putredine foetidus, quem particulatim et ſucceſſive, cooperante natura, aeque per ulcus ac per orificium uteri extrahit, uterum ſimul apertum retinendo calidis per ſyringam injectis liquoribus balſamicis: Mater febre putrida penitus emaciata temperatis nutritivis ac balſamicis ſpatio quadrantis anni priſtinae reſtituitur ſanitati, et ulterius ad geſtationem manet apta, conſolidato ſcilicet uteri latere, peritonaeo et alvi exulcerata parte. Mirum, quantum natura in durioris quibusdam conſtitutionis ſubjectis valeat, ita ut adjuta aliqualiter tantum mirandum in modum ſe ſervare admittat, cum alias in delicatulis citiſſime etiam adhibitis omnibus roborativis leviſſimo ſuccumbat natura morbo.

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. Samuelis Steurlini.

Alvi obſtructio duriſſima Iliacam minitans paſſionem, leviſſimis curata.

OCto annorum foemella cupediis dedita, naturae aliquando ſatisfactura ſtomachum atque alvum acaciae fructibus, coctis quidem aſt frigidis, penitus complet, ita quidem, ut undique tota alvi circumferentia nodoſa ex acaciarum nucleis ſentiatur, cum corporis aeſtu atque alvi obſtructione contumaciſſima, vomendique conatu, iliacum minitante morbum. Ex defectu remediorum et inſtrumenti pro clyſteribus ad eluenda inteſtina neceſſariis, ſtatim Nicotianae decoctum ex lacte praeparatum cum linteis calide fuit applicatum, interne propinato ☿ dulci cum pulvere Gial. unde citiſſime alvo aperta ejecit foemella acervatim acaciarum nucleos absque ſubſecuto Iliaco, qui alias, ne motus periſtalticus inverſus adaugeatur clyſteribus, iisdem non tractetur, et feliciſſime fuit reſtituta.

OBSERVATIO XX.

Dn. D. Samuelis Steurlini.

Tympanites uterina cum gravidatione lethalis.

MUſici cujusdam nomine Dn. Holtzhein conjux gravidationem ſentit cum enormi alvi inferioris inflatione, accedente partus tempore neque obſtetrices neque agnati gravidae ipſis ſuis manibus vel digitis uteri orificium internum penetrare, multo minus foetum promovere poſſunt, ob uteri fortiſſimam conſtrictionem, unde miſera miſere extincta periit: inter corporis ſectionem ſtatim minima facta uteri inciſione, flatus inibi collecti tanto cum fragore fuere exploſi, ut horrore adſtantes concuterentur omnes; erat enim tantus, quantus ex inſtrumento

ſclo-

ſclopezante minori, pulvere pyreo accenſo fieri poteſt; foetus male ſituatus extractus mortuus lividi erat coloris. Sic generari atque concludi poſſunt flatus in quavis corporis concavitate, ubi viſcoſum flatulentum calore debili naturae movetur atque in flatus ſive ſpiritus ſylveſtres extollitur.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. Samuelis Steurlini.

Imprudentiſſima herniae carnoſae in ſene ſectio.

Diu gravatus ſenex hernia carnoſa ab operatore quodam ad ſectionem perſvadetur, poſthabitis omnibus a probatis Medicis monitis, ut ſcilicet ſenectute ſic ſatis confectus a ſectione herniae abſtineat ob vaſa maxime diſtenſa et craſſa, quae vix a ſe invicem ſeparari, indeque haemorrhagiae cum inflammatione partium lethali difficulter praecaveri poſſint, hisce parum penſicatis ſe cultro ſenex ſubmiſit, poſt primam factam inciſuram ſtatim ingens aquarum copia in altum proſiliit, tunicarum ſeparatio laborioſa et perdurans ingentes concitabat dolores cum haemorrhagiis, vaſa conſtringebantur craſſioribus funiculis ſericeis non ſufficienter eadem comprimentibus, ſeparatarum tunicarum abſciſſio contra omnem rationem proxime a ligatura inſtituebatur, unde ligatura ſtatim iterum decedente exceſſiva oriebatur haemorrhagia, vaſa iterum e corpore extracta ligabantur fortius in patiente vix adhuc ſpirante, unde praeteritis tribus vel quatuor diebus ſubſecuta fuit febris, partium genitalium inflammatio et mors a medicis praenuntiata violenta. Sic luditur de corio humano ab operatoribus inconſcientioſis, crumenimulgis, lucri non ſalutis morbidi cupidis, quibus magiſtratus juſtitia et pietate praeditus absque praemiſſo Medici examine merito operationem inhibere debet omnem, faciens enim atque conſentiens eadem poena ſunt digni et uter-

que

que olim coram judicio divino pro conſcientia reſpondere tenetur.

OBSERVATIO XXII.

Dn.D. Samuelis Steurlini.

Scabies humida vermicularis chronica difficulter curabilis, domeſtico curatur.

MEdiae aetatis foemina ſcabiem humidam cum puſtulis majoribus, cutisque foraminulis patitur incurabilem, ordinariis medicamentis diu adhibitis, demum vero vaccae ſtercus vini ſpiritu repetitis vicibus probe extrahitur, indies cochleatim propinatur et patiens integrae reſtituitur ſanitati, expulſis per urinam et ſcabiem tenuioribus inſtar filamentorum vermiculis, demonſtratis iisdem in vaſe vitreo: ſimiles vermiculi multoties fuere obſervati in variolis diu in cutis ſuperficie haerentibus: iis enim apertis vel inſtrumento, vel olei ♀ uſu, apparuere filamentoſi vivi, et ſub variolis foveae inſtar vermiculi tortoſae diutiſſime fuereu conſpicuae.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De Oſſibus ſeſamoideis.

SOlertiſſimus per quadriennium, et quod excedit, nuper auditor noſter, *D. Chriſtoph. Jac. Trew*, nunc digniſſimus Medicinae Doctor, obſervationem anatomicam Ephemeridibus his inſerendam curavit, *de quibusdam Oſſibus, ſeſamoideis dictis*, hoc tempore non adeo cognitis, quae ſuo marte in cadaveribus a nobis diſſectis invenit; qua in obſervatione illa oſſicula accuratius quoque delineavit, quam ab aliis, quantum nobis ſaltem conſtat, factum eſt.

Et ut verum fateamur, haec ab ipſo deſcripta oſſicula, praeſertim ea, quae in femore locantur, non dari olim exiſtimavimus:

Mo.Bot. Garden.
1902.

mus: cumprimis, quia *Celeb. Rauvius*, noſter in anatomicis, et praecipue oſteologicis Praeceptor (cui hactenus graves ob rationes fidem adhibueramus) ea in collegio ſuo non ſolum negavit, ſed etiam in Oſteologia ſua manuſcripta, quam olim mecum, aliisque cum auditoribus ſuis communicavit, ita de oſſibus ſeſamoideis locutus eſt. *Notandum*, inquit, *me oſſium numero non plura oſſa ſeſamoidea adſcribere, quam decem*, a) *duo ſcilicet ad ſecundum articulum utriusque pollicis manus et pedis*, unum *in utroque tendine muſculi tibialis poſtici.* b.) *Caeteri digitorum articuli NVNQVAM haec habent, rariſſime praedictus tendo.* Atque ſic *Rauius*, ut ex dictis apparet, illa in femore ſita, et a *Trevvio* ſupra delineata, prorſus tacet: ſicut etiam ea in oſtentatione et explicatione oſteologiae ſuae non tantum omiſit, verum etiam, praeter enarrata decem, omnia reliqua ſeſamoidea, quorum apud Auctores mentio fit, prorſus negavit.

Deinde cum viderem *Hornium* in ſuo microcoſmo, huiusque commentatores, ut et alios Auctores haec oſſicula quoque praetermiſiſſe; nec non *Verheyenum* in ſua anatome c) illa in femore locata, non ſua obſervatione et experientia, ſed tantummodo ſecundum *Bartholini* aſſertum commemoraſſe; imo *Marchettum d*) aſſeveraſſe, ſe nunquam haec oſſicula in femore a quibusdam deſcripta, reperire potuiſſe, quamvis multis in cadaveribus ea inveſtigaverit: hinc ſententiae *Rauii*, quem in oſſibus valde exercitatum ſciebam, eo fortius adhaerebam, praeſertim, quia ipſe etiam ea ſaepius, neſcio qua de cauſſa, fruſtra inquiſiveram. Aſt *Trevvii* demonſtrationibus totus convincebar, dari omnino oſſa ſeſamoidea aliis adhuc in locis, quam quae a *Rauio* (quod tamen pace tanti Anatomici dixerim) mihi indicata erant.

Dum

(a) dum alii triginta imo quadraginta numerant. b) Forte *peronaei poſtici* ſcribere voluit: nam ego cum *Veſalio*, non in *tibiali poſtico*, ſed in *peronaeo poſtico* os ſeſamoideum inveni. c) cap. de oſſibus ſeſamoideis. d) Anat. cap. XIX. ubi de muſculis gaſtrocnemiis agit.

Dum vero editionem compendii mei Anatomici nuper pararem, et Anatomicos quamplurimos denuo curatius pervolverem, atque ex nonnullis intelligerem, duo oſſicula ſeſamoidea in ea femoris parte in ſenibus reperiri, ubi muſculi gaſtrocnemii originem habent, et nominatim quidem ex *Veſalio,* e) *Riolano,* f) (qui primam eorum obſervationem Veſalio adſcribit) *Bartbolino* g) et *Munnickio* h); Ex *Fallopio* vero i) et *Cowpero* k) eos tantum unicum ibi reperire potuiſſe, quod idem eſſe putamus, quod *Trewius* noſter ſupra deſcripſit, nunquam vero adhuc duo invenit: hinc hujus conſenſu hic monere volui, haec oſſicula, quae ab initio mihi aliisque eruditis nova videbantur, nova quidem non eſſe; attamen, quia hoc tempore fere oblivioni tradita erant, et a magnis anatomicis, ut *Marchetto*, *Hornio*, *Rauio*, aliisque forte multis videri aut reperiri non potuerunt, iisque vel ficta, vel ſaltem dubia viſa erant, non ingratum eſſe putamus curioſis Anatomicis, quod *Trewius* ea quaſi reſuſcitaverit, novis experimentis comprobaverit, atque accuratam ſimul delineationem dederit: et licet inventionis gloria ipſi proprie adſcribi nequeat; tamen honor inſtaurationis et primae delineationis merito ei competit: Multum enim accuratae delineationes et deſcriptiones partium ad anatomen perficiendam perfectioremque reddendam faciunt.

(e) de humani corporis fabrica Lib. I. cap. 28. f) Anthropograph. Lib. V. cap. 43. g) Anatom. Cap. de oſſib. ſeſamoid. h) de Re Anatom. §. LXV. ubi de oſſib. ſeſamoid. agit. i) Obſervat. Anat. mihi p. 441. k) Myotom. Reform. Cap. 34. p. 206.

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reuſneri.

Tentamina ſeu Experimenta Phyſico-Chymica facta cum aqva Fontis Sulphurei Sileſiae inferioris in Ducatu Jaurovienſi prope Leobergam.

IN pago Neuland, qui uno milliari diſtat ab urbe Leoberga, duobus a Boleslavia, ex alneto aqva exſurgit e terra petroſa; coloris eſt clari limpidi; ſaporis ſub-adſtringentis, odoris, pro ratione tempeſtatis, plus, minus ſulphurei: inſtante enim mutatione aëris et athmoſphaerae, manifeſte odor ſulphureus obſervatur, hinc incolæ et accolae Fontem communiter vocant den Schweffelbrunn. Poſſeſſorem veneratur Excellentiſſimum et Illuſtriſſimum Joh. Carolum Comitem de Noſtiz et Rheineg, Dynaſtam in Kockeniz, Köben &c. Sac. Caeſareae Majeſtatis Conſil. Actualem Intimum, et Imperatricis Viduae Wilhelminae Amaliae a ſecretis conſiliis et Aulae ejus ſupremum Miniſtrum, Dn. meum Gratioſiſſimum; juſſu Parentis ejus piae memoriae Anno 1711. ſeqventia feci experimenta, propriis manibus, quae bona fide Celeberrimis et Honoratiſſimis communico Collegis, ordineſ quo facta.

1. Oleum ♀. p. d. praecipitat hanc aqvam, in momento lacteſcit, tandem ſedimentum deponit, pulverem ſcilicet albiſſimum.

2. Aqva haec per evaporationem concentrata, et alumine ſaturata cum oleo ♀. p. d. potenter ebullit et efferveſcit, in fundo praecipitatur pulvis albus.

3. Spiritus acidi v. g. vitrioli, nitri, ſalis com. aqvam hanc, qvamvis concentretur, plane non alterant.

4. Solutio ☿ii ♎ti nullam reactionem cum aqva hujus fontis facit.

5. Alcalia fixa, in ſpecie Limat. ♂tis, C. C. uſt. itidem aquam non alterant.

6. Spi-

6. Spiritus ſalis Armoniaci praecipitat aqvam in inſtanti eodem modo, prout ol. ♀. p. deliqu. facit. Idem oritur effectus cum Nitro Fixo vel Alkaheſt Glauberi.

7. Nitrum commune in aqva hac ſolutum, et ol. ♀. 🜄tum, pulverem quoque album deponit, quod fieri non ſolet cum Nitro, in aqva ſimplici ſoluto.

8. Saccharum ♄ni itidem 🜄tat pulverem albicantem, imprimis ſi parum evaporata ▽. (facta autem fuere pleraque experimenta cum aqva concentrata.)

9. Menſurae 7. aquae hujus deſtillatae, in fundo reliquerunt ℥ij. ponderis Medicinalis, pulveris gryſei, odoris et saporis nullius, qui oculo armato ſubjectus, alumen referebat, prunis impoſitus pulvis, ſtrepitum nullum fecit, prout Nitrum, aut reliqva Salia. In Recipiente nihil ſpirituoſi vel ſulphurei, odore vel ſapore obſervavi.

10. Decoctum Gallarum Turcicarum cum aqua hac, non nigreſcit, prouti fieri ſolet in aqvis Vitriolo embryonatis, ſed ſpadiceum acquirit colorem.

11. Gravitate quoque ſuperat aqva Fontis hujus fontanam communem.

12. Solutio Vitrioli in aqua communi facta nullam mutationem, ebullitionem aut reactionem, nec quoad colorem facit.

13. Cochlear argenteum aqvae huic concentratae, etiam calidae, immiſſum, nigrum non acquirit colorem.

14. Cum oleo ♀. p. d. in momento lacteſcere aqvam, Experimento 1. probavi, ſi Spiritus vitrioli inſtilletur, nova oritur ebullitio, liqvor demum clareſcit, in fundo remanet pulvis albicans.

15. Sal commune culinare ſolvitur in hoc fonte, ſine omni motu et ſtrepitu et clara manet aqva.

16. Solutio Lunae cum aqva forti parata, aqvam fontis hujus turbat, ſi fuerit concentrata, per noctem praecipitat pulverem gryſeum.

17. Aqva haec in cupreo vaſe ad horas aliquot cocta, cir-

ca latera albeſcit et ſpumeſcit, prout de aqvis Italiae Anticoli in Campania obſervavit Baccius de Balneis univerſi Orb. l. 2. c. 3. et tandem pigmentum album deponit. His Baccius pro principio activo adſcribit Nitri et calcanthi ſubtiliſſimas et puriſſimas illorum partes. (Ex hac ratione nemo unqvam ex indigenis arenularum aut urinariorum meatuum morbis laboravit.)

18. Terra catechu, quae potens eſt ſuccus adſtringens, ſolvitur in hac aqua, filtrumque tranſit, ſolutio autem non nigreſcit, aqvilum vero acquirit colorem.

19. Acetum Vini deſtillatum, quod liquores ſulphureos turbat et praecipitat, aqvam noſtram concentratam plane non alterat.

20. Syrupus Violarum, aqva dilutus, additione fontis hujus colorem non amittit coeruleum, quod alias acidi et ſulphurei praeſtant liquores.

21. Infuſum Herbae Thee, Veronicae non alterat aqvam hanc, quod faciunt aquae Vitriolicae. Infuſum enim Thee additione granorum paucorum Vitrioli in momento nigreſcit.

22. Omnes Alcalini liquores extrahunt ex Rhabarbaro Orientali colore rubicundiſſimo Tincturam, Aqva autem noſtra flavo ſaltem tingitur colore.

23. In hyeme fumum fons emittit, neque Anno 1709. quo frigus erat intenſiſſimum, glacie fons erat obductus.

24. Lac cum aqva fontis hujus coctum, in coagulum abit; ſulphureum et nauſeoſum ſpirans odorem, ſaporis ingrati, nauſeoſi, adſtringentis.

25. Solutio Aluminis in aqva ſimplici, cum hac aqva nullam reactionem vel mutationem facit.

26. Cum calcinaſſem reſiduum pulverem per [symbol]tionem paratum ad horam unam, et in aqva calida ſolviſſem, praevia evaporatione, ſal accepi flavo albicans, ſaporis ſubadſtringentis, in cryſtallos nullas abiens. Solutionem hanc neque Spiritus acidi, nec Alcalia fixa praecipitabant, in ſummitate ſupernatabant

tabant ſquamulae, prout in Acidulis bonae notae obſervamus. Idem liqvor nullam reactionem facit cum Mercurii ſublimati ſolutione.

27. Menſe Septembri, ante Aequinoctium Autumnale, (quo tempore, monente Columella, fontes examinandi ſunt,) arenae bene lotae ℔ß. ex fundo fontis, lege artis ſublimavi, an flores colligere poſſem, auxi ignem per gradus, ſed nulli aſcendebant flores, arena autem nigro colore tingebatur, qui color facta calcinatione, mutabatur in album; durante calcinatione, crucibulo injeci nummum argenteum, qui atro colore notabatur; certo indicio ſulphureas intime mixtas adeſſe particulas, Vulcano recludendas.

28. Placuit altius rimari arenam, quia, judice Plinio, Lib. 31. c. 4. Naturae Myſta indefeſſo, Talis eſt aqva, qualis eſt terra, per qvam fluunt: Sublimavi igitur arenam hanc denuo cum ſale Ammoniacet ſale ♀ officinarum ſcilicet cineribus clavellatis depuratis, collegi Flores ſalis Ammoniaci volatiles more ſolito, praeterea nihil memorabile obſervavi.

29. Prope Fontem aqva colligitur et conſtituit lacunam, in cujus aqvae ſuperficie ſupernatat cremor ſalinus ſubtiliſſimus, bituminis inſtar telaeque aranearum, odoris Vitriolico Sulphurei, prouti in Acidulis Egranis probatae fidei. In hac lacuna muſcus creſcit, qui brevi tempore extra aqvam in marginem projectus, obſtetricantibus radiis ſolaribus, Tartaro obducitur et pene petrificatur, odoreque ſulphureo imbuitur. Revocat hic muſcus in memoriam ſimilem obſervationem ex Kircheri Mundo ſubterraneo, qui prope Roncolanum Senenſis Territorii oppidum duos fontes invenit calidos, in quibus herbae, extra aqvam projectae (natae vero in illis) in lapides convertantur. Similem quoque fontem prope Jenam eſſe, qui non ſolum herbas, ſed et ligna tartaro obducit, et pene in lapides convertit, Curioſis ex Ephem. noſtris notum eſt.

30. Solutio cinerum muſci praedicti cum aqva ſimplici, ſulphureum ſpargit odorem, et cochlear argenteum per noctem

impo-

impoſitum nigro notatur colore, more aqvarum ſulphurearum.

31. Ruticolae in vicinia innoxie bibunt hanc aquam; prout incolae prope Claramontium in Arvernia, Galliae Provincia, aqvam fontis illius petrificantis, qui in fundum lagenae deponit nonnihil ſabuli gryſei et lapidis albicantis; qui innoxie potui adhibetur, ſine periculo calculorum in renibus corporum noſtrorum formandorum. Lapides enim Minerales et calculi corporum humanorum nihil inter ſe commune habent, teſte Lemmery in Hiſtor. *Reg. Scient. du Hamel. p. m.* 305. Meretur ulteriorem indagationem Fons noſter, fateor; ſed propter diſtantiam loci plura nondum licuit inſtituere Experimenta, praeter hoc ultimum.

32. In ipſo pago eruitur gypſum; calcinavi igitur ℔ij. coqui juſſi in aqua ſimplici, ſolutionem (qvae erat clara, limpida fontis inſtar) praecipitavi oleo ♀. p. d. et pulvis albicans, i. e. gypſum tenuiſſimum fundum petebat.

Ab his Experimentis Chymicis concludo; Sulphur, Lapidem Calcarium, et Sal aluminoſum, principia eſſe activa Fontis hujus.

Sulphuris praeſentiam arguit.

1. Odor ſulphureus. Omnis enim odor eſt a ſulphure, qvemadmodum ſapor a Sale. Hinc fons, ut dixi, in tota vicinia appellatur der Schweffelbrunn. Probabile eſt fontem continuo eructare ſulphurea effluvia, ſeu ſpiritum acidum volatilem, qui aerem ſublimiorem ſeu auram petit, non ſemper in ſenſus incurrens: tempore autem pluvioſo, dum athmoſphaera craſſioribus impletur effluviis, ſpiritus deprimitur ad centrum telluris, ut nares magis offendat; et haec, me judice, eſt ratio: cur uno vel altero tempore plus minuſve in ſenſum odoratus incurrat.

2. Tepor in hyeme, fumum enim emittit ad diſtans ſpatium, prout Albula qvondam in Latio, notante Baccio de Thermis p. 56.

3. Sapor amaricans ſulphureus, qui magis in calefacta,

qvam

qvam frigida obſervatur aqua, ingratus enim ſapor terret vicinos, ut ab ejus uſu ad uſus culinares ordinarie abſtineant.

4. Arena calcinata nigrum induens colorem, odoreque ſulphureo imbuta.

5. Quia muſcus ex lacuna (qui natales ſuos agnoſcit ex hac aqva,) odorem ſulphureum habet, et ſolutio ejus facta prius incineratione, cochlear argenteum nigro tingit colore. Vide ſupra Exper. 29. 30.

Per lapidem calcarium, qui ſecundum eſt principium fontis noſtri, non intelligo in ſenſu ſtrictiori, ſaxum verum, quod uſtum in calcem abit, in aquis ſtridet, ferveſcit, aeſtumque excitat; ſed materiam quandam gypſo cognatam, quae de natura et prima materia gypſi eſt, in aqua adhuc fluida, et in magno Circulatorio terrae quaſi elaborata, quae facta praecipitatione cum oleo ♀. p. deliqu. et Alcalicis liqvoribus fundum petit, qvalis etiam in Thermis Teplicenſibus invenitur et D D. Bergerus Tr. de Therm. Carolinis, ipſis Thermis adſcribit, et Liſterus de Fontibus Angliae Medicatis p. 33. omnibus fontibus ſoteriis in Anglia, pro principio activo attribuit, quo lapide calcario in Anglia omnes montes abundant, quique ſolus cum pyrite inter Mineralia, de natura Exhalantium eſt; et haec eſt ratio: cur certis temporibus plus minus fumare ſoleat, ſulphureumque ſpirare odorem, nec anno 1709. quo per totam Europam intenſiſſimum frigus fuit, non congelatus. Talis lapis calcarius cognoſcitur

1. Quia ſecundum Exper. 1. ol. ♀. p. d. praecipitat pulverem gypſo analogum.

2. Verum gypſum in vicinia eruitur, lapides molares, et calx viva parantur.

3. Quia per Experimentum ultimum patet; ſolutionem gypſi calcinati parum differre ab aqua fontis hujus, et praevia praecipitatione c. oleo ♀. p. d. tenuiſſimum pulverem gypſi fundum petere. Sapit igitur aqva naturam Terrarum, per quas circulatur.

Tertium Principium Activum Fontis hujus videtur eſſe Sal Aluminoſum, per quod non intelligo verum alumen, ſed materiam qvandam, quae proxime accedit ad naturam aluminis; idque ex ſeqq. rationibus:

1. Ubi gypſum, ibi quoque praeſentia aluminis eſt, gypſum enim eſt de natura aluminis et quaſi minera ejus cruda et ſiccisſima, judice Baccio, l. a. p. 316. quin imo alumen contumax.

2. Experientia probat: Omnes aqvas aluminoſas, accedente Alcali, albeſcere, et ad fundum praecipitare pulverem albicantem; idem autem fieri cum aqua fontis hujus, in ſuperioribus probavi.

3. Quia lac cum aqua hac coctum, in momento in coagulum abit. vid. Experimentum 24.

4. Quia calcinatum fontis reſiduum (per coctionem paratum) in aqua communi ſolutum et evaporatum, ſaporem aluminis refert, et linguam conſtringit.

Haec ſunt Principia activa Fontis hujus, unde omnis effectus deducendus: non excludo tamen Nitrum, vel potius Aphro-Nitrum; gypſum enim habet Sal nitroſum, obſervante du Hamel Act. Reg. Pariſ. p. m. 32. et in cellis vinariis in Gallia in Nitri ſpeciem effloreſcit. Nunc indagandum foret: an aqua Fontis hujus Thermarum vices ſupplere poſſit? Notum enim eſt, frigidas aquas medicinales in montanis Corſicae ad Eſum pagum eſſe, quae tamen calefactae, ac in balneis uſurpatae, mirifica quadam digerendi virtute pollent. Sic apud Helvetios, in agro Tigurino, aqua ſcaturit e tribus fontibus frigidisſima, ex quibus unus ſulphureus. Vid. Wagn. Hiſt. Nat. Helvet. p. 123. Quid dicam de Fonte S. Johannis in Bohemia, cujus aqua vix eſt ſubtepida: Quid de Fonte frigido prope Lignitium in Sileſia inferiore, cujus aqua calefacta loco Thermarum uſurpatur, et non contemnendas virtutes habet? Gaudet enim Tartaro Martiato, Bitumine, Sale Terrae et Sulphure, teſte D D. Volckmanno, Practico apud Ligniceníes celeberrimo, amico pluri-

plurimum colendo, qui nomine Collegii Medici Fontem hunc Phyſice et chymice examinavit, propediem forſan editurus deſcriptionem. Examinandum quoque foret: An aqva fontis hujus calefacta, virtutem ſuam amittat? vel majorem acqvirat? Poſterius magis videtur eſſe probabile: quia in experientia radicatum: Aqvas ſulphureas cum particulis adſtringentibus v. g. aluminis, ferri, parum vel nihil amittere de virtute illarum; probant hoc Acidulae calefactae, pro balneis uſurpatae: Aquae Albulae quondam in Latio, quae teſte Galeno, Caelio Aureliano, Scribonio Largo, Aëtio, lumen cum Sulphure pro principio activo agnoſcebant, et in magno erant pretio. Imperator enim Auguſtus, conſilio Antonii Muſae Archiatri ſui, praeſentia ſua condecoravit, et ipſemet aquis his pro balneis uſus. Nunc uſus illarum expiravit ab annis nongentis, neſcio qua temporum fatorumque injuria. In noſtri autem Fontis aqua particulas adſtringentes v. g. aluminis, lapidis calcarii, concurrere cum ſulphureis, ſufficienter in ſuperioribus probatum. Sed quorſum dilabor? Has et ſimiles quaeſtiones reſervabo ulteriori experientiae. Difficile enim eſt a priori de aquis Mineralibus ferre judicium. Suſpendo igitur et meum, in quibus morbis conducant, Deo et die reliqua committendo.

(*Jauera Siles. Auguſtam Vind. d. 20. Mart. An. 1717. miſſa.*)

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Cardialgia Hirudinoſa.

Joh. Ulricus Gernlerus, Molitor Baſil. diu ſanus et incolumis vixit, tandem vero cum A. 1712 Enteroceles malo per felicem caſtrationis ſucceſſum liberatus, poſteaque ad extremam pauperiem redactus eſſet, pravo ſemper victu nutriri coactus fuit, unde paulatim Cacochymiam ſalſam, tandemque ſimul foe-

dam ſcabiem contraxit, a qua per inſequentem hyemem, usque ad aeſtivum Anni 1714. tempus maxime vexatus, Badam Helvetiorum conceſſit, ſulphureis ibidem Thermis ad ſui morbi curationem uſurus; hoc autem in itinere pedeſtri per aeſtuantem äerem inſtituto ſiticuloſus ſaepe factus, obvias qualescunque aquas, quas quidem limpidas, clarasque offendit, putavitque, avide hauſit, hincque abſoluto feliciter uſu Thermarum ſcabiem omnem amiſit, domumque incolumis ſibi viſus rediens, variis operibus manualibus meliorem ſibi victum comparare ſtuduit; ſed cum non longo temporis interjecto ſpatio quendam morſicationis vel lancinantis doloris ſenſum in regione ſtomachi perſentire coepit, mutabilem illum, atque nunc intenſius nunc remiſſius affligentem. Dolor vero iſte intra quinque vel ſex menſes, non obſtante variorum remediorum, purgantium et euporiſtorum uſu, ſenſim adeo increvit, et auctus eſt, ut ſaepe aeger prae illius acerbitate totas noctes ejulare cogeretur, fermeque in convulſiones incideret. In hoc itaque miſerabili ſtatu omnia, quaecunque liberalium hominum miſericordia ſuppeditavit, irrita ac inefficacia plane deprehendens meum conſilium imploravit, ſuamque, qua miſere torquebatur, Cardialgiam ita expoſuit, ut diceret, ſibi aliquid praecordia ſubinde per longum tempus, inprimis autem noctu, dum ventriculus eſſet jejunus, ineffabili cum cruciatu ita mordere et lancinare, ut quo ſe verteret, plane neſciret; hinc appetitu utcunque adhuc integro manente ſenſim emaciatus, enixe a me petiit, obſecravit, ut vehemens quoddam emeticum ſibi ordinarem, cujus ope lancinans illa tam horrendorum cruciatuum cauſa loco moveri, vel deſtrui plane poſſet. Utut igitur hominem ſatis adhuc robuſtum, omnique febre immunem notarem, ac nullum prorſus tumoris vel inflammationis veſtigium in regione ſtomachi deprehenderem, non tamen niſi ſequentem potiunculam emeticam, ſub ordinaria doſi primum ordinavi, viſurus quam illa operationem praeſtitura foret: ℞.

Oxy-

Oxyſacchar. emet. Dan. Ludov. ℥ß. *Aqu. Gramin.* ℥iij. *Cinam. Syrup. Cort. Aur. aa* ʒj. *Miſc. detur ad vitr. pro doſi matutina.* Hoc remedium cum poſtridie aſſumpſiſſet, ac intra trihorii ſpatium nullum plane effectum ex illo ſenſiſſet, protinus ad me excurrit, cruciatus ſuos indeſinentes cum inani vomendi deſiderio enarrat, fortiusque longe purgans ſibi ordinandum expoſtulat. Itaque vermes in ſtomacho quosdam latentes ſuſpicans, prece deſperantis fere hominis victus ſequentem pulverem emeticum mox aſſumendum praeſcripſi: ℞. *Crem.* 🜿*ri.* ℈*j. Mercur. dulc. opt.* ℈ß. *Salis juniper. gran.* vi. 🜿*ri. emet. gr.* iiß. *Ol. ſtillat. Mac. gutt. ij. Miſc. f. Pulv. ſubt. D. ad chart. cum hauſtu alicujus juſculi deglutiendus.* Dum in Officina hinc Pharmaceutica eſſet, pulveris hujus praeparationem expectans, male habere, humi ſeſe proſternere, et animo fere delinquere coepit, ſed hauſtis mox a Pharmacopoeo exhibitis aliquot *Aquae Cardiacae officinalis* cochlearibus ad ſe rediens, magno cum angore copiam materiae pituitoſo-mucoſae cum ſanguinis floridi ac ſinceri libra propemodum integra, ut et *Hirudine* adhuc tantillum vivente, in conſpectu Pharmacopoei, aliquot conatibus evomuit, ac ſtatim melius habuit, domumque una cum *Cardiaco*, et praeparato *Pulvere emetico* repetiit, quem dein non obſtante prioris operatione deglutiit, unde plures adhuc magna cum vehementia vomitus ſubſequuti fuerunt, quibus non ſolum mucum, bilem, ſanguinem et juscula hauſta, ſed quatuor adhuc *Hirudines* alias excrevit, quarum maxima indicis digiti craſſitiem propemodum aequavit, longitudinem vero ſuperavit, reliquae tantillum minores, omnes vero ſanguine e venis ſtomachicis ſucto turgidae fuerunt. A quibus vermibus liberatus aeger omnem mox ſtomachi roſionem et Cardialgiam amiſit, ſibique in integrum reſtitutus eſt viſus, excepta membrorum laſſitudine, viriumque imbecillitate, quas tamen poſtea ſubminiſtrato hinc inde meliorum ciborum uſu paulatim integras recuperavit, atque hauſto ſimul per plures dies *Herbarum traumaticarum Infuſo* laceratas in ſtomacho

venas conſolidavit, ita ut ab eo tempore in hunc usque diem incolumis vixerit, vivatque etiamnum, bonum quotidie victum laborando ſibi conquirens. Si quaeratur nunc, unde talia in ventriculum hominis animalia provenerint? reſpondere licebit, ea adhuc minutiſſima, atque vix ſuis ex ovulis egreſſa et vivificata, aeſtate praecedentis anni, dum ſcabioſus aeger in itinere Badenſi maxime ſitiviſſet, cum aquis rivulorum avide hauſtis procul dubio fuiſſe deglutita, hincque ſenſim impetrato nutrimento eam, quam habuerunt molem, adquiſiviſſe.

Neque vero hoc quid novi eſt, talia in corpus aut ventriculum hominis inſecta repere vel deglutiri, quae perperam a nonnulllis credita fuerunt e putredine gigni. Habentur enim exempla eorum, qui minusculas lacertas, ranas, ſerpentes vel incauti cum aquis impuris ingurgitarunt, vel in pratis forſan aperto ore dormientes, dum ingrederentur, neſcii deglutiverunt. Ita Ruſticus quidam e vicinae Suntgoviae pago Blopsheim d. 10. Februar. Ann. 1714. me convenit, anxie petens, ut Chirurgum indicarem expertum, qui ſibi ventriculum incidendo aperiret, animalque, a quo jam ultra quinquennium immaniter excruciatus fuiſſet, eximeret, tandemque vulnus dextre conſolidare ſciret. Interrogatus itaque, qualę in ſtomacho animal ſe circumferre credat, quomodoque ab eo affligatur? Reſpondit, ſe ante quinque annos Briſaco poſt praeſtitas operas tributarias domum revertentem, intempeſta nocte ſitibundum in ſylva quadam paludoſam, quam forte invenerat, aquam pileo ſuo exceptam bibiſſe, atque inter hauriendum animadvertiſſe, ſimul quid molle, lubricum, atque laeve per gulam deſcendiſſe, ac ab eo tempore moleſtum quendam corporis alicujus motum in ſuo ſtomacho percepiſſe, unde ſtatim concludebat, ſe cum illo aquae hauſtu ſimul ranulam vel ſimile aliud inſectum deglutiiſſe. Dixit etiam, ſe poſtea majorem ciborum appetitum impetraſſe, atque poſt ingeſta alimenta moleſtiam quandam vellicationis, velut ab animali vivo ſorbillante contingentis, perpetim ſenſiſſe, imo ſaepius ſimul vocem

instar

inſtar ranae alicujus coaxantis audiviſſe. Cum vero moleſtia illa quotidie propemodum augeretur, ipſumque homo animal etiam increſcere grandiusque reddi animadverteret, ad Medicos, Medicaſtros, Agyrtas, Carnifices et circumforaneos ſe confugiſſe, ab iisque juxta plura alia medicamenta plus quam quinquaginta vehementia cathartica et emetica ſumpſiſſe, retulit, nullo tamen unquam ſubſequuto levamine, hancque cauſam eſſe, ob quam nunc ad auferendos, quos tolerare amplius neſciat, cruciatus immanes exciſionem rei moleſtantis, qualiscunque demum eventus ſubſequuturus ſit, deſideret. Quibus auditis commenſales meos Dnn. *Johannem Beckium, Thuno-Bernenſem, Joh. Baptiſtam a Planta, Engadina-Rhaetum, Joh. Henricum Hermannum, Bienna-Helvetium, et Joh. Rodolphum Lavaterum, Tigurino-Helvetium,* nunc Medicinae Doctores, accedere juſſi, qui cum homine per aliquot horas converſarentur, cibum potumque offerrent, hincque ad ſymptomata, quibus forſan affligeretur, probe attenderent. Retulerunt hi poſtea, ſe, dum ruſticus comediſſet, non ſolum abruptum quendam ſonitum, inſtar ranae cujusdam coaxantis, in ipſius ventre audiviſſe, ſed et applicatis firmiter ſtomachi regioni manibus, craſſum quoddam corpus, pugni magnitudine, aliqualiter ſeſe movens, deprehendiſſe, ſicque perſuaſos fere eſſe, ingens quoddam animal hominis ventriculum occupare, a cujus motu tantopere excruciaretur, tamque horrendas anxietates, quemadmodum ipſi viderunt, pateretur. Quibus omnibus ad animum revocatis promiſi ruſtico, me praeſtantem quendam Chirurgum quaeſiturum, cumque eo de ejusmodi operatione inſolita collaturum, tandemque reſponſum intra aliquot hebdomadarum ſpatium ipſi ad me redire juſſo indicaturum eſſe. Sed ruſticus tum domum reverſus paucis poſt diebus Tertiana Febri correptus fuit, qua in Hecticam brevi converſa tandem paulatim conſumtus interiit, poſtquam ante obitum ingentem copiam materiae ranarum ſpermati haud abſimilis fluidiorem per plures dies alvo excreverit.

OBSER-

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Variis Inſectis per Vomitum excretis a virgine quadam faſcinata.

PRaecedens Obſervatio memoriam refricat curioſi alicujus caſus, qui Virgini Burgundae ante complures annos obtigit, mecumque ab Excellentiſſimo Sereniſſimi Ducis Montbelgardenſis Archiatro, Dn. D. *Leopoldo Emanuele Binningero*, communicatus eſt, ſequentem in modum deſcriptus: *Virgo* quaedam, inquit, egregia *e Comitatu Burgundiae*, annorum octodecim, perquam honeſtis nata Parentibus, anno 1687. variis iisque rariſſimis corripi et affligi coepit ſymptomatibus: primo enim per biennium integrum indeſinenter greſſa eſt et obambulavit, nunquam vel rariſſime ſedens; atque eodem ſimul tempore quindecim hebdomadas plane inſomnes traduxit. Menſtruis naturaliter habentibus multoties e ſincipite ipſius ſiniſtro per vaſorum oscula *tanta* exſudabat *ſanguinis quantitas*, ut inde capitia tria quatuorve brevi imbuerentur vel humectarentur tota. Sed et ipſius Nares, Oculi atque Mammillae ſaepius amplos fuderunt puri *ſanguinis* rivulos, idque in praeſentia *Annae Matthiot*, quae Matri aegrotantis adſtiterat. Lecto incumbens induſia ſuperinduſiaque ſua quatuor diſtinctis vicibus *ſudore ſanguineo* tota cruentavit, prima quidem vice ab iliis vel lumbis ſuperiora verſus, coram *Claudia Choullot*, *Margareta Guarand*, *Claudia Tarciis*, aliisque. Die veneris, biduo ante Palmarum Dominicam anni 1688. aegrotae *Dn. Pater* cum duobus *Capucinis* et *loci Parocho*, frigida admodum tempeſtate foco aſſidens, in conclave contiguum ſubito vocatus AEgram invenit humi jacentem atque ſyncopticam: oſtenſae vero cum ipſi fuerunt ab alia Filiarum ſuarum ſeptem in-

gentes

gentes *Formicae*, aquae in vitro innatantes, vivae adhuc, atque momento ante ejus acceſſum ab AEgra per vomitum rejectae: Suſcitata hinc et ad ſe rediens illa triginta rurſus alias formicas, partim vivas, partim mortuas, diro vomendi conatu excrevit, in priſtinum dein lapſa animi deliquium, omni ſenſu motuque privata, conſpicientibus id ſupra dictis Capucinis, ac nominatim *Rev. Patre Lazaro*, *locique Parocho.* *Sanguinem* dein etiam *ſincerum* multoties parva quantitate evomuit. Coemiterium aliquando vicinum permeans, poſt anxias praecordiorum oppreſſiones roſionesque, ac ſubſequentem brevi *Liquoris viridis tenacisque* vomitum, *Majalem* quoque *ſcarabaeum*, vivum et caudatum, ſuperiora verſus, galli gallinacei ad inſtar, recurvata cauda, quem dein excepit novae materiae viridis copioſa vomitio. Interjecto poſtmodum aliquo temporis intervallo, praeviis inſolitis exagitationibus, anxietatibus et corporis jectigationibus, iterata rurſus vice *Maſſas* evomuit *piloſas* varii coloris, pro crinibus humanis habitas, conglomeratas, thalerumque imperialem ambitu ſuo ferme aequantes, quemlibet vomitum ſequente *Syncope* per dimidiam horam durante; quemadmodum teſtes oculati fuerunt omnes, qui in vicinia habitarunt, non ſecus atque αὐτόπτης multoties *Rev. Pat. Anthidides*, *Capucinus.* In Horto dein etiam Parentis ſui miſeranda haec virgo coram adſtantibus multis amicis ultra centum *Scolopendrulas* ſive *vermes auriculares*, Ohrenmückel/ evomuit, pleroſque viventes; *vermis* autem talis *Inſectum eſt ſemunciam longum, ſex pedibus donatum, fronte bicorni, cauda furcata, coloris fuſci, alacre, muros inhabitans veteres, vel etiam inter lignum et corticem arborum nidulans, auribus, aliisque corporis humani partibus acri ſua punctura ſaeve infeſtum.* Alia vice noſtra AEgrotans *Limacem gryſeum* vivum et ſumme agilem in plurium conſpectu evomuit. Aliquando etiam poſt anxietates atrociſſimas, immanesque vomituriendi conatus, *Ranam* excrevit *vivam*, per cubile alacriter ſaltantem, et latebras quaerentem, quam AE-

grotae Parens forcipe prehenſam igne cremavit, cujus rei teſtes fuerunt *Claudia Tarciis* et *Johanna Textoris Uxor.* Alia iterum vice *Araneam* coram Rev. pagi vicini Parocho evomuit ſimiliter viventem: et non diu poſt in praeſentia *Claudii Jannot* aliam rurſus *Araneam vivam*, praecedenti fere ſimilem, ſed pluribus longe pedibus dotatam, vomitu admodum moleſto rejecit. *Inſectum* porro *nigrum*, ſcarabaei cornuti majoris ad inſtar, dorſo verſus caudam depreſſo et cavo, evomuit, vivens, vegetum et alacre, caput hinc inde flectens, quod multis coram ſpectantibus menſae impoſitum, atque patina ſtannea contectum nihilominus brevi diſparuit. Paulo poſt haec iteratis denuo vomitibus plura *vivi ſulphuris* fruſta, qualia ab Aromatopolis vendi ſolent, non ſine magno cruciatu excrevit, quae prunis injecta tetrum odorem ſparſerunt. Alio rurſus tempore AEgra Patri ſuo Montbelgardo revertenti obviam una cum ſorore vadens, haud longe a pago ſuo *paralytica utroque crure* ſubito reddita eſt: adſtans ſoror inſoliti phaenomeni cauſam exploratura miſerrimam conſpicit AEgram a ſummis femoribus inferiora verſus *AEthiopica* prorſus *nigredine* conſpurcatam: quae tamen, cum illa ab accitis interea duobus viris domum eſſet delata, aeque ac ipſa virium reſolutio paulatim evanuit. Simile quid ipſi contigit tempore meſſis anni 1689. Meſſoribus adſtantibus in agro paterno, dum momento temporis brachium ejus ſiniſtrum ab axilla ad extremos usque digitos *nigerrimo colore absque ſenſu et motu* foedatum plusquam duodecim perſonae conſpexerunt attonitae; quod etiam phaenomenon elapſo trihorii ſpacio per ſe iterum diſparuit. Poſt diros poſtea excernendi conatus Mater ex illius alvo extraxit *crines equinos*, funis ad inſtar pollicem craſſitie aequantis, pedeque Gallico longioris, arcte convolutos, quorum extremitati *Lacerta* adhaeſit magna, longa et vivax, quam per cubiculum veloci curſu reptantem forcipe prehendit, operculoque contexit Parens, brevi tamen, non ſecus atque ſupra dictum ſcarabaeiforme animalculum diſparens, cujus

cujus rei teſtes quoque oculati fuerunt quam plurimi. Ultima tandem vice in conſpectu *R. P. Paſchalis*, ut et *Fratris Marci, Capucinorum*, aliorumque miſeram conſolantium, illa *Setas porcinas*, centum faſciculis, quales ſibi comparant Sutores, vix conſumendas, tantis cum vomendi niſibus excrevit, ut ei continendae quatuor vix ſufficerent adſtantes viri, imo haud ſuffeciſſent, niſi ſolita poſt quemlibet vomitum Lipothymia cum ſenſuum privatione acceſſiſſet. Tempore meſſis anni 1690. illa denuo in aedibus compatris alicujus, mortuae ad inſtar, humi proſtrata fuit, *odoremque ſulphureum* usque adeo *teterum* de ſe ſparſit, ut illi ferendo impares exierint adſtantes omnes. Tandem ſub finem ejusdem anni 1690. toto corpore intumuit miſella, hydropicaque ſic facta, paulo poſt fatis conceſſit; cujus dein ſoror mihi retulit, ex eſu pomi, a ſuſpecta quadam perſona oblati, lernam illam malorum originem traxiſſe, cum ab eo mox tempore AEgrota male habere coeperit.

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Spasmo periodico Muſculorum Cervicis.

Hiſtoriam inſoliti cujusdam in brachio doloris, cum Spasmo tonico conjuncti, ejusque curationis miraculoſae, retuli in *Theatro* meo *Botanico* pag. 991. Accidit hinc, ut *Negotiator* quidam *Sangallenſis*, noſtrates heic Nundinas Octobri menſe anni 1712. frequentans me conveniret, Medicum conſilium auxiliumque ſollicitaturus adverſus ſingularem affectum morboſum, quem non ſine magno cruciatu per aliquot jam annos pati coactus fuit. Narravit autem mihi, ſibi quotidie fere, nunc maturius nunc ſero magis, hora videlicet quinta, ſexta aut ſeptima matutina, cervicis muſculos ſpasmodice tendi, magnoque cum dolore per duas aut tres horas adeo tenſos

manere, ut caput neutiquam flectere poſſit, ſubindeque prae nimio cruciatu propemodum in Lipothymiam labatur: interdum etiam in prandio vel coena eundem Spasmum ex improviſo tanta cum violentia accedere et affligere, ut oculos claudere, os ſpasmodice clauſum tenere, dentesque ad ſe invicem valide apprimere neceſſe habeat, quamdiu ſpasmus duret, ac ita nihil plane ori ingerere, comedere et deglutire poſſe. Durare autem retulit hos cruciatus in quolibet paroxysmo ultra duas utplurimum horas, rarius vero ad tres extendi ceſſareque dein vel ſubito vel paulatim, atque hinc ſtatim ſuis iterum muniis ſine ulteriore impedimento vacare poſſe. Praeter hoc incommodum dicit toto ſe corpore bene valere, ſanguineum quippe, habituque corporis εὐσάρκῳ praeditum. Impediri autem ab iſto malo interdum quoque inter peregrinandum, dum accedente ſpasmo atque dolore ex equo deſcendere, ac in obvio quovis prato, vel ſylva ſub arbore aliqua decumbere, quietoque corpore finem paroxysmi expectare cogatur. Contra hunc proin morbum *remedia* quamplurima *antispasmodica*, a variis Medicis ordinata, interna externaque in uſum quam diligentiſſime ait ſe vocaſſe, *Thermas Fabarienſes Rhaeticas* penetrantiſſimas et ſaluberrimas, ex ipſa ſcaturigine bibiſſe, earum ſimul *ſtillicidio* quotidie in locum affectum per horae ſpatium admiſſo: *purgantia* aſſumpſiſſe crebra, *pulveres*, *pilulas*, *eſſentias*, *tincturas*, *potiones*, *infuſa*, *decocta*, *nervina* atque *cephalica* ſingula, ſpe ſalutaris operationis avide deglutiviſſe; *oleis*, *ſpiritibus*, *balſamis*, *unguentis diſcutientibus*, *anodynis*, *reſolventibus*, cervicem illiniviſſe, foviſſe, *emplaſtra diſſipantia*, *paregorica* adplicuiſſe, et neſcio quae alia inſtituiſſe, ut a tam moleſto liberaretur affectu, ſed nullum plane effectum ab illis omnibus ſalutarem expertum fuiſſe, quin potius, cruciatus illos auctos magis, quam minutos eſſe, ſeque adeo pejora indies metuere, ac eapropter efficaciora longe *medicamina* tam *prophylactica*, quam *curativa* exoptare, deſiderare.

Exa-

Examinato proin ſingulari hoc Affectu convulſivo periodico, conſideratisque omnibus illius circumſtantiis, mihi imaginatus fui, lympham quandam viſcidam inter tendines muſculorum temporalium eſſe depoſitam, eamque per periodos fere quotidianas in motum cieri, hinc inſtar fermenti cujusdam turgeſcere, tendines praedictos expandere, atque ſic muſculos cervicis ſpasmodice conſtringere, tenſosque ſervare tamdiu, donec orgasmus ille ceſſaverit, ac tendines prius expanſi ſuo naturali tono reſtituti ſint. Concluſi hinc, ſequentem medendi methodum hoc anni tempore convenientem, forſanque effectum haud contemnendum praeſtituram eſſe: in qua primum hasce *Pilulas purgantes* mane jejuno ſtomacho deglutiendas ſuaſi, ad lympham illam morbificam, quantum poſſibile, reſolvendam ac diſſipandam: ℞. *Maſſ. Pilul. e Succin. Craton. vel Marocoſtin.* ℈j. *Cinnab.* ♁ *n. rectif. vel Mercur. dulc. opt.* ℈ß. *Magiſter. Jalapp. gr. iij. Ol. ſtillat. Rorismar. q s. Miſc. f. Pilulae num.* 15. *Inaurat. capiantur pro doſi.* Poſt haſce autem Pilulas ſequens *Sal volat. oleoſum* diligenter aſſumendum conſului: ℞. *Tinctur. Caſt. cum Spir. Sal. armon. par.* ʒiß. *Guttar. Anglicar.* ʒiiß. *Miſc. d. ad Vitr. Quotidie m. ac v. capiantur* 20. *vel* 25. *guttae cum aqua fl. Til. et Poeon.* ſuperhauriendo aliquot catillos *Infuſi Herbar.* ſequent. ℞. *Fol. Thee optim.* ℥iij. *Betonic.* ℥iiß. *Meliſs. Chamaedr. aa.* ℥j. *Flor. Anth. Primul. ver. Salv. aa.* ℥ß. *Incis. miſc. d. ad Scat.* Dum autem haec intus uſurpantur, extus quoque ſequentem *Pulverem fumalem* cum fructu uſurpari poſſe cenſui: ℞. *Radic. Ireos flor. Folior. Solani baccif. aa.* ℥ß. *Fol. Meliſſ. origan. Puleg. Flor. Chamom. Sambuc. aa.* ʒij. *Thur. maſcul. Storac. calam. Succin. flav. Raſur. Lign. Juniper. aa.* ℥ß. *Semin. Foenic. Carr. aa.* ʒij. *M. f. Pulv. groſſ. d. ad Scat.* Hinc m. ac v. aliquid prunis injiciatur, ut fumus excitetur, quo dein imbuta lintea calide cervici applicentur, prius admodum fricatae; deſuper ulterius imponendo pellem cati ſylveſtris. Hisce remediis per aliquot dies in uſum vocatis retulit aeger, in eodem ſemper ſtatu ſuos dolores verſari, eos

quotidie mane citra ullam a praeſcriptorum uſu factam mutationem recurriſſe, atque bihorii circiter ſpatio duraſſe: hoc tamen non obſtante juſſi virum bono eſſe animo, remediorumque uſum pertinaciter ac diutino temporis ſpacio continuare, tandemque ſucceſſum meliorem ſperare; quaeſitus interea ſimul, num etiam *fumo Tabaci* ſugendo hactenus indulſerit? reſpondit, ſe rariſſime, nec niſi in juventute eo uſum fuiſſe, et jam ultra viginti annos ab eo prorſus abhorruiſſe; dixi hinc, forſan illum fore tantae aegritudinis remedium, ſi ſugere nunc iterum tentaret, ut autem tanto melius id poſſet, ſequentium ſpecierum miſcelam ordinavi, quae gratum magis fumum redderet e fiſtula Tabaccaria ſugendum: ℞. *Folior. Tabac. opt.* ℥jß. *Betonic. Salv. Major. Meliſs. Origan. aa.* ʒij. *Semin. Foenic. Coriandr. aa.* ʒiiß. *Cinam. opt. Nuc. Moſch. aa.* ℈iiij. *Inciſ. et contus. groſſo modo d. ad Scatul.* Hiſce ſpeciebus itaque meo conſilio fiſtulam implevit, accendit, fumum ſuxit, ejusque mirandam brevi operationem in praeſentia amicorum, quos inter etiam Praefectus Noſodochii noſtri fuit, expertus eſt; nondum enim integram ſugendo fiſtulam abſolverat, cum veluti fragor aliquis quinquies aut pluries in muſculis cervicis excitaretur (es hat etliche mahl in dem Nacken ſtarck geklopfft oder gekracht) tandemque calidus quidam vapor ſive halitus ſenſibiliter a cervice ſecundum vertebrarum ductum inferiora verſus deſcenderet, atque in dorſi vel lumborum fine quaſi exſpiraret. Ab hoc itaque temporis momento tenſio illa dolorifico-ſpasmodica non amplius rediit, magno cum aegrotantis gaudio, qui tamen remediorum praeſcriptorum uſum deinceps adhuc aliquamdiu continuavit, et ad hunc usque diem a cruciatibus ejusmodi moleſtiſſimis liber per Dei gratiam manſit.

OBSER-

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Hemicrania chronica euporiſto remedio tandem curata.

JUvenis annum aetatis 27. praetergreſſus, cholerico-ſanguineus, multis itineribus fatigatus, aëris et tempeſtatum variarum injuriis ſemper expoſitus, tandem ſub finem anni 1714. gravem capitis dolorem, ſiniſtrum cranii latus in regione ſincipitis maxime occupantem, quem *Hemicraniae* nomine exprimere Medici alias ſolent, adquiſivit, continue duranten, et per vices, praeprimis ingruente pluvioſa tempeſtate, aëreque craſſiore evadente, adeo ſaevientem, ut pene in convulſiones incideret. Ad profligandum itaque hunc dolorem tam pertinacem et acerbum, ab incraſſata ſtagnanteque acri lympha oriri creditum, plurima juvenis *medicamina*, interna externaque adhibuit *purgantia* et *alterantia*, *reſolventia*, *diſcutientia* atque *anodyna*, non omiſſis quoque *veſicatoriis*, ſed ſine ullo notabili effectu, niſi quod interdum dolores nonnihil mitiores evaderent. Tandem cum propemodum de ſalute ſua ſub aeſtatis An. 1715. initium deſperaret, et ex Medicorum conſilio ſeſe ad iter in *Thermas Rhaetiae Fabarias* accingeret, *Aquas* ibidem *minerales calentes* bibiturus, *Embrocationisque* effectum in capite ſuo experturus, Amicus forte ipſum viſitatum accedens remedium proponit a me ſubinde non ſine felici ſucceſſu in Cephalalgia praeſcriptum, videlicet intus quidem ſequentem *Pulverem* mane ac veſperi cum *Infuſo foliorum Thee* per aliquot hebdomadas ſumendum: ℞. *Specif. cephal. Michaël.* ℥iß. *Pulv. bezoard. Senn.* ℈iiß. *Ambr. gryſ.* ℈ß. *Sacch. alb. Nitr. tniat. aa.* ʒß. *M. f. Pulv. ſubt. dividendus in* 10. *doſ. aequ. ad chartam.* Extus vero *Seminis Foeniculi* accenſi *fumum* e fiſtula, Tabaci inſtar, quotidie ſugendum ſuaſit. Cum autem aeger ab internis remediis, quorum copiam fruſtra jam ſumpſerat, abhor-

rerer,

reret, ſolum tentare *fumum* geſtiit. Statim proin *Semen* illud ſibi adportari curavit, fiſtulam implevit, fumigavit, atque ex prima fiſtula ſenſim exhauſta levamen aliquod doloris percepit; continuans itaque talem *Fumiſuctionem* quotidie ad plures fiſtulas, intra tridui ſpatium ab omni dolore perfecte liberatus fuit, *remediumque* hoc *euporiſton* praeſervationis gratia quandoque repetiit, ac poſtea nihilominus, me quoque conſultore, ad *Thermas Fabarienſes* ſeſe contulit, eas felici cum ſucceſſu potavit, indeque ad hunc usque diem benedicente Numine Divino ſanus et incolumis permanſit.

OBSERVATIO XXIX.

D. Dn. Theodori Zuingeri.

De

Partu octimeſtri monſtroſo.

MUlier ruſtica in agro Baſilienſi, quadrageſimum aetatis annum ſupergreſſa, ſtaturae mediocris, robuſta tamen, et habitu corporis εὐσάρκῳ praedita, victui laboribusque duris pro vitae conditione aſſueta, nonnullorum liberorum mater, menſe Majo anni 1707. de novo gravida redditur, in quo ſtatu etſi a violentis ſuis operibus non deſiſteret, variisque curis animi premeretur, nihilominus ad ſeptimum usque menſem impraegnationis bene valuit. Ineunte autem menſe octavo, videlicet Januario Ann. 1708. doloribus frequentibus lumborum et hypogaſtrii tenſivis afflicta valetudinem ſuam quotidie magis debilitatam perſenſit; donec tandem d. 21. Januarii Ann. 1708. cum quatuor adhuc vel quinque hebdomadae ad legitimum partus tempus deficerent, dolores ac niſus parturiendi ſatis vehementes ipſam invaderent, atque poſt cruciatus plurium horarum atroces filiolam mortuam in lucem proferre cogerent, monſtroſam plane, et curioſae admodum indaginis, ad quam luſtrandam proin, et anatomico cultro ſubjiciendam varii noſtrae Artis Myſtae excurrerunt, qui ſequentia proin in illa nobiscum

cum notarunt. Magnitudine ante omnia partus ille deprehenſus eſt foetui maturo novimeſtri nihilo minor. Filiola fuit ſic ſatis carnoſa, partibus aliquot a naturali forma admodum recedens, caput, praeterquam quod juſto eſſet majus, plane monſtroſam ſpeciem referebat, dum cerebrum ſuis involutum juſto craſſioribus pia duraque Meningibus, durae calvariae baſi, qua os ſphaenoideum et hujus vicina jacent, incumbens, ſine cranii tegumento ſuperiore et laterali, dum haec oſſa plane deerant, nudum poſteriora verſus propendebat, non aliter ac in cadaveribus, quorum capita manu anatomica cranio ſunt exuta. De coetero autem ipſius ſubſtantiae cerebri atque cerebelli conſtitutio, non ſecus ac nervorum prodeuntium ſtructura naturali proxima apparuit. Neque oculi quid oſtenderunt vitii, ſuis in orbitis naturaliter poſiti, ſi excipias ſupercilia, quae partim longius ab illis altiusque remota, partim informia ac denſo pilorum agmine inſtructa ſpectabantur. Genae praeterea, naſus, labia, osque ipſum juſti erant decoris. Mentum immediate ſummo pectori aut ſterno, aures vero humerorum acromiis committebantur, ut nulla hinc pars colli nomen meruiſſe videretur. Spina dorſi, cum digitorum applicatione expenderetur, vitioſe conformata a ſingulis adſtantium judicabatur, ſed quod eſſet praeciſe vitium ſtructurae, ſola inciſionis ope manifeſtandum erat. Cum igitur dorſi cutis, reliquaque involucra usque ad ſpinam omnia, cultello eſſent ſeparata, mirum contigit videre ſpectaculum; etenim poſitura totius ſpinae dorſi inde ab Atlante vertebra colli usque ad ultimam inverſa erat, eaque pars, quae in ſtatu naturali introrſum ſpectat, convexa illa et oſſeo-ſpongioſa, extrorſum, et contra proceſſus vertebrarum ſpinati, alias extra verſus locati, introrſum omnes ſpectabant. Praeterea exterior illa ſpinae pars, proceſſibus averſa, uti alias in naturali ſtatu convexa et integra eſſe conſuevit, heic per medium fiſſa, et ſulco vel ſinu profundo aequabili, per longitudinem ſpinae porrecto diviſa conſpiciebatur. In hoc ſinu autem extenſa erat ſpinalis medulla, reliqua ſui conſtitutione nihil a natura re-

 cedens.

cedens. Coeterum in eo duximus conſpiraſſe capitis et ſpinae dorſi monſtroſitatem, quod ſicuti cerebri moles nullo prorſus cranio, ita perinde ſpinalis medulla nullo exteriora verſus oſſeo tegumento eſſet munita. Quo magis autem rara et curioſa erat monſtroſa haec capitis dorſique facies, eo impenſius mirati fuimus naturae in hoc caſu ludibrium, quod cum in dictas partes injurioſa fuerit maxime, in coeteris ne quidem erraverit. Sectionem hanc adminiſtravit *Clariſſ. Dn. D. Nicolaus Ritzius*, *Collegii Alumnor.* apud nos *Praepoſitus*, in praeſentia diverſorum philiatrorum, nimirum *Dn. Chriſtophori Harderi*, *Scaphus. Dn. Johann. Georgii Duvernoy*, *Montbelgard.* nunc *Medicinae Doctorum* et *Practicor.* *Jacobi* etiam *Zuingeri*, *Medic. Cand.* filii mei p. m. et aliorum, die 22. Januar. Anni 1708.

OBSERVATIO. XXX.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Veſicae ruptura lethali.

QUod *Hippocrates* alicubi, et poſt eum Practici fere omnes pronunciarunt, homines veſica ſauciatos plerunque mori, illud ſequens maxime obſervatio et hiſtoria monſtrabit. Juvenis Vir, N. annum aetatis vigeſimum octavum modo egreſſus, Argentinenſis patria, athletico corporis habitu, firmaque valetudine gaudens, arti conficiendorum globulorum addictus, Calendis Martii Ann. 1710. ſub veſperam, cum jam noctis impendebant tenebrae, duobus cum ſodalibus per plateas urbis noſtrae Baſilienſis domum properans, fatali ſibi ac improviſo caſu Hypogaſtrii regionem in trunci arboris, ante portas aedium a cive quodam expoſiti prominentem acutumque ramum valido ictu potenter illiſit, unde primum atroces perſenſit dolores, mentisque conſternatione affligebatur, tum et Lipothymiam eſt paſſus, ut a binis ſodalibus domum portari lectoque immitti debuerit. Heic vero dum locum acceptae contuſionis in-

ſpiciunt, et explorant, nullum plane veſtigium externae cujuscunque laeſionis deprehendunt; usque adeo autem debilis, ſenſuque fere omni deſtitutus fuit juvenis, ut ſpem propemodum nullam reſtituendarum virium concipere licuerit. Interea acceſſitur Medicus, opem majorem laturus; qui intellecta re tota, atque omnibus circumſtantiis exploratis, cum in externa Hypogaſtrii facie nihil laeſum videret, intus vero in eadem regione magnum patiens dolorem perſentiſceret, ſimulque viribus exſolutus frequenter admodum animo deficere videretur, protinus internam quandam laeſionem factam eſſe conjecit; hinc intus quidem *Mixturam cardiacam* per cochlearia ſumendam ordinavit, ex *Aqu. Borragin. fl. Acac. Plantagin. Ulmar. Syrup. fl. Tunic. Confect. Alk. compl.* ♁*nio diaphoret.* et *Corall. ppt.* compoſitam: extus vero *ſacculum* ex *Herbis Artemis. Abſynth. Abroton. Betonic. Hed. terr. Meliſſ. Scord. Sanicul. Alchymill.* etc. concinnatum, vinoque incoctum ſaepius hypogaſtrii regioni dolenti calide ſatis imponendum conſuluit; inſuperque *Clysmate euporiſto* domeſtico e *jusculo Carn. probe ſalito*, cum *melle* et *oleo olivarum* primas elui vias praecepit: naribus tandem *Spiritum Reginae Hungariae*; vel ſimilem alium domeſticum frequenter applicandum voluit; *venaeſectionem* autem propter puſum debilem ac parvum, viresque deperditas adminiſtrare auſus non eſt. Sequenti die, quae erat VI. Nonar. Martii, accedenti Medico refertur, aegrotantem nocte praeterita in eodem ſtatu manſiſſe, ſi non in pejus lapſum, ac ſomno crebrius interrupto ſopitum fuiſſe; perſeveravit etiam dolor in loco contuſo, febris ſimul acceſſit cum ſiti, calore totius, anorexia, pulſuque non ſolum debili, ſed etiam celeri ac frequenti: Urinas inde ab acceptae contuſionis momento nullas plane excrevit, imo nec reddendi ſtimulum habuit, alvina autem excrementa ab heſterno clysmate prodierunt ſufficienter; hoc tamen non obſtante abdomen aegri per noctem tumidum valde ac tenſum evaſit, cum faciei maximo pallore. Quibus intellectis Medicus juxta *mixturam* reiterandam *cordialem* inſuper

K 2 *pul-*

Pulveres antipyreticos, *ex* ℥*n. diaphor. Corn. Cerv. phil. ppt. Ebore ppt. Corall. rubr. ppt. Nitro* ℥*iat.* compoſitos, ad dimidiam drachmam mane ac veſperi, cum *infuſo herbarum vulnerar. Alchymill. Artemis. Sanicul. Pyrolae, Millefol. virgae aur. vincae pervinc.* *Florum roſar. rubr. et Tuſſilag. invicem inciſ. ac mixt.* exhibere juſſit; praetereaque ex intermiſſo urinae profluvio veſicam vulneratam haud vana ratione conjiciens ſuaſit, ut chirurgus advocaretur, qui cathetere in veſicam demiſſo exploraret, annon quid urinae effluxurum ſit. Tertia die ſtatus aegri pejor fuit, febris aucta, ſitis major, vires debiliores, appetitus plane abolitus, calores volatici per corpus crebri, ſomnus inquietus maxime, dolor Hypogaſtrii neutiquam minutus, urinae per catheterem veſicae immiſſum profluxus nullus; Abdomen interea intumeſcere atque tympanitidis more extendi pergit; reſpiratio difficilis reddi, ſtomachusque nauſeabundus evadere incipit. Unde Medicus jam ex ſolidiore conjectura veſicae rupturam, eamque funeſtam plane et immedicabilem praedicit, ac nihilominus in praeſcriptorum *remediorum*, praecipue *cardiacorum*, uſu diligenter pergere jubet, utut haec omnia impedire haud potuerint, quo minus ſymptomata per horas fere ingraveſcerent, tumor ac tenſio abdominis in immenſum augerentur, reſpiratio perpetim difficilior evaderet, ne guttula quidem ulla urinae unquam per vias ordinarias ſuccederet, vomitus tandem aſſumptorum creber atque iliaca paſſio, cum maxima praecordiorum anxietate, miſerum torquerent, ac eum denique non ſine praecedente facie Hippocratica pridie Nonarum Martii Ann. 1710. ſexta morbi die e medio tollerent.

Hujus itaque mortis cauſam veram expiſcaturo cadaver aperiendi licentia fuit conceſſa; Abdomen ejus maxime tumidum, et digitorum impreſſioni renitens quadantenus, vel cum aliquali renitentia, ac murmure fluctuantium in ipſo aquarum cedens, cum ſcalpello perforaſſemus, aquoſus mox liquor, idemque foetens, non ſine impetu proſilivit, copia profecto

qua-

quadraginta libras excedente; aperto hinc ventre infimo, aquisque ejus penitus evacuatis, omentum, inteſtina, meſenterium, ipſumque etiam ſtomachum livido vel coeruleo nigricante colore tincta, adeoque gangraenata et ſiderata conſpiciebamus, cum venis ubique tumidis apparentibus: canalis inteſtinorum flaccidus et omni materia vacuus extitit; hinc nulli dubitavimus, molem et acrimoniam obſcoeni liquoris urinoſi, in abdomine collecti ac fluctuantis mala illa produxiſſe, imo per inflammationem inteſtinorum cauſam iliaci affectus ſimul extitiſſe. Hepar interim, lienem, ac renes in naturali ſtatu exiſtere deprehendimus: veſicam autem magno hiatu in dextro fundi latere disruptam vidimus, cujus vulnus, quinque transverſos digitos longum, labia habuit tumida valde, et craſſitie ſua digitum minorem aequantia, maxime gangraenata; per illud hinc non ſolum urina, tempore acceptae contuſionis, copioſe in veſica praeſens, ſed et quaecunque deinceps adhuc e renibus defluxerat, in abdominis cavum emittebatur, ut mirum amplius non fuerit, cur nulla per catheterem veſicae immiſſum prodierit. Cognita ſic mortis cauſa ad aliorum viſcerum explorationem non acceſſimus. Adfuerunt autem huic ſectioni, in aedibus Dn. *Henrici Leobardi*, civis noſtratis, inſtitutae, Filius meus *Joh. Rudolphus Zuingerus*, *Med. Doct. et Profeſſ. Dn. Joh. Georgius Du Vernoy*, *Medic. Doct. atque nunc Profeſſor Extraordinar. Tubingenſ. Dn. Abrahamus Hugoninus, Viviaco-Bernenſis, Dn. Henr. de Coppet, Ebroduno-Bernenſis, Medicinae Candidati, Dn. Paulus Spörlinus, Chirurgus*, multique alii.

OBSERVATIO XXXI.

DN. D. Theodori Zuingeri,

De

Duplici Pollice Infantis recens nati et altero eorum feliciter extirpato.

ACcidit ſub finem Anni 1712. ut Matrona quaedam honeſtiſſima undecimo partu, eoque haud difficili, hic Baſileae

filiolum bene valentem, vivum ac vegetum in lucem ederet, nulla per totum corpuſculum labe maculatum, ſi manus ſiniſtrae excipias pollicem, quem duplicem habebat, utrumque perfectum, optime formatum, ungue, tendinibus, muſculis articulisque dotatum, flectendique potentia praeditum, dum uterque ſuis in articulis commodiſſime ſine impedimento moveri poterat. Ambo iſti pollices erant ejusdem longitudinis, figurae et magnitudinis naturalis, uniti ſibi invicem usque ad extremum articulum, ubi dividi coeperunt. Oſſiculis duobus interim pollex uterque erat inſtructus, quorum poſteriora uno involucro cutaneo fuerunt incluſa; anteriora vero, utpote a ſe invicem disjuncta, ſuis quaelibet involucris peculiaribus, ſicut et unguibus pollebant. Phaenomenon curioſum et oppido rarum, quod ſi Parentes ita relinquere voluiſſent, nullum prorſus incommodum filiolo unquam parere poſſe viſum fuiſſet, quin forſan alii commodo anſam praebere potuiſſet. Mater interim Medico referebat, ſe medio geſtati foetus tempore mendicantem quendam ante portam aedium ſuarum ex improviſo ſpectaſſe, manum duplici pollice ornatam monſtrantem, indeque ſe horrorem corpus pervadentem inſignem percepiſſe, atque ſaepius poſtea hac de re cogitaſſe; ut ſic unice huic horrori atque perverſae hinc imaginationi pollicem filioli ſui duplicem adſcribendum eſſe crederet. Hanc igitur monſtroſitatem in ſuo infante ferre vel conſpicere ſemper neſciens atque nolens, una cum marito ſuo anxie conſilium noſtrum *Chirurgique peritiſſimi, Dn. Chriſtophori Epiſcopii, Senatoris Baſil. prudentiſs.* expetiit, enixeque rogavit, ut ſuperfluus pollex quacunque demum ſecura innocentique methodo et operatione auferretur. Diu itaque cum nobiſcum conſideraſſent digitum monſtroſum, praeter Chirurgum ſupra nominatum, etiam *Dn. Joh. Caſparus Mangold, Medic. Doct. experientiſſ.* hujusque frater *Dn. Joh. Jacobus Mangold, Chirurgus peritiſſimus,* ſimul in conſilium adhibiti, inſtituta deliberatione ſeria, uter dictorum pollicum, qui ambo promiſcue uſui eſſe poterant,

reſcin-

reſcindendus eſſet, tandem concluſum fuit, convenientiorem fore exterioris quam interioris amputationem atque extirpationem, hancque operationem praeferri debere credidimus ejusdem ablationi, per ligationem inſtitutae, qua digitus ſenſim emoreretur mortuusque demum reſcinderetur; hac enim ratione dolores infanti diuturniores crearentur, aptae ſatis excitandis convulſionibus, vel Epilepticis motibus funeſtis.

Cum itaque Parentes audito conſultationis noſtrae concluſo proni annuiſſent, decretum inter nos fuit, operationem non niſi poſt elapſum aliquot hebdomadarum ſpatium inſtituendam eſſe, quando videlicet Infans a meconio penitus liberatus per alvinas excretiones erit. Tempore igitur illo elapſo, pridie operationis ſequentem ordinavimus *Mixturam antiſpasmodico - anodynam* : ℞. *Aqu. Flor. Til. Calendul. Card. bened. flor. omn. aa.* ℥vi. *Syrup. Poeon.* ℥ß. *Syrup. anodyn.* ℥iß. *Julepi roſac.* ℥iii. *Ungul. Alc. ppt. Matr. Perl. ppt. Cinnab.* ♃n. *rectif. aa.* ℈ß. *Miſc. detur ad Vitr.* ac ſingulis bihoriis cochleare plenum exhibeatur lambendum.

Poſtridie mane, cum filiolus per noctem praeteritam bene dormiviſſet, atque hoc mane comediſſet, uberaque materna ſugendo exhauſiſſet, amputatio in Nomine Domini a Chirurgo praelaudato *Dn. Epiſcopio* ſuſcepta, atque juxta articulum digiti anteriorem feliciter ſyringotomi ope peracta fuit. Ad compeſcendam vero tum Haemorrhagiam arteriolarum et venularum cum adhibita ſtyptica plura nihil valerent, tandem ardente ferro hiantia undiquaque vaſcula exuſta fuerunt, deſuper inſperſo tamen adhuc pulvere ſtegnotico cum fruſto crepitus lupi, et albumine ovorum; tandem his probe ligatis ulterius linteola, *Decocto Herbarum cephalicarum vinoſo* et *calenti* immerſa, fuerunt applicata, ſaepiusque iterata. Sequentibus dein diebus cum periculum ulterioris Haemorrhagiae praeteriiſſet, vulnus ſolito more *Balſamo vulnerario*, *Emplaſtroque* convenienti diligenter adhibitis deligatum, ac intra

ſpatium

ſpatium quindecim dierum vel trium ſeptimanarum ad felicem, Deo benedicente, conſolidationem fuit perductum.

(*Baſilea Auguſtam Vindel. d. 29. Mart. An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. Michaelis Bernhardi Valentini.

Duo Lienes in Cane maſculo.

QUum hoc ipſo, quo jam ſcribo, anno 1717. die 4. Martii canem maſculum, criſpis pilis nigricantibus inveſtitum (einen Buttel ut hic loquuntur) in gratiam Auditorum cultro Anatomico ſubjicerem, ſub abdominis apertione duo ſe Lienes trudebant, alter major, alter minor, quorum hic 8. pollices, alter autem quatuor in longitudine habebat, ita tamen, ut prior crena quadam interſtinctus ex duobus quaſi lobis conflatus videretur. Uterque proprio ſibi ramo ſplenico gaudebat, qui ſua quoque vaſa brevia ſigillatim in ventriculum diſpenſabat. Ambo autem rami ante ingreſſum in venam portae communi quodam involucro continebantur. In hoc cane ſimiliter lumbricus latus in inteſtino recto obſervabatur, in hoc brutorum genere haud infrequens.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d. 3. Apr. 1717. miſſa.*)

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. Chriſtiani Michaelis Adolphi.

De

Praeſtantiſſimo et facile parabili contra calculum remedio.

QUamvis infinitus pene remediorum contra calculum ſit numerus atque novum illud exoticum Herba ſcil. Pairara brava adeo praedicetur; facile tamen multis aliis (ne quid audacius dicam) palmam praeripere poteſt pulvis teſtarum cochlearum

ſubtilis

ſubtilis ſaepius a ℥ß ad ℥j. in vehiculo commodo ſumtus, quoniam potentiſſime materiam et glaream, ex qua generantur calculi, diſſolvit, namque ex ejus uſu multum ſabuli cum urina excernitur.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. Chriſtiani Michaëlis Adolphi.

De Inedia notabili.

PAracelſus, Licetus, Cardanus, Hermolaus Barbarus, Olympiodorus, Joubertus aliique plures, varia et incredibilia exempla eorum, qui per plures annos ſine cibo et potu vitam traxerunt, referunt, unde et multi credebant, eſſe in aëre occultum vitae cibum ac nutrimentum. Fabulam ſapit, quod Ficinus Crollius et Rondeletius recenſent de Aſtomaribus dictis (populo prope Gangem fluvium habitante) eſſe eos omnibus deſtitutos atque vivere ex ſolo aëre odoreque per nares hauſto. Quod hi de hominibus proferunt, alii de animalibus aliis quoque perhibent. Nam ſimile de Manucodiata Aldrovandus, de capris in Gimanta Aelianus, alii de chamaeleonte ſcribunt. Ad horum veritatem inquirendam equidem jam non momentum afferam; attamen non ignotum mihi eſt, eos, quibus ſanguis valde eſt temperatus, per longum tempus vivere ſine alimentis; quamvis non ſine omni alimento, quoniam perſuaſum mihi habeo, eſſe in aëre humidum quoddam, quod cum ſanguine communicatur, inſtaurans.

Praeter haec quotidie experimur, illos, qui frequenter ſpiritum vini bibunt aut fumant tabacum, inediam per longum ſat temporis ſpatium poſſe perferre, quod de ſe ipſo Wilh. Piſo in H. N. et M. utriusque Indiae L. 4. cap. 43. refert, ex illius uſu per totum in deſertis iter ſe neque laſſitudinem neque famem percepiſſe. Licet etiam non in ea opinione ſim, ac ſi hauſtus ore tabaci fumus nutriat; ſed potius cum Helmontio in tr. de mort.

 occaſ.

occaſ. et B. Etmüll. ſentiam, illum hoc vi ſua narcotica praeſtare. Notabile ejusmodi diuturnae inediae exemplum in puella annorum undecim Sileſiaca ex honoratiori familia nata, habui. Haec per 9. menſes ne hilum quidem, per 6 autem menſes ſubſequutos rariſſime quoddam, neque in ea quantitate, quae ad vitam ſuſtentandam ſufficere potuiſſet, aſſumſit. Per totum hoc tempus immota plane ac mortua quaſi in lecto procubuit. Cauſam in arſenicum conjiciunt in fornace cum lignis ex errore concrematum, pro gliribus enecandis ibi poſitum, nam et aliae puellae, quae in eodem conclavi erant, idem fere fatum, quamvis non adeo diuturnum et grave, ſunt expertae.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. Chriſtiani Michaëlis Adolphi.

Singularis Febris tertianae typus.

IN foemina quadam Lipſienſi notavi febrem tertianam quandam, ſingularem typum ſervantem. Scilicet Foemina 26. an. maritata, tenera, ſpongioſioris texturae, ſanguineo- phlegmaticae conſtitutionis, ad iram alias prona, poſteaquam ea inter prandendum erat commota, febre corripitur tertiana per menſem integrum durante, quae per 4. annos hucusque ſtato circa medium Martii rediit die, per dictumque ſpatium ſaeviit. Hoc praeſente anno aut medicamentorum pertaeſa, aut curioſitate ducta, nulla adhibuit contra eam remedia, ſponte ſua eam elapſis menſe paucisque diebus deſeruit. Ex quo haud obſcure intelligitur, miram eſſe morborum ſpasmodicorum, febrium ut alio ita etiam hoc in paſſum naturam, naturamque facile certum ordinem poſſe ſervare, atque in conſuetudinem abire.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. Chriſtiani Michaëlis Adolphi.

De morbo quodam incongruo.

VArias hinc inde Pathologi adducunt morborum differentias, ſed negligunt plurimi (ne de omnibus dicam) eam

inter

inter morbum congruum atque incongruum. Nimirum vocatur morbus incongruus, ſi vir vel ſenex corripitur variolis aut morbillis, ſi infans afficitur vigiliis nimiis aut fluxu haemorrhoidali &c. utpote qui aetati huic vix congruunt. Hujus exemplum obvenit mihi in arctiſſima neceſſitudine mecum conjuncti filiolo, qui tertium annum agens haemorrhoidalibus paſſionibus et fluxibus primum vexatus eſt, certisque temporibus ac ſtatis jam per tres annos experitur eos. Ejusmodi quid (ut alia paſſim nota jam non adducam) refert Blancardus de puella menſium fluxum paſſa ſecundo a nativitate menſe. vid. Collectanea med. I. p. 111. de alia ſeptem annorum p. 115. l. c. &c.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. Chriſtiani Michaëlis Adolphi.

De mira idioſyncraſia.

NOta hic mihi eſt faemina quaedam 40. circiter annorum, tenera alias et ſucci plena, quae omnia medicamenta ex regno animali et vegetabili petita minime poteſt perferre, ex quo enim ea aſſumſit, nauſea, conatu vomendi, ipſo vomitu, animi deliquio, palpitatione cordis, artuum tremore afficitur. Remedia vero ex regno minerali parata omnia fert optime, quando aegrotat; aegrotat autem ſaepius ex ſtrangulatione faucium, vomitu cruento, infrigidatione et ſtupore ſubitaneo omnium membrorum, inappetentia per plures dies, purpuratis excretionibus cutaneis, ſcorbuticis &c.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. Chriſtiani Michaelis Adolphi.

De filis ſic dictis meteoricis.

FIla haec albicantia, lanuginoſa, plantis et arborum frondibus vernali et autumnali maxime tempore adhaerentia, a

Phyſicis communi aſſenſu dicuntur eſſe e nebularum partibus fibroſis et glutinoſis, quae filamentorum adinſtar coaleſcerent, quod me judice conceptu difficile eſt. Obſervanti autem mihi atque ex propinquo examinanti conſtat, haec fila nihil aliud eſſe, niſi telas parvularum araneolarum in terra, agris, pratis humidioribus laticantium, quae ventis ſupervenientibus tunc temporis frequentioribus vernali ſcilicet autumnalique, compinguntur perducunturque hinc inde.

(*Lipſia Auguſtam Vind. d. 3. Maij An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Anatome abſceſſu cerebri defuncti.

ANno 1713. die Aprilis ultimo Noſodochio Status Maritimi illatus Johannes Andreae filius unus ex operariis nauticis Regiis, vir procerus et robuſtus, febre continua gravibus ſymptomatibus ſtipata laborabat, quam, diligenti habita aegroti cura, ſuperavit quidem Medicina, relicta tamen melancholia triſti cum viſus utriusque oculi primo obſcuritate, et poſtmodum plenaria abolitione, quamvis in ipſis oculis nullum omnino vitium conſpiciendum ſe praebuerit. Sub finem aeſtatis praeter dictam viſus obſcuritatem, (quae fluente ex aure ſiniſtra pure minuebatur, ceſſante illo aucta rurſus) acceſſit tumor pone aurem ſiniſtram notabilis, qui ſuperveniente copioſo puris ex meatu auditorio effluxu ceſſabat tantiſper, poſt aliquot dierum intervallum vero redibat et hanc ſcenam ter quaterve alternis vicibus ludebat, doloribus inde ortis mox remittentibus, mox ingraveſcentibus, donec d. 1. Novembr. a. e. Apoplectico aeger corriperetur inſultu cum ſenſuum ac motus abolitione per 3. dies durante, quo tempore ſtipitis inſtar in lecto jacebat, die quarto, loquela ſed vix diſtinguenda redeunte, ci-

bum

bum quidem petiit aeger, ſed non niſi pauxillum deguſtavit. Paralyticus in ſiniſtro latere factus in dextro ad mortem usque convellebatur, quae d. 11. Novembr. circa vesperam tragoediam iſtam finivit, mihi vero deſideratam occaſionem in cauſam affectus hujus non vulgaris per inſpectionem cadaveris diſſecti inquirendi praebuit. Aperto itaque ſequenti mane cranio, illud pro mole corporis praeter opinionem tenue inveni et ſuturam ſagittalem ad naſum usque excurrentem: vaſa durae meningis ſanguine turgebant, inprimis circa ſinus puſtulas quaſi elevatas referebant. Inciſa dura matre circa aurem ſiniſtram puris ℥v. ex ipſa cerebri ſubſtantia effluebant, ſupra os petroſum verſus thalamos nervorum opticorum antea concluſae: reliqua cerebri omnia, niſi quod vaſa quaevis valde tumida ſanguine, illaeſa apparebant. Os petroſum a puris ibi per longum ſatis tempus detenti acrimonia in ſuperficie ſua carioſum erat, dura mater autem cum eodem firmiſſime connexa, qui ſine dubio locus erat, per quem pus cum aure communicationem habuit, et exitu ſuo tympanum vel eroſit vel diſrupit, quippe nullum poſt mortem in aure ſiniſtra inveniebatur. Pectoris et abdominis viſcera examinare tunc temporis nec licuit, nec neceſſe adeo viſum.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Steatoma in cavitate pectoris.

JOhannes Meiners, juvenis carnoſus et externa facie ſatis vegetus, propter Aſthma moleſtum et intumeſcentiam faciei ſeroſam noctu auctam, mane recedentem d. 8. Maj. Anni 1713. opem noſtram in Noſodochio publico imploravit, adhibitaque neceſſaria medicina, intra breve tempus eousque reſtitutus ſibi nobisque videbatur, ut ad officia ſua nautica reditum meditaretur: cum d. 26. Maji circa vesperam paroxyſmo aſthmatico convulſivo ſubito corriperetur, quem V. S. ſtatim adminiſtra-

ta exhibitaque doſis Liqu. C. C. ſuccin. et circa veſperam pulvis nitroſus cinnabarinus datus adeo mitigarunt, ut ſequenti mane ridens, quid ſibi contigerit, narrare potuerit, et liberum ab omni periculo ſe crederet, multo minus mortem inſtare, quae tamen d. 28. Maj. poſtquam ludo conorum ſeu trunculorum ſe exercuiſſet, praevio novo eoque atroci paroxyſmo aſthmatico, illum e vivis ſuſtulit. Sequenti mane cadaver examinatum exterius in pectore lividum et coeruleum a ſanguine ſuffuſo cauſam ſubitaneae mortis monſtravit ſteatoma ſeu tumorem album, conſiſtentiam adipis compacti habentem, ſterno, pulmonibus, cordi et vaſis appenſis a coſta ſecunda ad cor usque connexum, tracheam, aortam vaſaque pulmonum majora circumdantem, ac ad dorſi vertebras usque ſe extendentem, magnitudine caput infantis ſemeſtris aequantem. Reliqua omnia ſic ſatis naturaliter conſtituta videbantur, niſi quod truncus venae cavae in abdomine ultra conſuetudinem diſtentus et amplus apparuerit.

OBSERVATIO XXXXI.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Notabilia in anatome hydropici inventa.

GEorgius Chriſtiani filius, miles gregarius d. 24. Jan. 1715. Noſocomium militare intravit, querelas agens maximas de tumore abdominis dolente, expanſo, duro, vomitu aſſumtorum omnium, alvo ſumme adſtricta, ſiti magna, anxietate ſumma praecordiorum, quae decubitum aeque ac inceſſum et ſeſſionem difficilem reddebat, doloribus juxta longitudinem dorſi ad ſcapulas usque urentibus: cujus diri affectus initia elapſo menſe Decembri ſe percepiſſe retulit, cum apud Chiliarcham cohortis ſuae excubias agens potu frigido repente ſe oneraſſet, remediis idoneis in principio deſtitutus miſerrimus, quam primum Noſocomio concreditus fuit, evacuantibus ἄνω καὶ κάτω applicitis, cataplaſmatibus externe adhibitis tractabatur, ſed incaſſum

caſſum omnibus datis, cum per os exhibita quaelibet ventriculus ſtatim reſpueret, nec alvus clysmata admitteret, propinatione Mercurii vivi ad ℥iij. tentabatur, ſed nec hac ratione alvus ad officium adigi, nec ulla ſymptomatum remiſſio procurari potuit, ita ut doloribus ac vigiliis tandem fractus vi morbi ſuccumbens in morte optimum miſeriae remedium tandem invenerit d. 3. Februar. a. e. Poſtera die inſtituto cadaveris examine, ex aperto abdomine ſerum ſubſalſum limpidum ad ℔ XX. usque et ultra effluxit: inteſtina omnia corrugata erant et quaſi conglutinata, ut ſimul ſumta vix hepatis magnitudinem ordinariam aequarent, rubicunda valde et inflammata: omentum craſſum erat, durum, ſcirrhoſum, quibusdam in locis plus quam pollicaris craſſitiei. Ventriculus prae parvitate vix in conſpectum veniebat, donec illum, interaneis exemtis, oeſophagi ductum ſecuti tandem inveniremus, in parietibus ſuis craſſum, ſcirrhoſum, vix tres digitos transverſos recipientem, lieni ac hepati inſeparabiliter connexum. Inteſtina tenuia excrementis liquidioribus infarcta: colon vero ab initio ſuo ad curvaturam usque in hypochondrio ſiniſtro ſtercore craſſo, nigro, repletum erat, a curvatura autem ad rectum usque contractum adeo et vacuum, ut mirum amplius non fuerit, nec clyſteres aſcendere, nec excrementa deſcendere potuiſſe. In caeco Mercurius vivus ante aliquot dies datus adhuc inventus omnis in ſtercore deliteſcens. Diaphragma ad coſtam usque tertiam veram verſus pectus elevatum: bilis veſicula atro viſcido liquore turgida. Pulmones, hepar, lien pro magnitudine mali ſatis laudabiliter conſtituta: Meſenterium et peritoneum hinc inde inflammata: in vaſis cordis majoribus omnibus polypi ſatis longi et craſſi, in ramos proximos arteriarum et venarum exporrecti reperiebantur.

(*Hafnia Auguſtam Vind. d. 15. Junii A. 1717. miſſae.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXXXII.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

Gemellarum partus.

QUemadmodum inter admiranda naturae opera partus humani opus admiratione digniſſimum eſt; ita contigit A. 1701. Aprili menſe, ut Nobilis cujusdam in vicinia degentis eximiae ſtaturae conjux gravida, poſt ingentes circa lumbos et os ſacrum dolores ad crura oedematoſa usque pertingentes biduo continuo perpeſſos, et praematurum aquarum effluxum, obſtetrice accerſita, pariendi tempus praeter opinionem (quatuor enim hebdomades ad iſtud ſibi reliquas eſſe crediderat) inſtare adverterit. Hinc veris partus doloribus, antea ob intempeſtivum aquarum effluxum remittentibus, ope medicamentorum redintegratis, foetus alterutrius pedis digitos primores ex utero matris exerere coepit, altero pede tantisper in utero remanente, donec obſtetricis manuali opera et medicaminum appropriatorum beneficio uterque pes una cum cruribus et abdomine axillas tenus in lucem prodiret. Hic autem cum aqua haereret, nec obſtetrix manum amplius adhibere vellet, verita, ne, ſi fortius corpusculum attraheret, caput ab eo avulſum in utero, cum matris periculo, imo ipſa morte remaneret. Quamobrem et ego cum ſeniori obſtetrice ad parturientem Giſſa evocor, ibique chirurgum noſtratem C. R. Kochium (qui jam tum rei ibidem geſtae per literas me certiorem fecerat, addendo, alterius inſuper embryi manifeſtam in utero parturientis adverti praeſentiam) praeſentem invenio, ſciscitantem ex me, quid in praeſenti rerum ſtatu agendum veniat? Cui ego: obſtetricem, manibus oleo lilior. alb. probe perunctis, genitalia parturientis (exhibito prius medicamine partum pellente ac confortante) leniter ampliare ac dilatare, Chirurgum vero, prehenſa utraque manu foetus coxendice utraque caute ac provide eundem ex utero extrahere debere, ſimulque cavere,

cavere, ne corpuſculum a capite avellat, iſtudque in utero matris relinquat. Dictum factum; uterque enim et chirurgus et obſtetrix invicem collaborando multo cum labore ac ſudore infantem puellulam rite figuratam, ſed in utero jam tum emortuam tandem foras eduxere, mihique factum laeti narraverunt. Hinc jubeo, ut Nobilis puerpera medicamine cordiali ac jusculo inſtaurante refocillata ad quietem componatur, expectando, utrum alterius adhuc partus indicia ſeſe manifeſtarent, nec ne: Sicque Parentibus valedicens, et utrique tum puerperae tum foetui ſuperſtiti de medicaminibus neceſſariis proſpiciens domuitionem inſtituo. Ubi biduo rurſus elapſo mihi nunciatur, alterum ejusdem ſexus foetum vivum naturali partu a puerpera nobiliſſima excluſum eſſe.

Similem gemellorum in ditione Itterenſi Haſſiaca a Matrona Nobiliſſima An. 1715. ſed intervallo trium ſeptimanarum in lucem editorum et adhuc t. t. viventium hiſtoriam retulit mihi *Joh. Chriſtoph. Jaſchius* φιλίατρος, patria Waldeccenſis.

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

De

Puellula ſesquienni atreta.

QUod *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente* quadraginta trium annorum ſpatio, quo ſcilicet utramque medicinam (ut ipſe loquitur *libr. de Chirurgicis Operationibus pag. 279.* edit. Patav.) ſumma cum laude ac immortali nominis ſui fama Patavii profeſſus eſt, ſemel tantum vidit, id mihi anno 1705. heic Giſſae in Reverendi cujusdam Paſtoris filiola nondum bienni primum videre licuit. Haec ſcilicet membranam ὑμένα appellatam imperforatam; totumque vulvae orificium occludentem nacta erat. Unde parentes ejus veriti, ne vitium hoc et menſtruorum excretioni, et ipſi congreſſui conjugali con-

ceptionique ſuo tempore impedimento foret, de inciſione hujus membranae cogitare coeperunt, ac proinde me una cum chirurgo hujus loci Joh. Georgio Reulingio accerſiverunt, mentemque ſuam ſuper hoc negotio nobis aperientes ſententiam noſtram exquiſiverunt. Cumque ego id ipſum et absque periculo et multo facilius in tam tenera aetate, quam ubi adoleverit puellula, ob verecundiam huic ſexui familiarem, fieri poſſe adfirmaſſem, modo chirurgus manum operamque ſuam commodare auderet: Tum vero ille nil cunctatus, eandem ſeſe operationem jam alias etiam feliciter exercuiſſe reſpondit, operique ſe protinus accingens, cutello acuto membranulam ſimplici inciſione, ſecundum ſciſſurae ſive rimae longitudinem, quemadmodum et *Hier. Fabricius l. a.* contra *Celſi* methodum fecit, incidit, impoſitoque digeſtivo, cujus quoque portionem aliquam parentibus filiolae, ne ſtatim rurſus coaleſceret ſciſſura, communicabat, operationem hanc feliciter abſolvit.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

De

Ruptura perinaei muliebris per ſuturam curata.

NOn multo poſt tempore heic Giſſae accidit, ut honeſta honeſti ac eruditi cujusdam viri uxor puerpera inciderit in rupturam perinaei ſive interfoeminei, anusque et matrix unum atque continuum fierent foramen, utrum obſtetricis ineptae vellicatione; quale exemplum habet *Achilles Gaſſerus* Obſervat. 38. apud *G. H. Velſchium in Sylloge Curat. et Obſerv. Medicinal. p.* 27. an laborioſo partu praevio? ut eſt apud *B. Timaeum a* Güldenklee *Caſ. Medicinal.* 31. *l.* 4. incertum hactenus. Conſultus ego de medela ſive unione rupturae hujus, commendavi fomentationem et gluten ab eodem *Timaeo l. a.* deſcripta. Enimvero cum nec obſtetrix nec Chirurgus Reulingius

gius ἐγχείρησιν ſive applicationem glutinis a *Timaeo* praeſcriptam recte adminiſtrare noſſent, unica ſpes in futura ſuperfuit, qua ipſa rite a chirurgo praememorato adhibita, ac Timaeano glutine deſuper impoſito iſthmus iſte brevi tempore adeo perfecte coaluit, ut aliquoties ex illo tempore puerpera iſta minus laborioſe pepererit.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

Obſervatio Anatomica.

ANno 1706. die 6. Februar. Vir Nobiliſſimus Excellentiſſ. et Experientiſſimus Dn. *Georg. Theodorus Bartholdus, Phil. et Med. Doctor, et in hac alma Giſſena Anatomiae, Chirurgiae ac Botanices Profeſſor ordinar. Amicus et Collega quondam conjunctiſſimus b. m.* furciferum ſexagenarium αὐτόχειρα ſectioni publicae ſubjecit, verum ad exercitia anatomica eundem non admodum idoneum deprehendit; eo quod fibrae muſculoſae juſto molliores et flaccidiores et viſcera quodammodo corrupta eſſent, inprimis lien, cujus exterior tunica arenulis quaſi conſperſa videbatur, ob induratas glandulas minimas viſum in ſtatu naturali fugientes. Oſſa friabilia et veluti carioſa erant, ita, ut facili negotio terebra perforarentur.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

De

Oſſium pubis articulatione molli et laxa.

IDem *D. D. Bartholdus* Anno 1713. d. 28. Januar. in ſolemni anatome mulieris infanticidae inter alia praecipue obſervavit oſſium pubis articulationem adeo mollem et laxam, ut inſtar ceraceam tranſierit culter anatomicus; ſive quod recens fuerit puerpera, et oſſa haec in partu, difficili praeſertim, didu-

cantur ab invicem, uti *Thomas Bartholinus*, et cum eo plures Anatomici ſtatuunt: ſive quod merus naturalis diſpoſitionis effectus iſte fuerit; quae *Petri Dionis*, Anatomici Pariſienſis eſt ſententia, *Anatom. C. H. pag.* 87. Caeterum geminam huic obſervationem habet *Joh. Maurit. Hoffmannus Dec. II. Ann. VI. Obſ.* 246. *Ephemer. Med. Phyſ. N. C. pag.* 461.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

Haemorrhagia uteri lethalis in puella ſexenni.

ANno 1703. circa finem Octobris Dn. *Joh. Georg. Freſenius, Med. Licent. et Bobenbuſae Hanovienſium Phyſicus ordinarius, Auditor antehac meus maxime induſtrius*, νῦν ἐν ἁγίοις ſequentia ad me perſcripſit: Ne hae prorſus ad te ferantur ſteriles, non potui quin obſervationes quosdam curioſas ad te perſciberem, et praeprimis caſum puellae ſex circiter annorum febre acuta maligna correptae eademque extinctae. Paſſa haec eſt haemorrhagiam uteri immodicam, generoſorum medicaminum vim eludentem, quaeque etiam ad mortem usque eandem comitata eſt. Portentoſam ejusmodi haemorrhagiae ſpeciem in tenella hac aetate, ſi fateri licet quod res eſt, nunquam legi, propterea eandem oculis tuis ſumma plerumque ſpectantibus ſubjiciendam ſum arbitratus, cujus rariſſimi ſymptomatis inſignem ſanguinis commotionem et ſalia acria cauſtica tenerrimos vaſorum uterinorum parietes diſcindentia non tantum, ſed et vaſorum praedictorum tonum nimis laxum et flaccidum ſpirituumque vitalium defectum cauſam fuiſſe firmiter mihi perſuadeo, quibus poſitis aliter fieri non potuit, quin vasculis flaccidis et ruptis repagulis ingens ejusmodi cruoris cum anima contigeris effuſio.

OBSER-

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

Menſes Matronae nobili octogenariae ſalutares: Nec non alii gravidae ex faucibus erumpentes itidem reſtitutae.

IDem Dn. Lic. Freſenius etiam ſeqq. Obſervationes addidit: Annotavi in Matrona nobili octogenaria ſcorbutica conſummata Catameniorum profluvium, ſalutare tamen et pro critico a me habitum. Huic tamen Obſervationi palmam reddit dubiam ea, quam in Nobili quoque Matrona gravida, eademque ſcorbutica ſeptimo poſt conceptum menſe ante ſemeſtre vidi, cui ſingulo mane faucium iſthmus per tres ſeptimanas ſubnigricante ſcatebat cruore, feliciter tamen, Deo ſint grates, per reiteratam medianae ſectionem haemorrhagia iſta ſublata, a ſangvine acriori ſtagnante, oris, palati, gingivarum fauciumque vaſcula dilacerante forte oriunda. Qualem quoque, ſed praegnanti lethalem, *Greg. Horſtius lib. V. Obſerv.* 17. conſignavit.

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. Juſti Friderici Dillenii.

Dolor Nephriticus acerbiſſimus.

AD virum doloribus nephriticis atrociſſimis divexatum extra moenia, evocatus (verba ſunt laudati Dn. L. Freſenii,) tantam morbi contumaciam dolorumque ſaevitiam deprehendi, ut clyſteres omnes per Chirurgum ſaepiuſcule injecti nullum exererent effectum, quo viſo contumacem renum vicinarumque partium membranoſarum ac tunicarum inteſtinalium per conſenſum affectarum ſpasmum eſſeratus, balneum ex emollientibus et paregoricis parari, enema ex iisdem et

carminativis cum colocynthide in petia ligata addita terebinthina cum vitello ovi ſoluta, nec non oleo amygdalor. dulc. et ſcorpionum concinnatum aegro infundi, ac interne oleum lini puriſſimum cum vino Hiſpanico propinari cum ſucceſſu curavi; magnam quippe materiae mephitim olentis, tenacis et viſcidae, ſeu pituitae conglomeratae et concretae ad ſpithamae fere longitudinem, ac trium circiter digitorum transverſorum latitudinem accedentis copiam dejecit, idque toties, quoties clyſterem ultimum ſibi infundi curavit, expertus eſt, cum plenaria ſua reſtitutione atque adſtantium applauſu.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d. 18. Junii An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO L.

Dn. Lic. Philippi Eberhardi Dillenii.

De Spaſmo Venae Sectione curato.

PUer IX. annorum, temperamenti ſanguinei, ſaepiſſimis alias a nativitate convulſionibus epilepticis obnoxius, ceſſantibus iis, ſpaſticis adhuc ſaepius manuum et digitorum praeprimis contracturis affligitur. Memor Hippocratici illius effati 6. Aph. 39. *Convulſionem fieri aut a repletione* aut ab inanitione, ſuadeo Venae ſectionem in brachio ad ℥iii. tanto cum ſucceſſu, ut puer nihil amplius convulſivi hactenus ſenſerit.

OBSERVATIO LI.

Dn. Lic. Philippi Eberhardi Dillenii.

De Cura Omphaloceles ſympathetica.

PUer Hanovienſis XI. annorum, jam per aliquot annos Hernia umbilicali laboraverat, multaque ab aliis erant incaſſum adhibita, fotus, unguenta, ligaturae, aliaque tam interna quam externa huic ſcopo alias ſatisfacientia remedia: Conſultus, tempore occaſionem ſubminiſtrante, ſympatheticam illam curam,

ram, per ovum e nido depromendum, et crudum calide, prout e gallina venit, ſorbillandum, evacuataque teſta urina aegri replendum ac in camino ſuſpendendum, experiri inſtitui; nec ſucceſſus deſtituit experimentum, eodem enim, quo urina in camino exſiccata erat modo, hernioſus pugni magnitudinem aequans decreſcebat tumor, aegerque praeter ſpem plenarie convaleſcebat.

OBSERVATIO LII.

Dn. Lic. Philippi Eberhardi Dillenii.

De Noxa Terroris in Cura Salivatoria.

FEmina Hanovienſis XXXIX. annorum, vegetae alias conſtitutionis, ſanguineo-cholericae, ante novem et quod excedit annos in puerperio cubans, maritumque, Gonorrhaea maligna laborantem, ex inſcitia admittens, paucis poſt diebus inſignem verſus ſiniſtram uteri regionem percipit ardorem, quem vehemens totius corporis horror, et hunc calor intenſus cum notabili omnium membrorum laſſitudine excipit; puerperium egreſſa, variis hinc inde circa pudenda et anum affligitur condylomatibus, menſes antea et extra graviditatis ſtatum alias ſat ſtati et ordinarii ſupprimuntur, ſubſequitur materiae viſcidae coloris ex albo flaveſcentis, quandoque grumis ſanguineis tinctae ex utero effluxus, accedunt punctorii in artubus dolores ſub lecti calorem ingraveſcentes, calorque praedictus circa notatam uteri regionem tanquam in foco ſubſiſtit, adeo, ut (juxta aegrae verba) quaſi inde aſcendentes fumi totum corpus halitibus ardoribusque continuis divexarent. Committit ſe ab initio imperiti tonſoris curae, et per ſat longum tempus externis tantum, iisque corroſivis tractata remediis, tandem violentae adeo pertaeſa medicationis, aliorum Medicorum ſucceſſivis vicibus expetit auxilium. Per IX. ſic annos levatur quidem nonnihil laxantibus ſennato-rhabarbarinis

rinis diaphoreticisque lignoſis, non tamen curatur, perſiſtentibus dictis ardoribus membrorum tam fixis quam vagis ex utero tanquam e foco continuo ſurgentibus: ordinantur uterina aperientia, emmenagoga, V. S. in talo aliaque, nihil minus vero ſuccedit, quam tributi lunaris ſolutio. Ego tandem quoque in conſilium vocatus, et in affectus naturam, ortum et progreſſum, aliaque ad morbi dignotionem ſpectantia ſedulo inquirens, nihil aliud ab aegra, niſi quod menſtruorum ſuppresſionem, indeque provenientem corporis adeo taedioſum ardorem accuſaret, expiſcari potui. Selectiora praeſcribo uterina, partim in forma pulverum, partim in nodulis laxativis, ſed haud meliore ac hactenus tentatum fuerat ſucceſſu. Calorem p. n. et dolores punctorios ſub noctem praeprimis ingraveſcere intelligens, venerei quid forte ſubeſſe haud falſo ſuſpicabar. Serio in veram affectus originem hinc inquiro, dico, curabilem adhuc eſſe morbum, eundem vero brevi fore lethiferum, ni candide, ſine fuco et noxio pudore, quomodo et quando ab homine venereo infecta ſit, revelaverit, ut affectui, licet graviſſimo, in tempore adhuc medela poſſit afferri; quibus permota dictas antea circumſtantias amplius celare me noluit. Puerperae (quibus oſcula et vaſa uterina a partu magis dilatata et patula ſunt, ideoque ad contagium malignum facilius recipiendum, firmiusque deinde, ni latens mature ſubmoveatur ignis, retinendum et fovendum, diſpoſitae) adhuc recenti communicatum miasma venereum, idem externa tantum Empirici cura ſiniſtre tractatum, firmiores nactum radices, humoribusque vitalibus per IX. annos penitius ingenitum, aliaque, difficiliorem mihi fore curam facile praedicebant. Nec tamen fato permittendam aegram exiſtimans, cuneum huic nodo parem, *Mercurium*, in ſubſidium vocabam, utque quid *Aethiops mineralis* congruis aliis (*Tincturae* praeprimis *Antim. acri oleo L. ſaſſafras et ſancti* impraegnatae) ſociatus, in tam rebelli malo valeret, experirer, ad ejus per aliquot ſeptimanas continuatum uſum melius paulatim habere incipiebat aegra,

calor

calor p. n. et dolores punctorii ſenſim decreſcebant, et quod mirabar, ſaliva fluere aliquantiſper incipiebat. Intentio naturae clare hic elucebat, medicamentum huic effectui alias impar, et per ſulphur ſufficienter caſtratum, in ſalutem aegrae adeo efficaciter et ſapienter dirigentis. Natura ſic praeeunte, quam alias declinabam, eligo viam, ſalivationem per exhibitas debito modo *Mercurii dulcis* parciores doſes, gradatim auctas, moliturus. Nimia humorum tenacitas (quam ex viſciditate incredibili et quaſi glutinoſa materiae ex utero prodeuntis, et per catharticum ſat forte per alvum quoque excernendae, praeſertim colligere poteram) ſalivationis ſucceſſum optatum reprimebat adeo, ut exacte licet obſervato regimine calido, et cura diaphoretica, per reſolventia et incidentia ex *Pimpinell. umbelliſ. L. ſancto, ſaſſafr. rad. ſarſaparill. herb. ſaponar. &c.* inſtituta, auctaque *mercurii dulcis* doſi ad ℈i. et ʒß. usque, ultra tamen ℥iii. ſalivae viſcidae foetentis diei artificialis ſpatio non profluerent. Aegra curae longius nonnihil praeter ſpem protractae pertaeſa, fortius tractari et via breviore a malo liberari cupiebat. Deſcendo licet invitus in ejus deſiderium, et ad *praecipitatum album*, judicio *Celeberrimi D. Stahlii* prae aliis magis tutum, foliis tamen auri et antimonio diaphoretico probe correctum, accedo, doſin a granis ii. iij. ad v. usque ſucceſſive augendo. Succedebat ſic ſalivatio ex voto, ita ut nycthimeri ſpatio ℔j. praeter propter ſalivae flaveſcentis et foetidae prodiret, glandulaeque oris et faucium (futurae copioſioris ſalivationis indicium) intumeſcere magis inciperent; ſed poſt aliquot dies, improviſo mariti ſui in captivitatem et vincula publica dati infortunio vehementer perterrefacta aegra, ſuppreſſa ſimul et ſemel ſalivatione, ita miſere periculoſiſſimis ſymptomatis, ventris nimirum graviſſimis torſionibus, anguſtationibus praecordiorum ſuffocatoriis, ſpaſmis hyſtericis, lipothymiis &c. (praegreſſo per totum corpus graviſſimo horrore, dentium quoque ſtridorem inferente) affligi coepit, ut de vita certe ejusdem actum fuiſſet, niſi in tempore praeſens, refocillantibus, fotubus cali-

 diori-

dioribus, aliisque a centro ad peripheriam commoventibus fortioribus, mature ſubveniſſem. Affectuum ſic procellis agitatam aegram, omiſſis mercurialibus, ſolis ſudoriferis fortioribus tracto, inde reſoluto quadantenus mercurio, ſuccedit rurſus ſalivatio, adeo tamen irregularis, ut hoc die nonnihil, alio minus, alio vero ne tantillum ſalivae excerneretur? Naturam ſic in operatione ſibi relinquere coactus, ſymptomatibus tantum gravioribus, a coagulato et retropulſo per terrorem mercurio inductis, capitis nimirum vehementibus et nuchae aliorumque membrorum pulſatoriis vagisque doloribus, ac ſi vivum quid per illa rotaret ſaevientibus, per interpolata ſaepius analeptica et nervina eousque obviam eo, donec melior mariti ſtatus animum aegrae ſerenaret rurſus, et a commotionum labe immunem praeſtaret. Sudores poſt tot mercurialium doſes prodeuntes frigidiuſculi ſunt, dolores capitis, nuchae, aliarumque partium gravativi aeque ac punctorii (ac ſi innumerae cuti infigerentur acus) ardoresque p. n. ſenſim imminui ſic incipiunt, omiſſis vero iisdem per unicum etiam tantum diem, dicta ſymptomata, licet mitiora, ſtatim repullulant. Hinc mercurii dulcis parciores doſes iterum exhibeo per octiduum, ſed irrita ſunt omnia, et ſalivatio ſemel ad irregularitatem deducta in ordinem convenientem redigi nulla arte poteſt, nec etiam poſt inunctionem carporum in manibus et talorum in pedibus augeſcebat: ſuccedit tamen, dum haec aguntur, moderate tantum ad ℥iij. per tres menſes, ita tamen, ut in hoc die plus (etiam ſaepe poſt purgationem, in alio minus, in alio plane nihil ſalivae excerneretur. Salivatio ſoli tum naturae committitur, ſudores quotidiani cum euphoria continuantur (omiſſis ſiquidem iis ſegnius longe ſuccedebat ſalivae fluxus et parcius) ſunt acres, acidum quoddam nauſeoſum ſpirantes, aegramque non tam debilitantes quam potius levantes, ex ano et utero prodeuntia ſimilis, acrioris nempe et corroſivae quaſi ſunt naturae, quippe quae earundem partium excoriationem ſaepius induxerint. Valedico demum ſalivantibus, nulla arte, ut ordinate

dinate et in juſta proportione agant, diſponendis, etſi calorem ex utero aſcendentem continuo adhuc experiretur aegra, nec tubercula venerea, licet quoad molem minora topicis convenientibus reddita, in totum perire vellent; ardores univerſales interea reſtincti erant, particularibus circa uterum et anum ſubſiſtentibus, quibus repetitas hebdomadales per *Mercurium dulcem reſina Jalappae* acuatum catharſes, et *ſudoriferas* alternis nunc tantum diebus inſtituendas commotiones opponebam. Et quoniam uterus continuo adhuc materiam illam ex albo-flaveſcentem ſtillabat, et anum cum inteſtino recto dolorifica admodum infeſtabant condylomata, *clyſterem* ex *abſtergentibus, balſamicis* et *emollientibus* utero et ano injiciendum tali cum ſucceſſu praeſcripſi, ut ex utero incredibilis purulentae et foetidae materiae copia, cum tuberculis venereis, nec minus ex ano ſat notabilis quantitas materiae viſcidae ſanguineis grumis permixtae, partitis vicibus fuerit rejecta. Quibus injectionibus continuatis, ardores illi particulares ex utero et inteſtino recto tanquam e foco aſcendentes notabiliter remittebant, fluxus materiae ſanioſae imminuebatur, menſesque ſat copioſe rurſus prorumpebant. Sana nunc et vegeta erat femina, deque nullo magis ſymptomate conquerebatur, niſi de reſtitante quodam adhuc circa uterum ardore, et defectu amoris conjugalis, quem unice a marito ſuo, qui per empiricum faſcinationibus deditum ſterilitatem ſibi induxerit, dependere, firmiter ſibi perſuadebat. Suadebam ipſi hauſtum illum aquae frigidae ex ore equi maſculi non caſtrati elabentis, de quo apud Michael. in Prax. Clin. pag. mih. 254. cap. de Sterilitate, quam cum ternis vicibus hauſiſſet, adeo ſibi reliquias ardoris reſtinctas eſſe miſera cum gaudio edixit, ut non modo in poſterum firmiſſimum ab ejusmodi malis ſibi promitteret praeſidium, verum etiam de foecunditate certiora ſperaret. Notabile in fine eſt, quod puella x. annorum, quam mater (malignitatis morbi, et quod incommodi quid in infantem redundare poſſit, ignara) ſub primum morbi inſultum

 lacta-

lactaverat, ſimilem cum matre materiam, viſcidam nempe, et cruore ſaepius tinctam per alvum nunc demum reddere incipiat, licet aliis nondum ſymptomatibus infeſtetur, nec tubercula quaedam venerea adhuc conſpiciantur, ex quibus tamen de igne latente facile judicare licet.

OBSERVATIO LIII.

Dn. Lic. Philippi Eberhardi Dillenii.

De Arthritide Haemorrhoidali.

VIr plebejus Gieſſenſis 40. annorum temperamenti ſanguineo-cholerici An. 1716. menſ. Majo praeter conſuetudinem Haemorrhoidibus coecis affligitur. Chirurgus vicinus haemorrhoicos motus et naturae directiones ſalutares parum cogitans, dolorem et tumorem inſignem unguento nephritico-anodyno non tam curat quam palliat. Durant haec ita per tres hebdomadas, vocatus tum, et in praecedentia aeque ac praeſentia inquirens, certior fio de omnibus, et quod chirurgus dolores haemorrhoidales pro nephriticis falſo habuerit. Tumor in ano diſparuit, et dolores alias fere intolerabiles jam ſunt tolerabiliores, et circa os ſacrum tantum ſubſiſtunt aliquales, e contra pedes, brachia et nucham aegri ſucceſſivis periodis miſerrime excruciant, et quo magis circa os ſacrum evaneſcunt, eo vehementius circa praedictas partes intenduntur. *Arthritis* erat *vaga ex haemorrhoidibus in Maſſam ſanguineam translatis.* V. S. in talo pedis ſat larga, *Balneum vaporoſum, veſicatoria* in brachiis, et *Spirit. Theriacal. camphor.* externe, interne vero *diaphoretica, refrigerantia, Cinnabarina et anodyna,* adeo bene intentioni meae reſpondebant, ut aeger intra 14. dies a dolorum et mali ferocia ex voto liberaretur. Externe Spirit. Theriacal. camphor, interne *Mixtura ſimplex* omnium optime ſe geſſerunt.

OBSERVATIO LIV.

Dn. Lic. Philippi Eberhardi Dillenii.

De

Hydrophobia et Rabie canina.

PUer V. annorum temperamenti ſanguinei An. 1716. diebus canicularibus, canis absque dubio rabioſi morſu in extremitate indicis manus dextrae graviter ſauciatur. Parentes, morſus virulentiae parum conſcii, nec quicquam inde mali metuentes, vulnus, ut vulgus ſolet, chirurgo tractandum, et intra breve temporis ſpatium occludendum committunt. Puer, ſanato vulnere, ſat bene ſeſe habere videtur, nec ulla ſubſecuturi gravioris mali indicia apparent; donec elapſis aliquot, et quarta circiter a morſu ſeptimana, inſultibus febrilibus, ſpaſticis commotionibus, ac melancholicis tentari coepit deliriis. Contingunt haec et advertuntur a parentibus die 28. Auguſti, ſub cujus noctem puer e lecto ſurgens eam totam inſomnem ducit et delirat. Summo mane ſequentis diei vocatus, in praeterita inquirens ſimul et praeſentia, de morſu non modo canis dicto, verum etiam de omnium liquidorum aeque ac ſolidorum horrore et fuga certior fio. Puer nunc melancholicis cogitationibus defigitur, nunc furibundis agitatur motibus, torvum videt, de capitis dolore cordisque ac pectoris ſummis oppreſſionibus conqueritur, crebrius oſcitat, ſpuitionibus ſpumoſis adſtantes conſpurcat, liquida et ſolida quaevis, quibus tamen non viſis quam maxime inhiabat, viſa et porrecta horret, et nihilominus urinam ſolito copioſiorem emittit. Conclamatam video rem, tento tamen doſin pulveris refrigerantis ex *Nitr. cryſtallis.* ℈*j.* et *camphor. gr. j.* ſub diverſis vehiculis ipſi exhibere, ſed fruſtra, ob fauces enim quaſi ſibi praecluſas modo ſumtum reſpuebat. Sub pomeridianum acceſſum meum, viſurus, num venae ſectione oppreſſiva illa pectoris fauciumque conſtrictio relaxari nonnihil ſanguinisque ferocientis orgasmus reprimi quadantenus poſſit,

deteriora multo deprehendo omnia, cum impetu enim adſtantes adoriebatur, vim morſu et quovis modo illis illaturus, niſi tenera obſtitiſſet aetas, nec fortior quoque vir furori huic coërcendo par erat, et hinc quoque venae ſectionem adminiſtrare, quoniam parentes vincula manibus injicienda detrectabant, in integro non erat. Ingraveſcit in horas et momenta quaſi malum, poſt aliquot enim horas rurſus vocatus accedens, omnia deprehendo conclamata: Rabies invaleſcit, morſibus quosque petit, nec parentibus quoque (quorum tamen ſeverioribus admonitionibus locum interdum dabat, et preces, balbutiente licet lingua, ſat exacte repetebat) parcens, nec propriis digitis, quos morſu ſauciabat, nec pilis in capite, quos evellebat; praeterea in circulum decurrebat ſaepius, ac quaevis in menſa locata in terram projiciebat, utque paucis dicam, totus rabioſus erat. Cum vero ſaepius vomendi proderet conatum, oblatam *ſirubi emetici* doſin avide quidem petebat et hauriebat, verum mox horridis iterum reſpuebat minis. Repetitam in aquas immerſionem, quam ſub primum ſtatim acceſſum commendaveram, et parentes abnuebant, veriti, (ut tale praecipue muliebre, molle et timidiusculum hominum genus eſt) ne quid gravius (ac ſi gravius praeſenti cogitari poſſet malum:) exinde in puerum redundet epileptici forte ſpasmi damnum. Puer fato ita a me relictus circa finem dicti diei hora circiter XII. nocturna inter tales furioſos motus, precibus tamen parentum et ſuas quandoque ſocians, rejectis antea per vomitum nonnullis viſciditatibus, animam Creatori ſuo reddidit. Sectionem cadaveris, quam intendebam, et parentes, ad captum et ſtolidum vulgi ſenſum, novae ſcilicet torturae infantem tradi putantes, tanquam crudele et inhumanum quid horrebant. Externus vero corporis habitus poſt mortem varios livores ſanguineos, quales ſugillatorum eſſe ſolent, hinc inde et potiſſimum circa pectus oſtendebat, ſanguinis absque dubio ſubſiſtentis torridi et grumoſi effectus.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d. 18. Junii A. 1717. miſſae.*)

OBSER-

OBSERVATIO LV.

Dn. D. Viti Riedlini.

Acidulae Uberkingenſes, ab obſervationis Auctore in uſum ductae.

DIu ſaepiusque vexatus doloribus colicis, hisce quidem melius mederi non potui, quam ſtrictam diaetam ſervando, et in primis in coena carnem omnino vitando: aliquoties tamen reproducebantur, in prandio nempe, vel pluribus vel coctu difficilioribus cibis ingeſtis; et inprimis anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum decimo quinto, menſibus aeſtivis tantum aliquando me proſternebant, ut non parum ſolicitum reddiderint. Contigit tum, ut iis vix devictis ad cereviſiarium quendam in ipſis Acidulis Uberkingenſibus aſthmate periculoſo correptum vocatus, locum acceſſerim; cui cum Dei gratia feliciter adſtitiſſem, ipſemet ad fontem acidulas (nil minus quidem cogitans, quam colicos dolores impeditum iri, ſed ut tentarem, quomodo feram,) ad ſesquimenſuram fere bibi, hincque iter domum demum inſtitui: quemadmodam vero tum urinam praecipue provocarunt, ita per integrum ſemeſtre a modo dictis doloribus immunem me praeſtiterunt; nec forſan rediiſſent; niſi in convivio quodam carnem ſuillam teneriorem quidem, at fumo induratam ingeſſiſſem, quae illos ſat acerbos reſuſcitavit. Uti vero ab illo fere tempore, quo acidulae tantum profuiſſe viſae fuerant, de horum uſu, more conſueto aliquando inſtituendo, ſaepius cogitaram; ita cum arthridis etiam, quae ante ſeptem fere annos multum et diu me divexavit, ſubinde reditum minaretur, membraque confortationem, mens requiem, requirerent, cum in praefatis doloribus arthriticis multis profuiſſe noſſem, tandem mecum conſtitui, ſequenti anno easdem me acceſſurum: quod et, Dei auxilio prius invocato, menſe Junio ad finem properante, ſexageſimum primum aetatis annum tum agens die ſcilicet 29. hujus menſis perfeci.

Cum

Cum vero jam praeter Ekoltum beatus meus parens de his aquis integros ediderint tractatus: et hoſce longe ſe ſuperare quidam medicus, in tractatu de iisdem edito, multis praecipue ad rem minime ſpectantibus verbis referto, totus ſit perſvaſus: de illis quidem integrum novumque tractatum ſcribere minus conſultum duxi, quae tamen notatu digna mihi occurrerunt, hoc modo cum Eruditis communicabo: Diſtat Uberkinga una hora, ab oppido Ulmenſis territorii Geislinga, ſita in valle amoena et fluvio Filz piſcoſo, rivoque, quem den Rötelbach nominant, perflua, et ſic quoque majorem amoenitatem nacta. In hoc ipſo pago vero fons a quibusvis aëris injuriis optime munitus tam profundus, ut fundus nullo modo hactenus attingi potuerit; ex origine, ſeptem pedibus profunda, et deſuper tecto munita, per duos canales in vas ſuppoſitum tacite quaſi profluit; tantam aquae vim ſuppeditans, ut non ſolum incolis et peregrinis quam plurimis quotidie inſignem aquae copiam ſuggerat, verum et, quantum quidem pro balneo requiritur, utut multi huic inſideant, ſic ſuppeditet, ut nunquam aqua deſit: et cum curioſus quidam Nobilis menſura et horologio exacto exploraſſet, quantum aquae viginti quatuor horarum ſpatio in ciſternam ſuppoſitam effluat, 6888. menſuras numerare potuit.

In contenta harum aquarum quo plures inquirunt, eo magis qua ea inter ſe diſſidere videntur: igne qui haec eliciunt, minus certi eſſe poſſunt, revera hoc ipſo modo illa prius in iisdem ſic extitiſſe; cum certiſſimum ſit, quaecunque continent, tam intime illis eſſe immixta, ut vix ac ne vix quidem ſponte diuturno temporis ſpatio a ſe invicem ſecedant: et ſic vel ipſemet hanc ipſam aquam per integrum biennium aſſervatam claram adhuc et absque ullo ſedimento vidi: innatat quidem cremor aquae in puteo ſuper fontem extructo, at hujus ſapor contenta minime prodit, et quoniam variegatus ille iridem quaſi repraeſentans color, non niſi quando multus talis cremor colligitur, in eo conſpicitur; (ego enim, cum una cum pluribus hoſpitibus, propius et diligentius quidem collectum, ut manibus

bus tenere potuerim, inſpexiſſem, cinereum deprehendi, qualem et ille, qui quando fons repurgatur, variegati coloris ab omnibus quidem conſpicitur, extractus, tamen et aſſervatus cinereum ſervat,) ſoli luci in loco obſcuriore refracto originem ſuam debet; hincque color hic nec minimum de contentis teſtabitur: martem continere a priore ſapor atramentoſus prodit; et hunc ipſum in ſubſtantia quidam ope ignis auctioris ex ochra (quid vero ſub hac intelligat, cremorem ſcilicet modo deſcriptum, an ahenis, in quibus aqua coquitur, adhaerentem cruſtam, cum aliud quid non inveniatur, me neſcire, ingenue fateor,) ſe produxiſſe prodidit; et hinc Vir Medicinae noſtrae multis modis proficuus, Lentilius, fautor meus, prae Würtembergenſibus cum Egranis convenire Uberkingenſes aquas medicatas in Eteodromo ſuo Practico aſſerit; a quibus tamen ut hoc differunt, quod rarius noſtrae alvum movent, quemadmodum illae tantum non ſemper; ita cum hoc ipſo anno ex meo conſilio quidam mecum Uberkingenſibus in doloribus arthriticis uſus fuiſſet, nec ita multum levaminis percepiſſet; Egranis tamen poſtmodum etiam potis, a doloribus ſuis liberatus fuit: ſimul tamen quidam, quem ficto nomine D. Lentilius Hardeſium nominat, qui terras diſtrictus hujus penitius exploravit, haud procul a pago Uberkingen mineram martis longe ditiſſimam invenit, et quidem ferri tam puri, ut alias (Hardeſius enim illi portionem dono dederat,) tales particulas ex aliis locis collectas longe poſt ſe reliquerit: a poſteriore vero tot effectus, qui marti in uſum ducto merito adſcribantur, ab his acidulis praeſtiti abunde teſtantur.

Veneris ſeu cupri haud ita participes haberi has acidulas, laudatus modo Auctor perſuaſus eſt; cujus tamen ab aliis nimium accuſatur: licetque et a praefato ſuperius auctore defendatur eo, quod, ſi tales particulas contineret, vomitus moveret, hoc tamen argumento nil prorſus obtinebit, cum ſic tales particulae in his aquis ſint correctae, ut, quod alias ex hoc metallo vomitum movet, omnino quaſi abſumtum ſit; quin quasdam et

hujus metalli eidem aſſerere partes, eidem laudi potius quam vitio cedet. Et ſane intimior martis et veneris amicitia, qua inter ſe invicem et commutantur, et Poëtarum furtivas Veneris martisque amores inde nonnulli derivant; et medicamenta ex venere, quae ſumme depraedicantur, parantur, idem ſuadent: nec plane nullos ſed ſalutares, utut rariuscule movent vomitus; et inprimis cuprum ſic purificant, ut et illud, quo munitum eſt vas illas continens, et quod appenſum, ut bibere quilibet poſſit, fonti conſpicitur, et alia ex cupro, quae hac aqua mundantur, tam egregium inde acquirunt nitorem, ut vel infima plebs ibidem obſervet. Saporem hujus aquae, ab ejus, quae Bollenſis nomen a pago vicino obtinuit, non differre bis terve ego obſervavi; hincque et ſulphureis particulis eſſe impraegnatam, judico.

Verum enim vero ſufficiant haec de fonte, de fontis uſu jam proferenda magis uſui eſſe poterunt. Praemiſi vero ego uſui acidularum laxans ex Infuſ. Fol. Senn. ℥ij. ſem. Aniſ. ʒß. et Mann. Calabr. ℥iß. paratum, quod alvum blande ſubduxit; nec absque tali medicamento facile inchoandum eſſe potum harum aquarum, tam ſana ratio (quotusquisque enim ex illis, qui tales aquas bibunt, eam ſervavit diaetam, ut de non reſtantibus in corpore excrementis certus eſſe poſſet?) quam uſus quotidianus docet. Die 1. Julii aquas bibere coepi, dimidiam quidem menſuram mane, et quartam hujus partem veſperi ad ipſum fontem ingerens: d. 2. tres menſurae partes, mane et veſperi unam bibi: ubi tum ſudorem movit, tum alvum ſubduxit, nec defuere indicia materiae diu in inteſtinis haeſitantis; licet, ut certius alvus moveretur, me more jam per quindecim et plures annos conſueto, in coenae principio Pilular. F F. unam ſumſiſſe, minus ſit ſubticendum: cum hac nocte hora fere ſecunda matutina evigilarem, tam acerbos ventriculi dolores perſenſi, ut vix acerbiores eſſe potuiſſent: bibi acidulas, ac pondus in ventriculo minus conſuetum, doloresque hinc auctos potius notans, nec dubitans, trottas piſces in coena comeſtos, cum

cum plus conſueto, nec absque nauſea, piſcium inteſtinis per incuriam coquae nōn rejectis, comederim, in ventriculo reſtitare, digito vomitum movi; nec opinio me fefellit, nec minimum mutatus piſcis in ventriculo, hoc fuit rejectus; non omnis tamen; hincque et infuſo Thee vomitum ulterius promovi, nec tamen dolores ante horam duodecimam meridianam ceſſàrunt, licet aliquoties et alvus fuerit mota: vel paululum vero ceſſantibus doloribus acidulas denuo bibi, quae nunc non tam eosdem non adauxerunt, quam alvum ulterius moverunt: at die 4. Julii taliter qualiter me habui, a doloribus quidem immunis, ſed laſſus, cum venis conſpicuis praeter morem inflatis, et appetitu plane proſtrato; edi tamen, licet parum, nec hoc quidem vero ſub veſperam coctionem ſubiiſſe, notavi; bibi tamen acidulas ad dimidiam menſuram, an ſint continuandae? haeſitans: continuavi autem easdem die 5. Julii, et tres Vlmanae menſurae partes absque ullo incommodo hauſi, non absque ſpe quadam, profuturas, quia ſudorem iterum commoverant: bibi aliquanto plus d. 6. Julii, ſimulque, cum motui neceſſario prius vacaſſem, balneo primo uſus fui, cum quidem optans, ut acidulae per unam alteramve viam magis excernantur: in balneo, cui d. 7. Julii per ſesquihoram inſederam, cum prius acidulas iterum bibiſſem, nil notatu digni obſervavi, niſi quod hae aquae tarde, maximamque partem per alvum ſeceſſere: bibi nihilominus hujus aquae et d. 8. ultra menſuram, balneoque per bihorium, (ultra quod tempus non aſcendi) inſedi, et ſic ſat bene me habui; at ſubſequebatur nox fere inſomnis, nec ventriculus plane non dolebat; bibi nihilominus d. 9. Julii, quinque menſurae partes fontis ſalubris, et balneum ſicut heri ingreſſus fui, horam, tempore etiam veſpertino in eodem conſumens: licetque nec per urinam nec per alvum tantum quantum aquae biberam, reddiderim, ſic ſat bene tamen me habui: nec quicquam d. 10. hujus menſis obſervavi, quod me ſpe denuo conçepta vel minimum decollaſſet; eundem et diem

12. expertus, quo dominico a balneo feriabamur; bibebam tamen acidulas, notabamque, quinque fere partes ingeſtarum per urinam, vix unam harum vero per alvum et ſudorem excretas fuiſſe: nil tamen reſtitare, cum nullam plane moleſtiam perceperim, perſuaſus fui: comedi hodie in prandio carnem anſerinam, et panem, cui et ova fuerant incocta, ſed haec difficilius coqui, perſentiebam, quia dolores arthritici, utut leviores, ſuboriebantur; nec licet d. 13. ſicut praeteritis aquam biberim, et ei inſederim, quicquam notatu digni ſe exſerebat; ſic ſat bene Dei gratia me habebam, utut omnem ſecedere aquam, notare non potuerim; menſurae ſcilicet, cujuscunque ſuppoſitae, (ut mentem meam magis explicem,) ex octo partibus duabus fere reſtitantibus: nec d. 14. notatu digni quid obvenit: d. 15. vero, cum ad fontem in ventriculo ſic reſtitaret aqua, ut is citius ac alias repletus videretur, quartam menſurae partem potui conſueto ſubtraxi, nec alium ac alias effectum deprehendi: balneo tamen egreſſus in pede ſiniſtro exanthemata rubra obſervavi, quae ſequenti 16. die ulterius ſe extendebant, qua iterum ſesquimenſuram aquae mineralis ingeſſi, ſic ſat bene, me habens: d. 17. et 18. notatu digni quid continuatus hujus fontis uſus non ſuggerebat; niſi quod ſemper plures puſtulae, non ſolum in pede, ſed et reliquis corporis partibus conſpiciebantur, pruritu quodam moleſtae: d. 19. quae erat dominica, a balneo abſtinui, at aquam in conſueta quantitate bibi; ſacra hinc frequentavi, et poſt meridiem in pagum Altenſtadt ultra horam diſtantem pedes exſpatiatus fui, unde non parvam quidem contraxi laſſitudinem, at per noctem ſic diſſipatam, ut d. 20. Julii et bibere et continuare balneum potuerim, eodem quo prius fructu: et quidem, ſicut mecum conſtitueram, ultimo in gradu ſupremo, quo ſcilicet ſesquimenſuram Ulmenſem bibi, maneque per bihorium, veſperi vero per horam balneo uſus fui: hincque d. 21. quinque fere partes menſurae aquae medicatae ſumſi, et per ſesquihoram mane, veſperi per horam fere balneo inſedi, jamque pauciores in cute conſpiciebantur maculae,

culae, balneumque ſic finii, cum d. 22. prius menſuram unam bibiſſem, et illi per horam inſediſſem: d. 23. iterum quidem menſuram unam bibi; ſed d. 24. Jul. laxans ſumſi, quod ad votum ſedes movit, ſicque cum d. 25. acidulas iterum bibiſſem, Dei gratia domum reverſus fui: ubi hactenus quidem notavi in primis viis ſic profuiſſe acidulas, ut dolores colici per integrum annum non redierint; ſed ſi ventriculus aliquantum ſolum oneretur, loco horum vel tertio die alvi fluxus levior ſubſequatur, ſic tamen, ut ſemper ventriculo hunc originem ſuam debere, ſatis conſtet: in artubus quidem nec minimum notare potui, quod vel magis roborati fuiſſent, vel minimum haberem, quod ſperarem, illos et a doloribus immunes futuros, ſi diaetam, quam hactenus ſervavi, non continuarem. Interea tamen tum ante me plures ſummo cum fructu in arthritide his acidulis fuere uſi; et mecum Mercator quidam adeo ſalutariter jam tertio quartove eas adhibuit, ut cum primo in illas deportandus fuiſſet, abhinc non ſolum ipſemet illas absque auxilio externo ingrediatur, quin plane a doloribus immunis vivat: et acceſſit, me adhuc praeſente, hoſpes quidam Weiſſenhornenſis, qui tantos dolores patiebatur, ut et me conſuluerit; licetque exhibito a me ſpecif. Ceph. D. M. levamentum quoddam perceperit, non niſi difficillime tamen movere ſe potuit, et ſemper duobus robuſtis viris opus habuit, qui eum et in balneum collocarunt, et ex hoc in lectum iterum transtulerunt: tam ſanus vero domum reverſus hic fuit, ut et ſaltare potuiſſet. Et jam ante plures annos ex locis ſat longinquis arthriticos huc deportatos fuiſſe, per certa monumenta conſtat: adeoque meum exemplum, cum nunc nec dolores paſſus fuerim, artuumque minus robur non tam doloribus quam aetati jam ultra ſexageſimum annum provectae adſcribam, ullum arthriticum ab uſu harum aquarum deterreat. Quemadmodum vero olim jam fratrem meum locum hunc tranſeuntem ſolum, et vix bis has aquas bibentem, feliciter ab Ictero liberarunt; ita nuperrime ejuscemodi quid cuidam con-

tigiſſe, qui hunc morbum colicis inſuper doloribus ſtipatum, brevi iisdem devicerit, incolae loci narrarunt; nec ego credo Ictericum ullum, qui ſanabilis eſt, fruſtra has aquas potaturum: quae et in haemorrhoidum fluxu proſunt, adeo ut hac de cauſa et ipſi Medici quidam Würtenbergenſes hoc malo affectos non tam ad ſuas quam noſtras has Uberkingenſes acidulas ablegent; uti quidem Conſiliarium quendam offendi, qui ſibi in hoc malo eas prodeſſe, teſtatus eſt. Nec magis illarum uſum hoſpes quidam Ulmenſis, utut eo, quo opus erat, modo in uſum non duxerit, fruſtraneum expertus eſt: quin hae laudes ejusdem et ad Illuſtrem Helvetorum Medicum Pfiſterum fuere delatae, qui in malo, cui nomen diarrhoeae haemorrhoidalis impoſuerunt, illas adiit, et calefactas quidem in lecto bibit, nec in balneum (quod in hoc malo proficuum multi experti ſunt,) adhibuit: de hoc utut per certos nuncios relatum fuerit, dolores ipſi adhuc ibidem moranti acerbiſſimos ſuperveniſſe, quin tamen cetera levamentum attulerint acidulae, quia reditum illum promiſiſſe, itidem retulerunt, non dubito. Pro anchora ſalutis hypochondriacorum haberi acidulas, quis ignorat? hancque et hae non uni ſolum et hoc anno praeſtiterunt. Commendarunt vires illas in ſenatoria dignitate haud exigua conſtituti duo Viri; profuere alteri vix ante biennium maniaco: Conſuluerant me paulo ante abitum meum duo Cives Ehingenſes, alter obſtructione hepatis, alter lienis et manibus palpanda laborantes, hiſce fruſtra jam aliis remediis in uſum ductis acidulas has commendavi, et adire fontem nequeuntibus, ipſemet per meos vaſis idoneis exceptas et ſigillo munitas miſi; hisque tantum profuere, ut ambo illarum uſum multum extulerint: quo ipſo ſimul conſtat, viribus ſat integris et ad peregrina loca has acidulas deportari; uti quidem hic Ulmae quoque multi cum inſigni ſuo fructu experiuntur, inter quos non unum ſolum novi, qui vel per totum annum eas bibunt. Cum ante biennium calculo renum laborans frater meus dilectus has aquas bibiſſet, calculo moto, hincque acerbos dolores excitante permotus

motus fuit, ut eo magis huc Ulmam properarit, utut ego conſultius duxiſſem, ut acidulas continuaſſet, inprimisque etiam in balneum has adhibuiſſet; hoc enim hic Ulmae vix inſtituto, calculoque inde excreto, illa qua excrevit, hora exſpatiari potuit. Uſus fuit his aquis quidam calculo renum obnoxius, de quo idem hoc metui, primo ſcilicet dolores revocatum iri: at non ſolum nullos hoc tempore ſenſit; ſed et trimeſtri jam exacto non ſolum ab his, ſed et aliis quibusdam malis immunis exiſtit, maneretque, ſi diaetam ſervaret: alius vero, qui adhuc majorem metum calculi veſicae mihi jam diu injecit, cuique hinc itidem minus profuturas acidulas, ſuſpicatus fui, eas tamen non ſolum absque ulla noxa, ſed et cum fructu bibit, dum cetera hypochondriacus exiſtit, et per haemorrhoidalia vaſa ſubinde multum ſanguinis perdit. Unus alterve in ulceribus antiquis habuit, quod laudes aquarum harum depraedicarit. Aurium tinnitu diu quidam divexatus, juxta me balneo inſidens, quod hic plane ceſſarit, teſtabatur. Sique ex aliis repetere vellem, quid olim jam praeſtiterint, plura non deeſſent, ſed actum non agam. Juvat vero, unam alteramve quaeſtionem, dum hic verſabar, ad me delatas cum brevibus ad eas datis reſponſis annectere: Sic ſcilicet unus alterve mala ſua primo aucta potius quam imminuta notans, interrogarunt, an acidulae nihilominus ſint continuandae? et ego omnino easdem continuandas eſſe, judicavi; cum ſic cauſam morbi aggrediantur, quam et debellare poſſint; nec ulli minus feliciter ceſſiſſe, obſervavi; cum catarrhus Matronam quandam multum divexaret, nec huic, ut a potu acidularum ceſſaret, ſuaſi, et ſane cum fructu eas continuavit: quin cum alius quidam propter Catarrhum parcius bibiſſet hunc, cum poſtmodum ex meo ſuaſu doſin potius auxiſſet, poenituit, quod non citius ſic ſibi conſuluerit. Menſibus fluentibus num pergere in potu liceat? non una ſolum ex me quaeſivit, quam quaeſtionem, ſicut qua alia medicamenta ſic interrogatus decidi, ſi ſcilicet auctior expetatur fluxus, ut omnino continuent menſtruatae: ſin nimius videatur,

tur, ut vel per biduum ceſſent, et ſe quieti dent. Motum ſenator quidam ſenex per aliquot jam annos tam neceſſarium ſibi invenit, ut niſi huic ad ſudorem usque vacare poſſit, ſemper minus bene ſe habeat: et ſane ego quoque, ſi motu ſudatiunculam promovere potui, quod ſole praecipue favente haud ita difficulter ſucceſſit, longe melius me habui: utut motum nimium et ad laſſitudinem moleſtam usque non approbem; nec illos, quibus aliis de cauſis corpus movere non eſt conceſſum, ſcopum ſuum propterea non obtenturos, aſſeram, quod vel dudum jam alibi hiſtoriis probavi; niſi vero aliis modis tum et inſenſibilem tranſpirationem promoverint, minus ſibi conſulent. Legiſti de meipſo, non ſemper per vias conſuetas tantum aquae potae ſeceſſiſſe, quantum fuerit ingeſtum, nec tamen minus profuiſſe; quod idem et alii notarunt: quod enim modo innui, per inſenſibilem etiam tranſpirationem multum excernitur, quod Sanctorii inprimis aſſertis experientiae ſuperſtructis accedens minime negabit: modoque minus gravent, aut et inflent inferiorem ventrem, aquae hae potae tuto continuari poterunt. Num potu et balneo ſi muluti liceat? dudum jam interrogatum fuit, nec me latet, quosdam hoc minus recommendare; utplurimum tamen magis prodeſſe, quam nocere, non ſolum in me, ſed et in aliis notavi; modo ſcilicet in tempore bibantur, ut hora minimum poſt potum partim motui, partim quieti detur; ſic enim tam proficuam inſenſibilem tranſpirationem itidem promoveri, nemo dubitabit; non vero tam de in plures horas protracto, quam poſt bihorium ad ſummum finito balneo me ſic ſentire, ex mea hiſtoria patet. Cum vix ſic inſtitui poſſit prandium, ut ad veſperam usque omnis cibus coquatur, ſi ſub hanc quis plus aquae, ac quidem ſitis poſtulat, ingerat, inter multos vix unus de fructu inde reportato ſibi gratulabitur. Ne nimium calidae inſideant aquae, qui in balneum adhibent acidulas, ſemper moneo; quamque parum hoc proſit, Mercatoris cujusdam uxor damno ſuo experta eſt; nimium enim calefactum ingreſſa balneum febrim contraxit,

traxit, Ephemeram vero, et Tincturae Bezoarticae facillime cedentem, tam moleſtam tamen, ut in poſterum non niſi temperatis ſe uſuram balneis ſponte ſecum conſtituerit; nec fruſtra alii eandem ſequentur. Sufficiant vero haec de his acidulis, et meritas earum laudes ſat decantantia; et non pauca tum circa harum tum aliarum talium aquarum uſum notatu digna ſuggerentia: quae quilibet in ſuum uſum adhibere poterit.

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. Viti Riedlini.

Paracenteſi non juvante apertum Cadaver.

CUm Uberkingae morarer, non ita diu ante abitum meum incola quidam loci me rogavit, ut ſuam accederem uxorem, jam diu tumore abdominis detentam tanto, ut craſſities ejusdem totius fere corporis longitudinem aequet; et quae per integrum jam ſeptennium et quod excurrat, abdomen ſuum tantum incrementum paulatim ſumſiſſe notarit: primo quidem in ſiniſtro latere, ſic tamen ut hoc tumido licet exiſtente, nihilominus in principio conceperit, et feliciter quoque pepererit: poſt hunc partum vero non ſolum tumorem in ſiniſtro latere magis fuiſſe auctum, verum et in dextrum usque latus ſe extendiſſe. Cum eam acceſſiſſem, ſedentem in lecto, ſatque alacrem adhuc et robuſtam inveni, et, cum filo abdominis circumferentiam metirer, parum admodum deerat, quin tum duas cum dimidia ulnas noſtrates aequaſſet: de uteri vel potius ovarii hujus hydrope nullus fere dubitans, cum praecipue nec minimo quidem ſigno praeter tumorem communis hydrops ſe proderet; et tot jam medicamentis fruſtra omnino in ſubſidium vocatis, in ſola paracenteſi opem quandam reſtitare, pronunciavi; nec tamen niſi maxime anceps remedium eſſe, ſubjunxi. Opis autem avidiſſima aegrota non ſolum haec at-

tentis auribus percepit, ſed paulo poſt per maritum ſummopere me rogavit, ut operationem hanc per Geislingenſium Chirurgum Hirſchlenium inſtituerem: quo inſtrumento illo, quod Scultetus deſcribit, maximeque idoneum huic operationi perficiendae exiſtit, deſtituto, hoc Ulma ut Uberkingam miſſum fuerit, per litteras effeci: Et eo ipſo die, quo poſtmodum abii, qui S. Jacobi feſtus erat, finita S. Concione, adſtante etiam Phyſico Geislingenſe, Excellentiſs. D. D. Vito Eberhardo Rothio, ex beata ſorore Nepote meo, et quibusdam acidulas bibentibus praeſentibus, auxilio Divino prius invocato, haec operatio inſtituebatur. Quemadmodum autem ſtatim difficilem hanc reddebat, quoniam extra lectum ſedere non poterat aegrota, et ſic in lecto inſtituenda erat; ita umbilicus, tumore ad infimum abdominis ſpatium detruſus, hinc difficulter inveniebatur, et inſtrumentum non tam infra quam juxta hunc fere intrudendum erat: et fortiter quidem hoc Chirurgus perficiebat; non minus tamen fortiter aegrota ſuſtinebat, adeo ut nec faciem quidem mutarit: Vix autem extracta acu cannulae incluſa cum impetu ſerum fuſcum prorumpebat, et absque ulla difficultate ſesquimenſura, quin aliquanto plus evacuabatur, hincque cannula iterum claudebatur, ne ſcilicet, jubentibus ſic quibusdam genuinis medicis, nimium aquae una vice ſubtraheretur: nec male poſt haec aegrota ſe habebat; quin potius dolorum quoddam levamentum percipiebat; in ſiniſtro autem latere abdomen ſic apertum fuerat: at quemadmodum maritus, inſpecto demum ſubtracto ſerō, referebat, ſimile plane ſerum in magna copia illam ore rejeciſſe, ita hoc omnem fere ſpem felicis eventus mihi eximebat; qua adhuc magis cadebam, cum vix domum reverſo cognatus meus D. D. Rothius per litteras referret, utut ſecundo aliquid adhuc ſeri profluxerit, poſtmodum tamen illud ulterius non ſucceſſiſſe, nec cathetere per cannulam immiſſo, nec aliis modis, quos tentarit, vel minimum elici potuiſſe; ſemper ad duriuſculum corpus allidentibus inſtrumentis; cum praecipue et quaedam ſigna recenſeret imminentis jam ſphaceli:

licet

licet enim, ſi hic permitteret, ut et in dextro latere tentaretur abdominis apertio, ſuaſerim, mors tamen imminens id minime concedebat.

Commode vero contingebat, ut hac ſuccedente, acidulas etiam acceſſerit Excell. Collega meus D. D. Uſenbenzius, qui laudanda curioſitate in interiora hujus mulieris indagandi excitatus, ab illuſtri Diſtrictus Praefecto licentiam hujus rei obtinuit; qui menſuram ambitus abdominis tribus ulnis dimenſus eſt; longitudine ſeptem ulnae quadrantibus conſtante; uti quidem cum ſubſequentibus benivole mihi communicavit: Veſiculae exterius conſpicuae ſat fidae ſphaceli teſtes erant: et ex dextro latere quadraginta fere adhuc menſurae ſeri viſcidi corruptique evacuabantur; Omenti fere conſumti reliquiae ſero quaſi innatabant: Inteſtina non ita ſtatim oculis patebant, ſed membranae incluſa erant, qua diſciſſa ſphacelum minitantia conſpiciebantur: juxta vulnus per paracenteſin inflictum excreſcentia inſignis inveniebatur, quae molam latam ſive placentam uterinam repraeſentabat; per inquiſitionem vero ulteriorem conſtabat, eſſe hanc ſiniſtri lateris ovarium, quod et veſicae plures in eo conſpicuae, nucem juglandem magnitudine aequantes, (utrum pro ovis, an vero hydaditibus ſint habendae, dubitat Exc. Dn. Collega,) membranis fere muſculoſis inſtructae, materiam viſcidam, tenacem et glutinoſam continentes, (hincque mihi omnino pro ovulis habendae) prodebant; Libras vero duas civiles haec maſſa pondere excedebat; cum alterius lateris teſticulus ſanus vix duas drachmas pependerit. Ren lateris, ad quem haec maſſa poſita erat, nec ſitu nec magnitudine novi quid ſuggerebat, pure tamen foetido repletas ſuas cavitates oſtendebat; hoc vero pus ad veſicam non fuiſſe delatum, haec eo vacua indicabat. Uterus plane ſcirrhoſus magnitudinem conſuetam parum exceſſerat; vacuum tamen omnino ſe ſiſtebat. Ventriculus, hepar, lien, veſicula fellea et ren dexter omni labe immunia ſe monſtrabant. Lobus Pulmonum ſiniſter pleurae ſic annatus erat, ut non niſi dilaceratus ſeparari

potuerit, dexter contra plane naturalis exiſtebat: Cor tandem flaccidum et ſanguine vacuum, quantum per tam diuturnum morbum fuerit paſſum, declarabat. Hactenus Uſenbenzius. Ceterum docet haec Obſervatio, Hydropem, quem Uterinum nominant, plerunque in teſticulis et originem et ſedem ſuam invenire, unde et ſacci illi ſaepe tam magni, tam inſignem aquae copiam continentes, et inteſtina contegentes, ſimul tamen et munientes, me quidem judice, commodiſſime derivantur; quemadmodum vero in parte a ffecta paracenteſin hic inſtitutam fuiſſe per modo narrata conſtat, ita non tam in hac quam dextra maximam partem ſeri extravaſati delituiſſe eadem indicant.

OBSERVATIO LVII.

Dn. D. Viti Riedlini.

Aquae Zaiſenbuſanae non quibusvis ſalutares.

CUm ante quatuor et quod excurrit annos, fato plerisque talibus fontibus ſoteriis communi, et is, qui juxta pagum Ducatus Würtembergici Zaiſenhauſen inventus fuerat, brevi temporis ſpatio tam inſignem fuiſſet nactus famam, ut inſignis aegrotorum numerus eundem adierit, tum quidem et ego a diverſis illius ergo conſulebar, quin per litteras Vienna huc ſcriptas propterea interrogabar. Et tum quidem primo ſchedula communicabatur, in qua plures notati fuerant, qui morbos alias fere inſanabiles eodem mediante devicerant: Eo ipſo vero ſemper magis curioſus fiebam certi quid de hoc ipſo fonte experiendi; tandemque aquae hujus menſura fere in vaſe bene munito ab Illuſtri quodam Patrono communicabatur, ubi tum colore, tum odore, tum ſapore, cum fonte, qui jam ante integrum ſeculum, quin diutius, mirabilis nomen obtinuit, quemque ipſemet bis in uſum duxi, Bollenſis nunc nomine noto, convenire deprehendi, licet color quodammodo obſcurior mihi fuerit viſus: dimidiam itaque menſuram et aliquanto plus cum igne

igne conſumſiſſem, quindecim grana pulveris albi reſtitere, in quo plusculae reliquas albedine vincebant, rotundae quaedam, quaedam oblongae, ſaporem vel nullum, vel ſane vix notatu dignum linguae imprimentes, igni injectae nec odorem nec fragorem edentes; per microſcopium margam aequantes, ab aliis tragacantho comparatae: Acetum confuſum liquorem ſtatim turbabat, et hinc inde fibrillae quaedam conſpiciebantur, nec priorem recuperabat claritatem: Spiritus Vitrioli nec minimum quidem mutabat liquorem, fundum petens, ſed absque ſedimento; oleum ♀r. per del. etiam turbabat, ſed absque ſedimento; utut per aliquot dies priſtinam claritatem itidem non acquiſiverit aqua: Sir. Violarum ſuum retinebat colorem, nec alio modo mutabatur, quam quod dilutior fiebat: quae licet cum illis, quae ſedulo indagavit, Excellentiſſ. Phyſicus et aquarum Inſpector Dn. D. Joh. Matth. Brigeſius, non omnino conveniant, aut paucitati tamen aquae, quae et plura experimenta non permiſit, aut illi tam longe portatae adſcribendum erit; aut et ulteriori indagationi anſam praebebunt. In tractatu ſane, quem edidit, caſus notatu digniſſimi deſcribuntur, quos in dubium vocare, parum honeſtum merito judicaretur: at in votis habere, ut et antecedentia et conſequentia in quibusdam caſibus adjecta; ut et caſus quorundam, quibus minus profuere hae aquae, ſubjuncti fuiſſent, quodque ideo haec, et quae ſequuntur, hic addere ſuſtineo, diligentiſſimus Auctor non male vertet, ſpero. Quemadmodum autem ex illis, qui me prius conſuluerunt, Melancholicus quidam ad incitas fere redactus, has aquas ſic cum fructu ſe in uſum duxiſſe credit; ut tamen illis, quae et antea juxta plurium celeberrimorum medicorum conſilia, et poſtea quoque adhibuit, itidem aliquid tribuat: ita cum filius meus p. m. militem tum inter Badenſes agens, ab officialibus quaſi adactus, me vix praeſcio, illas adiiſſet, phthiſico in ſummo fere gradu eas laudatus Dn. Brigelius optime diſſuaſit, ſine dubio enim inter bibendum fatis ceſſiſſet, uti non ita diu poſt ad me rediens ceſſit: Uber-

kingae ſubſiſtens per Dn. Paſtorem loci, certior fui factus, in viſus debilitate, cujus mali ergo praeſertim commendantur, quendam loci incolam jam bis fruſtra easdem acceſſiſſe: et Juris Conſultus quidam, inſignis hypochondriacus, aurium praeſertim tinnitu diu jam divexatus, qui inprimis non ita exiguam in his aquis ſpem poſuit, utut illas tam interne quam externe ſedulo adhibuerit, tantum tamen abeſt, ut vel minimum levamentum *inde* perceperit, ut potius non ſemel poſtmodum doluerit, quod acidulas Egranas, quae alias non parum profuere, loco Zaiſenhuſanarum aquarum non biberit: utut varios, quos hae juvere, viderit; inprimisque paupertinae conditionis hominibus multum commodi attuliſſe obſervarit: praecipue autem ut haec ſcripſerim, Philoſophiae quidam ſtudioſus octodecim annorum me permovit, qui a teneris, *illis malis*, quae ſpinae ventoſae tribuuntur, divexatus vel triennis, ſi recte memini, ulcus in fronte aluit, quod non niſi exemto oſſiculo coaluit; nec artus poſtmodum ab ulceribus talibus mox pus et ſerum fundentibus, mox iterum exſiccatis immunis extitere; donec tandem inſtar ſerpiginis humidae malum dextram malam ſic occupavit, ut non ſolum hanc mirum quantum deformarit, ſed et corroſerit, et ſero ſubinde copioſo extillante moleſtum exſtiterit, et ad naſum usque collumque prorepſerit. Varia itaque tum interna tum externa medicamenta adhibebantur, ſed omnia omnino fruſtra; tandemque ſpem quidam ipſi faciebant, hunc fontem omne hoc malum ſine dubio ſublaturum; de quo ego quidem dubitabam; at nihilominus eundem adiit, et pro ſua facultate non parum pecuniae inſumſit; licetque per octo fere hebdomadas tam interne quam externe aquam ſedulo adhibuerit, tantum tamen abeſt, ut inde vel *minimum* fructum reportarit, ut potius haec ſerpigo et plus ſeri fuderit, et latius ſe extenderit: licetque poſtmodum ſalivationi mercuriali aliquandiu ceſſerit, minus tamen ſervata diaeta, et adhibitis neſcio quibus unguentis reproducta fuit. Hoc ipſo etiam tempore textor quidam ruſticus curae meae creditus eſt, qui primo quidem in fa-

cici

cici ulceribus jam diu inſtantibus, quae fortiori ab equo dudum factae percuſſioni adſcribit, has aquas feliciter adhibuit; at brevi repululaſcentibus malis fruſtra omnino easdem denuo oppoſuit. Abſit vero, ut hisce obſervationibus laudes tam ſalubrium aquarum vel minimum imminuere tentem: communico haec unice, ut pateat, tam univerſales easdem, uti quidem non pauci illis tribuunt, vires non poſſidere; ut, dum in caſus, ubi profuerunt, ulterius inquiritur, et ii, ubi nihil iisdem proficiebatur, juxta illos poſiti, examinantur, magis innoteſcat, quibus tuto commendari, aut diſſuaderi poſſint: plurimum enim refert, noſſe, quibus tales aquae ſoteriae magis minusve ſint profuturae; longeque diutius et hae laudibus ſuis reſpondebunt, ſi non promiscue quibusvis, ſed illis ſolum, quibus per varias obſervationes et rationes profuturas conſtat, commendentur.

(*Ulma Auguſtam Vind. d. 30. Junii A. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. Johannis Andreae Uſenbenzii.

Mors momentanea ex vulnere.

TEmulentiam plurimorum malorum matrem eſſe foecundiſſimam, ſapientiſſimus quondam Regum Salomo effato ſuo divinitus inſpirato comprobavit, Prov. 23. v. 29. 30. *Cui vae? cui rixae? cui fovae? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, et ſtudent calicibus epotandis.* Ejusmodi triſtiſſimam ex temulentia hiſtoriam hic Ulmae experti ſumus d. 1. Sept. An. 1716. Duo quippe praefecti militares (quorum nomina lubens reticeo) temulenti, ſtrictis confeſtim gladiis in ſemet inſurgunt, et alter alterum nemine ferme advertente confodit, tanto vulnere, ut ſtatim corrueret, et infelicem animam in inſtanti efflaret. Ex Conſulari mandato ocyſſime vocatus ego, una cum Chirurgis Georg

Riedlen,

Riedlen, et David Conrad Heking, hora ſecunda matutina, ut cadaveris vulnus rimaremur. Accedentes conſpicimus vulnus in dextro humeri latere anteriore, inter musculum deltoideum et perforatum inflictum; ſtylo partim, partim ſectione ulterius inquirentes, vidimus ejusdem progreſſum ſub musculo pectorali usque ad interſtitium ſecundae et tertiae coſtae, quod itidem perforatum, pulmonis locum ſaucium oſtendebat. Aperto igitur thorace, inſignem ſanguinis grumoſi copiam offendimus, unde de majoris vaſis ſanguiferi laeſione nullum reſtabat dubium, id quod pergendo reperimus: Perfoſſus quippe erat dexter pulmonum lobus, et in parte poſtica vena arterioſa plane diſſecta, ramusque aſperae arteriae primae divaricationis hunc lobum ingrediens magnum ex laeſione hiatum acceperat, unde etiam per hanc viam ſtatim poſt acceptum ictum ſanguis magno cum impetu ex ore et naribus prorumpebat. His obſervatis, lethalitatem hujus vulneris abſolutam, et mortem neceſſario momentaneam decernere nullus dubitavi.

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. Johannis Andreae Uſenbenzii.

Foetus monſtroſus Cerebro carens.

TAntam certe in omnibus Obſervatorum documentis pariter, et ipſis E. N. C. Collectionibus reperimus monſtrorum copiam, varietatem et raritatem, ut anceps haeſerim, utrum fas ſit, et hujus hiſtoriam communicare; Cum vero videamus, nec naturam formatricem, potius dixerim deformantem, ab ejusmodi anomaliis deſiſtere, hinc ea, quae circa hunc foetum obſervavi, ſilentii involucro obvelare nolui. Enitebatur quippe in Noſocomio Ulmenſi uxor militis cujusdam praeſidiarii Anna Frieſſin 1715. d. 31. Mart. debito partus tempore puellam, quoad truncum et artus optime conformatam, quoad caput vero et collum inſigniter monſtroſam, vivam quidem, ſed pau-

pauculas poſt partum horas demortuam. Curioſius hunc foetum luſtrans obſervavi, in poſteriori capitis parte cranium nulla contectum eſſe cute, ſed loco illius ſuperſtratam ſubſtantiam carneo-fungoſam rubicundam, lacerationem ibi factam oſtendentem, quae ſine dubio a ſecundinis ibidem ante partum cohaerentibus ortum ducebat. Conſpiciebatur luculenter in hac maſſa motus quidam pulſatorius, uti in ſic dicta fontanella obſervare licet. Cranium ipſum adeo erat depreſſum, ut plane deficere videretur, hinc et nulla frons apparebat, oculi vero prominentes et valde elati, inſtar ranarum turgentium conſpiciebantur. In labii ſuperioris dextra parte ſeſe ſiſtebat fiſſura leporina inſignis, quae totam ſuperiorem maxillam dividebat usque in meatum narium, unde etiam os valde hiabat, et deformem faciem praeſentabat. Separatis jam cranii integumentis, illud totum fere ſolidum reperiebam, eodemque ob duritiem aegerrime aperto parvam admodum cavitatem, nucem juglandem ne vix quidem admittentem obſervavi, in qua vero ne ullum quidem cerebri veſtigium comparebat. In colli brevioris juſto inveſtigatione nullam deprehendi vertebrarum diſtinctionem, ſed breve ſaltem et continuum ſolidum oſſeum magma. Inquiſitione facta in principium nervorum medullaeque ſpinalis, haec ipſa quidem in maſſa illa externa occipitali carnoſa initium habere videbatur, nervorum autem emiſſiones ad organa ſenſoria, quamvis acutiſſime attendens, nullas plane perveſtigare licuit. De cetero cum reliquum corpus naturali ſimillimum conformatum fuerit, hinc et viſcera in eodem contenta taliter conſtituta deprehenſa fuere.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. Johannis Andreae Uſenbenzii.

Hiſtoria quaedam notabilis foeminae ex delirio melancholico in propria viſcera ſaevientis.

QUam tragicos quandoque Melancholia delira producat effectus, hinc inde ex Obſervatorum libris non ſolum, ſed et ipſis Eph. Nat. Cur. praeprimis Dec. 2. A. 8. Obſ. 128. et ejusdem Dec. An. 10. Obſ. 10. abunde liquet; quibus et ſequentem, ob facti raritatem, variaque notatu digna adjicere, forſan non adeo erit inconcinnum. Caſus autem eſt talis: An. 1715. d. 24. Oct. ante horam matutinam tertiam ocyſſime vocatus in Noſocomium Ulmenſe publicum, una cum Chirurgo David Heking ad foeminam quandam adhuc coelibem 50. annorum, nomine Anna Maria Mürdlin / quae per longum ſatis tempus, a duodecimo quippe aetatis anno per intervalla rariora quidem tentabatur delirio quodam melancholico. Haec in ejusmodi, ut ita loquar, paroxysmo cultello quodam marſupiali viliori, mucronato quidem, ſed nulla fere acie praedito, inſuperque aerugine obducto (mit einem kleinen liederlichen und roſtigen Taſchenmeſſer) abdomen confodit in dextro ejusdem latere infra umbilicum tanto vulnere, ut ſtatim ad 4. ulnarum longitudinem inteſtina prolaberentur. Nos celerrime quaſi advolantes, vulnus et inteſtina ſcrutantes, deprehendimus vulnus factum eſſe in modo dicto loco ad digiti fere longitudinem non ſolum, ſed inteſtina prolapſa ter eſſe ſauciata; conſpiciebatur quippe primo foramen ſimplex, deinde duplex, pertuſio nempe inteſtini totalis, et denique paulo ſuperius plenaria ejusdem diſciſſio; meſenterium inſuper ejusdemque vaſa ſanguiflua inſigniter erant ſauciata et lacerata, unde immanis haemorrhagia ſequebatur. In hoc miſerrimo et plane deſperato aegrae ſtatu, praemiſſo prognoſtico, tamen egimus, quod potuimus; con-

ſuta

ſita ſunt inteſtina tam enormiter vulnerata, lacte et vino tepido fota, in abdomen repoſita, vulnusque externum optime deligatum. Inter hos labores non ſine violentia inevitabili transactos, ingentes ejulatus, clamores et ſtertores ob dolores exquiſitos fiebant, finitis autem illis, quiete ſatis, quantum ejusmodi rerum facies permittit, ſeſe geſſit, nulla plane accedente lipothymia, redintegratis potius in totum functionibus rationalibus, ita ut facinus αὐτοχειρίας animitus agnoſceret, moeſta vere poeniteret, plenaque fiducia εὐχαριςίαν expeteret. Quem poenitentiae et confeſſionis actum praeſentibus Dominis Chriſtoph. Rinck Paſtore, et Joh. Frid. Herttenſtein Diacono et Prof. Publ. ad horam continuavit. Verita autem, ne propter vomitus jamjam praeſentes Panis et Vinum Sacrae Coenae iterum evomerentur, prudenter aquam ſimplicem prius tentaminis loco expetiit, hac intentionis ſpe, quod ſi haec intra corpus permaneret, etiam illa permanſura ſint; quod et factum, retinuit quippe aquam, et poſt horam deinceps ſacramentum ſumma cum devotione accepit. Per totam illam diem de doloribus quidem intenſis conqueſta fuit, patienti autem animo illos toleravit, integra ſemper praeſente ratione; inſequente etiam nocte quamvis parum, ob continuos dolores, placide tamen dormivit. Cum ſequente die 25. mane eandem viſitaremus, de doloribus intenſiſſimis continuo affligentibus, et inſtar ignis urentibus conquerebatur, inſpecto et religato vulnere, turundaque exemta, pus bonae notae profluebat, nullus aderat foetor, nullaque abdominis intumeſcentia, hinc novis applicatis emplaſtris vulnus iterum deligabatur. Veſperi eandem adiens, easdem audiebam querelas, vires autem jam valde declinabant, vox erat rauca et debilis, pulſus durus, inaequalis, et quandoque tremulus, ut hinc fere concluderem, mox finem miſeriae affuturum. Aſt die 26. mane eandem viſitans, de nocte quidem inquieta et doloribus lancinantibus conquerebatur, vires tamen magis firmae videbantur, loquela erat facilior, ſitis tamen intenſa, Inſpecto vulnere, pus iterum emanabat ſatis laudabile,

 dabile,

dabile, nullo putredinis foetore inquinatum; comedit parum de jusculo vini calefacti; transegit quoque hanc diem in aequali ſtatu.

Die 27. mane illam iterum accedens percepi, eam praeterita nocte per bihorium placide dormiviſſe; poſt mediam noctem expetebat pyrum majus, eine Pfundbirn/ quod etiam totum confricatum comedit; videns quoque quendam comedentem raphanum nigrum, fruſtum quoddam petiit, et accipiens, fruſtum ad digiti longitudinem manducavit, necnon pomum integrum cum dimidio. De cetero idem rei erat ſtatus. Religato vulnere, pus iterum aderat, ſed cum foetore notabili. Pulſus erat valde debilis. Hac ipſa die ab hora 11. usque ad 12. quater per alvum dejecit foetidiſſima, poſt quas dejectiones inferiores corporis partes frigeſieri incipiebant; poſt horam 4. veſpertinam lipothymiae iteratae accedebant, et pallor faciei, mortis inſtantis prodromi, quae etiam, me praeſente, placidiſſime ſubſecuta eſt, ſine ullis motibus convulſivis paulum ante octavam veſperae horam, ut ita poſt vulnerationem hanc inſignem ſuperius annotatam ſupervixerit 89. horas, quod certe notatu digniſſimum judicavimus; necnon id, quod antea jam monui, quod nimirum ſtatim poſt inteſtinorum repoſitionem vulnerisque deligationem mens alias valde perturbata in ſaniſſimum ſtatum redierit, in eoque ad ultimum usque vitae halitum perſtiterit. Per totum quoque decubitus decurſum nil niſi aquam frigidam deſideravit, eaque, uti ajebat, inſigniter recreabatur.

Die inſequente 28. cadaver ejusdem mane ſectioni ſubjectum, aperto abdomine, inteſtinum ileum vulneratum, nec non meſenterium laceratum conſpectui ſtatim ſeſe ſiſtebant, omniaque inteſtina in excrementis putridis, multa bile tinctis, ſero et ſanguine permixtis fluctuabant, praeſentemque gangraenam oſtendebant. Curioſitatis gratia in lienem quoque inquirebam, quem offendi naturali quantitate multo minorem, coloris qualitate exterius nigerrimum, interius ſubfuſcum, nullis tamen duri-

tiebus

tiebus vel ſcirrheſcentiis inquinatum. Hepar et renes ſatis rite erant conſtituta. Plura ſcrutari neceſſe non judicabam, cum haec ſectio confirmationis ſaltem gratia laeſionum inſtitueretur.

(*Ulma Auguſtam Vind. per Nob. D. D. Vit. Riedlinum, d. 30. Junii An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO LXI.

Dn. Lic. Roſini Lentilii.

Deglutitionis impeditae notabilis Hiſtoria.

MEnſe Auguſto anni 1715. cum Sereniſſimo Principe Ducatus Würtenbergici haereditario *Bruxellis* aliquandiu haerens, ejusdem menſis octavo *Lovanium*, celeberrimam Belgii Hiſpanici Univerſitatem, in qua cum olim eruditiſſimi Medici floruere, tum ante hos paucos annos vitam finivit induſtrius Anatomicus *VERHEYENIUS*, viſitavi. Profeſſores Medicos tunc ibam ſalutatum, ſenes venerandos Dnn. *PIETERS* et *SOMMERS*, quorum ultimus mulieris cujusdam mihi hiſtoriam recenſebat, quae, ut omnia, tam eſculenta, quam potulenta, promtiſſime deglutire ſciret, *Hoſtiam tamen conſecratam nullo modo poſſet*, quin, adhibita magna vi faucibus ingeſtam vomitu rejicere cogeretur. Durare malum ajebat jam diu, quaeſitaque et applicata varia ſine fructu remedia; nec eſſe mulierem aliis morbis obnoxiam, non hyſtericam, non ſpaſmis affligi ſolitam, nil inſoliti circa menſium negotium unquam accidiſſe, eam appetere, hilarem eſſe &c. Dicebat, ſe hodie legiſſe in *ETTMULLERI praxi* Caput de *Deglutitione laeſa*, nec ibi, quod e re ſua eſſet, reperiſſe, nec ullam ex adductis ibi cauſſis huic Individuo applicari poſſe, quosdam de faſcino ſuſpicari, mulierem hoc nomine ſe pro infeliciſſima reputare, contriſtari, animo angi, metumque eſſe, ne denique malum in melancholiam veram terminetur. Interrogavit Vir optimus, quid de hoc malo ſentirem? quaeſivi ex ipſo: an nullam eius

 origi-

originem vel cauſſam occaſionalem ſciret, qua forſan impellente id primitus obſervatum fuiſſet? Nullam reſpondit. Igitur in hunc modum diſſerere coepi: Quandoquidem iſtius mulieris gula omnia reliqua, deglutitioni tamen apta, non reſpueret, excepta ſola Hoſtia, non mihi quaerendam videri cauſſam vel in organi quodam aut muſculorum oeſophagi vitio, vel in aliqua peregrina humorum, adde, ſi vis, ſpirituum, qualitate, vel alia quavis affectione phyſica. *Veriſimile potius eſſe, quod iſta tragoedia ludatur a cauſſa morali*; idque praecipue, ſi magicam abeſſe velimus. Majorem eſſe pathematum animi vim ad impediendas quasdam actiones materiales, utcumque ſalvis omnibus organis, quam ſibi quis facile perſuadere poſſet. Quid? ſi haec mulier ad Corpus Dominicum aliquando acceſſerit, reluctante ob peccata quaedam commiſſa, nec tamen confeſſa, conſcientia, adeoque tremula et perculſa, ſic, ut ſibimet ipſi viſa fuerit indigna, quae pignore iſto potiretur, atque ſic eo revera potiri non valuiſſet? Quid? ſi tunc, cum eam acciperet, ipſi contigerit, quo Germani vocamus, verſirnen / nec ſatis emphatica voce latina reddere callemus? Myſterium hoc adeo ſacroſanctum habetur, ut ſine ſacro horrore vix capiant etiam illi, qui ſibi nullius mali damnabilis ſunt conſcii: ſufficit autem vel ſemel tale quid eveniſſe. Talismodi enim ideae tam alte animo infixae haerent, ut alio tempore idem tentantes eodem modo afficiantur, ſic, ut per tres vel quaternos actus res ea omnino in conſuetudinem (rem naturae adeo familiarem) abeat, ut ſcilicet terrore ac metu affecti toties quoties accedant, nec quantacumque vi ſibimet illata propoſitum exſequi valeant. Non haec a me gratis dici, plures obſervationes parallelae circa res, quae tanti momenti nequaquam ſunt, abunde comprobaverint. Chirurgum quendam novi, qui Virum primarium, ſibique praepoſitum, novacula ſua, ni fallor, inter radendum aliquando leviter vulneravit. Ab eo ſane tempore, cum et me et alios omnes levi manu raſerit, nec caeteroqui ſit puſillanimis, iſtum virum adeo non amplius radere poteſt, ut manu vix admota

mota totus contremiſcat, ac ab opere ceſſare cogatur. Noto notius eſt, inter cauſſas impotentiae virilis non eſſe poſtremam puſillanimitatem, ut, qui non alacri animo rem aggreditur, ſe turpiter dare conſueverit. Nam et mihi noti ſunt, qui apud ſcorta plus quam viri, uxoribus conjugale debitum ſolvere nullo modo potuerunt, quos tamen caetera non odio habuerunt. Suaſor itaque fui optimo ſeni, ut, poſtpoſitis omnibus e pharmacopolio petitis remediis, cura ſola moralis adhiberetur, inde fortaſſis adhuc ſpem nonnullam ſupereſſe, ut, puſillanimitate omni procul relegata, mulieri animus addatur: ſic enim haut raro et maritos ad ſua munia rediſſe &c. Non omnem mihi aſſenſum denegavit Vir optimus, et forſan eventus, quid inde futurum ſit, aliquando docebit. Neſcio, an unquam deglutienda tradita fuerit huic mulieri hoſtia etiam non conſecrata, et quo cum ſucceſſu? quamvis, ſi id factum eſſet, non dubito *Dn. SOMMERS* ejusmodi circumſtantiam valde memorabilem mihi relaturum fuiſſe. *Quod ſi non conſecratam inſcia deglutire valeret, mali cauſſam altius omnino petendam eſſe liqueret.*

SCHOLIUM.

IN ſententiam noſtram non male quadrat *Obſerv. LXXIX. Ann. I. Dec. III. Ephemer. noſtr.* ubi B. *ALECTOR* noſter mentionem injicit cujusdam, qui ab hauſto tabaci fumo deglutitionem ita ſenſit impediri, ut non niſi magno conatu tertiumque repetito molimine cibum aeque ac potum deturbaret, negotiumque difficilius adeo proceſſiſſe, *ſi ſibimet ipſi dictum affectum cum timore altius imaginaretur, et de deglutiendi facultate ſollicitus eſſet*, ſunt verba *GOCKELII.*

Inter ſcribendum occurrit, an non Hoſtia liquore macerata facilius deglutiri potuiſſet? Sed, cur alia ſolida potuit? Eadem difficultas premit

De *maxima vi Conſuetudinis in actiones humanas*, uti jam ſuo tempore *GALENUS*, ita complures alii ejus in arte poſterorum ſubinde multa notatu digna tradiderunt, omnium autem

opti-

optime declaravit *Illuſtris Medicinae Inſtaurator* , *STAHLIUS noſter*, quem poſtea ſecuti ſunt alii, quos inter *STAHLIUS Argentoratenſis* , inclytus Dn. *NENTERUS.* Natura certe, uti rebus v. gr. cibis inſolitis, quinimo ſibi adverſis , pedetentim aſſueſcit, quo de videatur *BAYLE Probl. Phyſ. et Med.* 92. Ita non minus iisdem antea gratis et ſuavibus, ingratiis aliquando obtruſis rurſum adeo deſueſcit, ut oblatos poſtea non amplius aſſumere vel deglutire queat. Plura mihi hujusmodi exempla ſunt nota, ac in praxi numeroſa non infrequenter occurrunt. Inveni v. gr. qui offarum e vino cum ſaccharo, ovis, croco &c. coctarum (Weinſuppen) amantiſſimi, ubi ſemel ingrata medicamenta eidem offae, ceu vehiculo, permixta deglutire cogerentur, illas poſthac ne quidem olfacere, multo minus aſſumere valuerunt. Hinc eſt, quod aegroti quidam detrectant uti medicamentis cum jure carnium, ne poſtea hujus averſatione puniantur, (**man mögte ihnen die Suppen damit verleiten.**) Olim in *Curlandia* comedendus mihi offerebatur piſcis ibi locorum vulgatiſſimus , quem *WILLUGHBEJUS Hiſt. Piſc. L IV. cap. V. p. m.* 249. nominat *Caraſſium*, alii *ſaperdam* Germani Karauſchen/ qualem vel ſexcenties alias cum voluptate comederam. Hic vero, pro indole Polonorum, tanta croci copia conditus erat, ut ſapor mihi valde moleſtus eſſet. Nihilominus, ne hoſpes parum commodus viderer, ejus portionem non infimam ſumma cum averſatione comedi, ſtatim poſtea febri tertiana intermittente diuturna correptus. Ab iſto tempore piſcium iſtorum tantum me faſtidium cepit, ut vel ad eorum commemorationem horrerem. Medicamentorum eadem eſt ratio, ad quorum certas formulas, qui minis aliave vi adhibita coguntur, eas protinus averſari diſcunt. Curioſa porro de Conſuetudine ejusque vi vide ap. *PECHLIN. lib. III. obſ.* 37. Itemque *BRUNONIS Diſp. elegant. de Conſuetudine* habitam *Altdorfij* An. 1677. Fluit inde cautela practica, *neminem aegrum vel ad alimenta vel medicamenta, quae valde averſatur, violenter adigendum eſſe.*

OBSERVATIO LXII.

Dn. Lic. Roſini Lentilii.

Foramen ovale in milite quodam ſuſpenſo adbuc apertum.

TAmetſi nil inauditi proferam, profero tamen, quod raro ſatis obſervatur. Tunc etiam, quum eſſem *Lovanii*, ſuſpenſi militis corpus anatomico cultro patebat. Monſtratum mihi fuit Cor diſſectum, cujus adhuc ita patebat *ovale foramen*, quaſi nunquam poſt miſeri nativitatem clauſum fuiſſet, vel claudi potius debuiſſet. Referente Dn. *REGA*, proſectore, anatomesque Profeſſore extraordinario, viro perhumano et erudito, cujus amicitiam colo, militis illius tota pulmonum compages nusquam libera erat, ſed circumquaque non tantum lateribus, ſed et ſpinae dorſi, ſterno, faucium iſthmo ac diaphragmati adeo firmiter adglutinata, ut ſine ſubſtantiae laeſione nusquam avelli quiret, quod quidem ipſimet mihi in milite quodam, ex abſceſſu ſiniſtri ventriculi cordis rupto ſubito exſpirante obſervatum, cujus hiſtoria exhibetur in *Eteodromi mei p.* 689. Annon quis merito ſuſpicari poſſit, hujus militis pulmones jam inde a nativitate partibus iſtis adnatos, adeoque, pro exigentia motus ſanguinis circulatorii, impedita ſic reſpiratione, non ſatis eos dilatari vel concidere potuiſſe? Hoc enim ſi locum habet, *foramen ovale* ab ipſo vitae primordio apertum manſiſſe, adeo mirum nemini videri debet. An aſthmaticus fuerit hic miles, vel dyſpnoea ſaltem laborarit, dicere non potuit Dn. *REGA*, quippe cui miſer antea cognitus non erat. Veriſimile eſt, nil tale paſſum eſſe, et quidem propter *foraminis ovalis*, tranſitum ſanguini concedentis, permanentem aperturam, cujus beneficio tam libera largaque reſpiratione, quae clauſo iſto foramine requiritur, opus ipſi non fuit. Alioqui enim vix tamdiu perennare, immo commode vivere, immo militiae incommoda ſuf-

ferre potuiſſet. Olim aliquando in lanione ferme ſeptuagenario, viro robuſto ac toroſo, talem pulmonum, quamvis adhuc leviorem, adhaeſionem obſervavi, ſed is, referentibus filiis, jam a longo tempore altum ſpiraverat.

SCHOLIUM.

IN corpore caementarii viginti et aliquot annorum, praeter pulmonum validam adhaeſionem, *foramen ovale*, ut in infantibus, patebat, referente *HARDERO Ann. IX. Dec. II. Eph. noſtr. Obſ.* 92. Optandum erat, ut, qua fuerit ante fatalem ultimumque morbum conſtitutione vir ille, cumprimis quoad reſpirationis negotium, penitius innotuiſſet. Parallelam exhibet *BRENDELIUS Cent. III. et IV. Ephem. Obſ.* 166. de femina 22. annorum *foramen ovale* patens habente, cujus quoque pulmones utrinque adnati fuerant. *BARTHOLINUS in Anat. novae Lib. IV. cap.* 8. Hoc *foramen* in adultis pervium *PINAEUM* ter, *RIOLANUM* ſemel, ſeque non ſimplici vice obſervaſſe ait; quinimmo et *MARCHETTUM* in Juvene 25. et *MAUR. HOFFMANNUM* in alio 30. annorum idem vidiſſe, et paullo poſt, *apertum tantum manere dicit, cum alias vias occluſit Natura*, ut *Patavii* in eo ſene animadverterit, cui venoſa arteria phlegmate obturabatur. Rariſſimum igitur eſt, inquit *DIEMERBROEK Anat. L. II. cap.* 10. ſi hoc *foramen* in adultis pervium inveniatur, idque ex decem millibus vix in uno occurrit.

Num urinatorem agere potuerit hic miles, problema eſt. Hoc foramine aperto manente non quidem difficile eſt concipere, quo pacto quis diu, ſalva vita, ſub aquis durare queat. Sanguine enim per hoc foramen tranſeunte, non opus eſt reſpiratione. Hinc perſuaderi ſibi paſſus eſt *TH. CORNEL. CONSENTINUS*, hominem arte fieri poſſe amphibion, ſi eidem nuper nato ſaepius in die comprimantur nares et labia, ſic enim foramen ovale pervium manſurum. vid. ejus *Progymn. Phyſ.*

Phyſ. VII. de vita p. 308. Vanitatem autem hujus artificii quamvis celeberr. *ETTMULLERO Diſp. de abſtruſo reſpir. human. negotio cap. IX.* §. 7. non diſpliceat, ſicuti neque *Dn. LENDOUILLETTE Zodiac. Med. gall. An I Auguſt. obſ.* 15. clare, ni fallor, oſtendi in *Jatromnem. P. II. p.* 525. *ſeqq.* vid. etiam *SEBIZII Diſp. elegant. de Urinatoribus et arte urinandi* habita *Argentor.* An. 1700. ubi et ipſe §. 11. teſtatur, ſe in *Juvene Helvetio* hydrope aſcite extincto, *foramen ovale* non exiguum et monogrammon, ſed patentiſſimum, quale in fetu eſſe ſolet, obſervaſſe.

Incidenter commemoro *Lovanii* itidem eſſe mihi monſtrata diverſi ſexus quinque adulta corpora, arte celebris olim *Ludov. de BILS* condita. Satis adhuc ſunt viſu curioſa, teredinem tamen hinc inde experta, et per haeredum *Bilſianorum* incuriam ſuis quibusdam partibus mutila. Quin et hoc apparet, minus virum iſtum ambitioſum, quam publico per glorioſa ſua ſcripta promiſerat, illa ſua conditura praeſtitiſſe.

Oſtenduntur et ibi pauca quaedam *inſecta in liquore ſervata*, quae inter eminet *vipera* quaedam *Americana, e cujus utero ſui quadam parte propendet ſcriptorii calami craſſitie vipercula.* Si res eo, quo par eſt, candore agitur, ſeminata vipercula viperas eſſe revera viviparas clare demonſtrat.

(*Stuttgardia Auguſtam Vind. d. 22. Julii An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. Gothofredi Heldii.

Peſtis vera Origo ex Ventribus Turcorum a MASLACH frequenter comeſto, cum ſubjuncta funeſtiſſimi hujus Morbi aliquali idea et Curatione.

VNanimis Loimographorum ſententia eſt, Peſtem ex Oriente ad nos deferri, utpote ibi frequentiſſimam: *Aſia* enim

tota illi ſubjecta, et quidem *tam Orientalis* ſive proprie ſic dicta, in qua ipſa Orientalis India intra et extra Gangem cum imperio Magni Mogolis, imperium Perſicum et Sinarum, cum inſulis Aſiaticis, in quibus imprimis celebris Chinae adjacens Japonia; *quam Turcia Aſiatica*, in qua Palaeſtina notabilis, item Natolia ſive Anatolia, Italis cum Orientem reſpiciat, Levante, alias Aſia minor appellata, cujus Smyrna, emporium celebre, peſte, currente hoc MDCCXVII. Anno, nimium quantum agitata, cum inſulis Archipelagi, Natoliae adjacentibus, ex quibus imprimis Chius ſive Scio, et Lesbus ſive Metellino, quae alias Graeciae annumerantur, exitiali hoc morbo quaſſatae. Sic etiam Aegyptus Africae, Turcis hodie Miſir dicta, gravi non raro conflictatur peſtilentia, qualem ex Aethiopia in Aegyptum Libyamque et Athenas deſcendentem, jam olim obſervavit, eamque graphice et quoad omnia ſymptomata curatiſſime deſcripſit et delineavit celebris Athenienſium Hiſtoricus Thucydides Libr. II. de Bello Peloponneſiaco pag. m. 130. ſeqq. Major vero vis peſtis Conſtantinopoli in Romania, et ſic in Oriente quidem, ſed extra Aſiam, Turcos hoc ipſo, quem decurrimus, Anno affecit, ubi multi peſte abſumpti fuerunt: unde Sultanus ipſorum Adrianopolin ſeceſſit, ubi hactenus tela ſua ferocia et viroſa, Chriſtianis immittenda parari et acuminari curavit, ſed ope et auxilio Dei, a noſtris partibus ſtantis et pugnantis, fruſtra. Etenim victorioſiſſimo Caeſari noſtro jam ante obſidionem Bellogradi, navali bello victrices aliquoties manus dare coactus; nec non d. 16. Julii Venetorum exercitus claſſem Turcorum ſeptuaginta navibus ex Dardanellis Helleſponti prorumpentem et excurrentem, navali praelio in aquis ad Imbrum profligavit, ut ſumma cum jactura fugam capeſſere, ſe intra portus ſuos, in quos refugium patebat, turpiter abſcondere, Venetisque victoriam concedere coacti fuerint. Et ne quis putet, nos triumphum ante victoriam ceciniſſe, eſſe flagellum noſtrum turcicum, fuſis die 16. Auguſti Sarracenorum copiis, et capto, die 18. ejusdem, Bellogrado ſive Alba Graeca iterum ſenſibiliter et feliciter flagellatum.

Turco-

Turcorum gentes habitae ſunt Chriſticolarum
perpetuum belli terraque marique flagellum;
Aſt nunc Achmetem CAROLUS devincit ubique,
EUGENIO forti Duce, nullo Marte ſubactus.
JOVA juva vireat CAROLUS cognomine Sextus,
ac expallescant molimina atrocia Lunae.

Flagello Turcorum bellico feliciſſime ſic ad mortem caeſo, DEUS miſericordiſſimus et a nobis alterum eorum flagellum, nempe peſtem ex iis enatam, et hactenus in illorum visceribus immaniter ſaevientem, clementiſſime avertat.

Unde autem dira haec lues primitus oriatur, Loimographi diu multumque disceptarunt, cauſamque utplurimum extra homines longinque vel ab aſtris eorumque malignis in haec inferiora influentiis, vel à venenoſis terrae effluviis deduxerunt; mihi vero, cum aër, peſte ſaeviente, plerumque innocuus deprehendatur, et peſtilitas ſemper ſpecificata, non bruta ſimul cum hominibus, ſed hos ſeorſim et ſolos contagioſe inficiat, quod tamen aëre infecto indifferenter fieri deberet, magis veroſimile eſſe videtur, cauſam peſtis primigeniam in ventribus Turcorum quaerendam eſſe, cum a barbaris his gentibus in nos perpetuo transfundatur.

Confidenter igitur adſtruo, cauſam peſtiferam in ipſis Turcorum visceribus delitescere, et ſuo ſeſe tempore manifeſtare, hincque peſtem poſtmodum epidemice graſſari, quemadmodum variolarum fomes in hominibus non raro usque ad adultam aetatem vel diutius latet, donec exanthemata haec cum impetu in habitum corporis protrudat.

Ex quanam vero cauſa epidemica ejusmodi peſtis in Turcorum corporibus generetur, ut ſingulis ferme ſeptem annis tam notabilem inter ipſos ſtragem edat, inquiri meretur.

Non hic inordinata victus ſeu vivendi ratio vel perverſa diaeta accuſanda, cum Turci ſimplici tantum victu utantur, ac diaetam tam exactam obſervent, ut Augerius Gislenius Busbequius, qui Legationibus nomine Imperatorum Ferdinandi Primi et

Maximiliani II. apud Portam Ottomannicam claruit, Epiſtola I. pag. m. 91. de Turcis affirmare auſus, unum aliquem noſtratem, majorem ſumptum in cibos facere uno die, quam Turca faciat duodecim. Cum vero pſeudoprophetica lege Mahometi in Alcorano Surat. 8. Mahumedanis cautum ſit, ut a vini potu ad guttam usque abſtineant, nec ſine ſcelere, eo uti poſſint, licet clam quandoque illud ipſum deguſtent, alia inebriamina quaeſivere, atque ex iis maxime ſibi elegere, eorum lingua *MASLACH* nuncupatum, cui avide inhiant, idque in quotidiano uſu habent, et in burſa ſecum circumgeſtant, quo alacritatem et hilaritatem ſibi conciliare ſtudent, et ſeſe inde animoſiores fieri, neque belli pericula formidare aſſerunt.

Non autem per Maslach a nobis intelligitur (1.) Indorum, ex herba Cannabis, Asrar Turcis dicta, quo Indi in ulteriori Aſia ſive India Orientali utuntur, et ipſis Beng, Bengi vel Bangue, item Heiram - luc vocatur, quod ſub forma pulveris, loco Turcorum Maslach, frequentiſſime aſſumunt. Nec (2.) *Stramonium Malabaricum*, Turcis Datula ſive Tatula, Perſis Tatovreh, in Canara Datiro et Daturo, Luſitanis Datura et Dutroa, Arab. Marana, Unmata caya Malab. Solanum pomo ſpinoſo rotundo, longo flore C. B. P. n. 1 v. ex ſolanis pomifer. pag. 168. Stramonia ſeu Datura, pomo ſpinoſo rotundo, longo flore, Hermann. in Hort. Lugd. Bat. Meloſpinus Venetis, Maslach Botanicis quibusdam, dictum; quia aſſumptum ejus ſemen plenariam mentis alienationem producit, ut homo fatuo ſimilis perpetuo rideat, et varias geſticulationes ludicras faciat, unde etiam a Luſitanis Burladora h. e. faceta vocatur; actorum item ne in minimo recordatur, ſed ſe tantum dormiviſſe credit, quae mentis alienatio per 24. horas durat, niſi aqua frigida vel lac mox poſt aſſumptionem ori ingeratur, aut pedes eadem aqua frigida laventur, hoc enim modo ante ſtatutum id tempus expergiſcitur et ad ſe redit. Furibus inſervit ad ſoporandos, quibus furtum intentant, homines, vel etiam excubitores incarceratis, et fugae ſe mandare volentibus; item laſcivis mulie-

ribus

ribus in Goa et alibi, quae perfrictae frontis ſunt et pudorem exuentes omnem, ſic intoxicatis maritis, ſe adulterare permittunt. Stramonium hoc fuiſſe *Nepenthes Homeri*, quod Helena vino indiderit, ut Menelao marito ſuo, et hoſpiti Telemacho, filio Ulyſſis, illud bibentibus, triſtitiam depelleret, hilaritatem cieret, ac oblivionem et inſenſibilitatem omnium malorum procuraret, multi aſſerunt, de quo Nepenthe Homerus Odyſſeae Libr. IV. a verſu 220. usque ad verſ. 226. incluſive, more ſuo, pathetice cecinit. Prolixe de hoc ipſo Homeri Nepenthe egerunt Petrus la Seine, et Petrus Petitus, peculiaribus Tractatibus, (cujus poſterioris libri contenta recenſentur in Act. Erudit. Ann. 1689. Menſ. Novembr. pag. 575. ſeqq.) nec non illuſtr. Dn. D. Wedelius, Patronus et Amicus meus, nunquam ſine veneratione nominandus, Exercitat. Medico - Philol. Decad. VI. Exerc. X. pag. 55. ſeqq. cui etiam lubens adſtipulor, Opium Nepenthes Homericum adſtruenti, utpote juxta Poëtam, AEgyptiacum ex Thebis ſive Thebaicum.

Multo minus (3.) *Solanum ſeu Strychnon maniacum, et ſomniferum*, quas duas ſpecies Theophraſtus Hiſt. Plant. Lib. IX. c. 12. pag. 1069. adducit, et prius ita dictum ſcribit, quod inſaniam inducat, aliis Solanum maniacum et furioſum, Italis Bella Donna vocatum, de cujus noxa prolixe egit Dn. D. Faber in Strychnomania; poſterius profundum imo lethalem ſomnum infert, cujus ſpecies videtur eſſe radix illa Ungarica, in monte Carpathico creſcens, *Nadragulya ſive Nadrugala* dicta, praeſentiſſimum putatum adverſus Podagrae dolores remedium, de qua radice obſervatio ex Epiſtola 10. Chriſtoph. Wagenſeilii de Hydraspide ſua ad Petr. Valkenierium ſcripta, in Actis Eruditorum Ann. 1691. Menſe Januar. pag. 38. affertur, qualem etiam adduxit Dn. D. Carol. Raygerus in Miſcellan. Curioſ. Decur. III. Ann. II. Obſerv. 23. pag. 31. ſeq. quamvis Nadragulya in Lexicis Ungaricis vulgo de Mandragora aſſeratur.

Sed (4.) *per Maslach Turcorum proprie intelligimus*

opium,

Opium, idque vel ſimplex, ex capitum papaveris albi, ad maturitatem vergentium, ſcapis decuſſatim inciſis ſub forma ſucci prolectum, ut et ex thyrſis et foliis expreſſis collectum ac inſpiſſatum: *vel compoſitum* inſtar Philonii Perſici ſive Meſuae, et Romani, quibus etiam non raro uti ſolent tam Turci quam Perſae, quale etiam majoris apparatus Opiatum (quod Turcis plurali numero Esrar dicitur) ex tempore conficiunt additis aromatibus, Ambra quoque et Moſcho, imprimis ubi pro ſcopo aphrodiſiaco confectiones parare intendunt; alii teſte Celeb. Dn. D. Kaempfero in Amoenit, Exotic. Faſcic. III. p. 644. omiſſis aromatibus, tantum croco et ambra maſſam infarciunt; nonnullis vero formula pulveris vel potionis magis arridet.

In genere autem Maslach eſt omne id, quod alacritatem et hilaritatem conciliat, eoque Turci ad pugnam animoſiores fieri dicuntur, unde quibusdam Opium Magnanimitatis vocari ſolet.

Maslach hoc Turcis, quibus admodum familiare et in deliciis eſt, ſub initium caput aggravando mentis alienationem inducit, ut a vino quaſi ultra ſatietatem hauſto ebrii videantur, unde ejusmodi homini temulento inſtar probri objicitur, eum opium comediſſe, uti apud nos vino vel cereviſia nimium potus objurgatur, ebrium eſſe. Praeterea animoſi ſunt, hilares, cantantes, ſalientes, petulantes, ad venerem proclives, imo feroces et quaſi furioſi redduntur, licet alii ex illis opio ita ſucceſſive aſſueſcant, ut nullam inde amplius alterationem, niſi mentis alacritatem vel e contrario ſtuporem et oblivionem ſentiant. Contrarios ejusmodi effectus, quos Maslach in Turcis producit, Exc. Dn. D. Alexander Maurocordatus, Portae Ottomannicae Conſiliarius et Archiater, in reſponſione ad Epiſtolam illuſtris noſtri Wedelii (quae in hujus Exercitat. Med. Philol. Decad. V. Praefatione leguntur) egregie deſcripſit hoc modo: Quod vigilias excitet, ſomnum afferat; memoriam firmet, oblivionem inducat; ingenium acuat, obtundat; ſenſus roboret, hebetet; nervos ſtabiliat, diſſolvat; ſpiritus accendat, extinguat;

ejus uſu membra vigeant, langueant; venus excitetur, cohibeatur; cor laetetur, moereat; quid plura? contrariis affectionibus corpus animusque corripiatur. Haec Cl. Maurocordatus. Apud nos vero exempla illorum occurrunt, qui crebrius opio ad agrypniam arcendam et ſomnum conciliandum uſi, ſub initium quidem aliquoties blando ſomno recreati, poſtmodum autem ejus uſum continuantes, agrypniam magis promoverunt.

Varias has et contrarias operationes opium propter diverſas, quibus conſtat, partes producit. Notum enim eſt, Opio ineſſe partim *Sulphur narcoticum*, quod in corpore, praevia aliquali fermentatione in halitus vertitur, qui ſpirituum animalium viis ſeſe inſinuant, ac eas aliqua ex parte oppilando ſpiritibus torporem inducunt; partim *ſal diaphoreticum* volatile, quod ſubtili reſolutione penetrans evadit, et ſulphuri illi narcotico oleaginoſo reſiſtit, hincque pro diſpoſitione humorum, modo ſomnus, modo agrypnia ſubſequitur, ſicque ſpiritus et ſanguis cum reliquis humoribus varie turbantur, et temperies corporis humani ſenſibiliter mutationem ſuſcipit; taceo *terreſtres faeculentas opii particulas*, quae in ventriculo et connexis inteſtinis reſiduae, chylum varie conſpurcare, concoctionem turbare, et poſtea ſanguinem torpidiorem reddere queunt, ut ille hinc ſucceſſive in motu ſuo turbetur, acris reddatur et corrumpatur, ex qua acrimonia et corruptione ſucceſſive morbus omnium acutiſſimus, *Peſtis*, oriri poteſt, quam nihil aliud quam gangraenam internam, ſumme malignam, et ſubito ad νέκρωσιν ſphaceloſam tendentem eſſe autumo. Exinde homines peſte correpti, tam vivi quam demortui, mox exceſſive foetent et in putrilaginem ſolvuntur, ſicque effluvia haec contagioſa facile alios proxime adſtantes inficere, vel utenſilibus aliisque rebus mobilibus, ad recipiendum aptis, communicari queunt.

Non mirum igitur eſt, ejusmodi ſeminium peſtiferum ſive materiale contagium, ſe tum temporis obviis Turcorum mercibus inſinuare: qualem cenſum ſubeunt ex Turcia in Europam

tranſlata fila turcica (Türckiſch Garn) goſſypium, cotonium, aulaea, (Tapeten) tentoria, textum ſericum varium etc. ex quibus miasma peſtilens aliis hominibus, imprimis fame emaciatis et mala vivendi ratione uſis, accedente etiam terrore, tanquam primario peſtis propagatore, facile communicari poteſt; id quod ut plurimum per inſpirationem ac deglutitionem ſalivae et alimentorum fieri conſvevit: exinde virus hoc primo omnium vim ſuam in primis viis, et quidem maxime in ventriculo exercet, unde praeſto adeſt nauſea, ſapor oris amarus, cardialgia, anxietas praecordiorum, vomitus ſpontanei, et dum fermentum peſtilens ad inteſtina progreditur, diarrhaeae malignae oriuntur, donec tandem mediante chylo conſpurcato, ſanguini labes affundatur, qui hinc per particulas heterogeneas turbatus, varie exagitatur, ſicque internus calor vel aeſtus ac ſitis cum debilitate virium exoritur; quando autem in ſanguine adhuc ſufficiens robur adeſt, particulas corruptas ſeroſas a ſe propellit, et hinc in partibus glanduloſis bubones cauſatur, vel ſanguine nimium corrupto et corroſivo reddito, carbunculi exſurgunt; his vero non rite prodeuntibus, tandem Petechiae omine malo efflореſcunt, ſanguine nimirum in coagulum et putrilaginem deſciſcente, et νέκρωσιν concipiente.

Reſtat nunc, ut etiam aliquid de cura peſtis ſubjungam, quam quidem experientia edoctus adornare nequeo, cum nunquam Loimopracticum egerim, quoniam apud nos in Circulo Franconico et adjacentibus civitatibus ab hoc malo per DEI gratiam liberi vivimus: hinc eminus tantum, ut cum Helmontio loquar, ſcribo, et ex Analogismo febrium malignarum et petechialium, tanquam peſtis privatae, quas non raro, Circuli Franconici antehac Medicum campeſtrem agens tractavi, argumentabor. Igitur cum mihi curandus peſte infectus obtingeret, miniſtrum naturae agerem, hancque preſſo pede ſequerer, non tamen autocratiam naturae expectarem, cum ipſa quidem bene operari incipiat, ſola tamen ad tam dirum hoſtem ejiciendum non ſufficiat. Ad primum igitur mali ſenſum mederer, et mox ſi ex

nauſea,

nauſea, inappetentia, anxietate praecordiorum, cardialgia, amarore oris et inclinatione ad vomitum, cacochymiam in primis viis adeſſe conjicerem, vomitorium propinarem, ab omni autem draſtico ♁iali, ut ſunt ♀ emeticus, ☿ vitae, flores Antimonii, ▽ benedicta Rulandi etc. conſulto abſtinerem; cum Antimonialia emetica non ſolum vomitus exceſſive movere, ſed inſimul diarrhaeam enormem, ſymptoma peſtis pernicioſiſſimum, excitare ſoleant; nec vitriolacea emetica adhiberem, utpote nimis nauſeabunda, et non raro materiam peccantem tantum commoventia, non promoventia; ut de aliis nihil dicam. Loco vero horum, vel fortiter nimis, vel non ſufficienter, et ſic cum periculo agentium, pro emetico certiori propinarem pulverem radicis Ipecacuanhae, tanquam appropriatum peſtis vomitorium, omnibus aliis praeferendum: radix enim haec Americana ſive Braſilienſis, adultis ad ℈j. vel gr. XXIV. ad ſummum ad ʒß. cum vehiculo calido, e. g. infuſo herbae theae, rutae murariae, vel etiam pro divitibus cum infuſo radicis Ninſing vel Ginſeng, cum haec ita ad ʒj. infuſa (quae eſt ordinaria ejus doſis) ut plurimum vomitum per ſe cieat, ſimulque egregie confortet, exhibita, viſcoſam ac bilioſo- acidam acrem amurcam cum εὐφορίᾳ ejicit, nec ultra quatuor vel ſex vomitus excitat: cumque ſit ſimul bezoardica, finito vomitu aegrum ad ſudorem diſponit, ſicque vomitum ſpontaneum ac diarrhaeam metuendam praecavebit: unde eandem in caſtris ad curandam dyſenteriam militibus ordinarie feliciſſimo cum effectu ordinavi, ſubjuncta hinc Eſſentia mea alexipharmaca cum tinctura anodyna remixta, ita ut aliis medicamentis nunquam fere opus habuerim. Obſervandum vero, ut aſſumpto radicis Ipecacuanhae pulvere, vehiculi liquidi parum ſaltem ingeratur, ne mox evomatur; poſt primum autem vomitum, infuſum in largiori quantitate propinetur, et ſic operatio ſine omni incommodo blande ſuccedet.

Hoc igitur benedictum vomitorium ad peſtis curam nunquam non commendo, ſive jam adſit manifeſta febrilis commotio, ſive non.

Pro his etiam circumſtantiis, nimirum obſervando an calor exceſſivus cum ſiti adſit, vel non, curam meam proſequerer, et corpus aegri ad criſin per apoſtemata, imprimis bubones, ſumme hic neceſſariam, diſponerem, ut illos per blanda diapnoico-bezoardica ad ſuperficiem corporis tempeſtive promoverem, non nimis tamen per calida urgendo ſudorem, ne natura in motu excretorio turbetur, vel nimis praecipitanter bubones vel anthraces ſeu carbunculos protrudat. Ubi itaque aeſtu flagraret aeger, ſpiritum theriacal. cum ſpiritu vitrioli martis acidulatum, vel miſturam ſimplicem propinarem, ut ſic calor refraenaretur; natura tamen in excretionis opere juvaretur; cui etiam adjungerem nitroſa cum alexipharmacis et diaphoreticis temperatis mixta; ſola vero nitroſa non darem, tanquam per ſe minus tuta, cum haec aeſtum quidem abigant, diarrhaeam tamen noxiam excitent; hoc vero non timendum, ſi nitroſis alexipharmaca admiſceantur, e. g, Pulv. Pannon. rubeus et bezoardicus Sennerti, pulv. bez. major Wedelii, cujus baſis radix contrayervae, per ſe hic commendanda, Spec. de hyacinth. et ſeorſim terra ſigillat. ſtrigon. bol. Armen. unicorn. ver. et foſſil. C. C. philoſ. myrrh. etc. quibus etiam pro ratione circumſtantiarum theriaca caeleſtis jungi poterit. Ubi vero calor internus non adeo urget, aeger tamen debilis eſt, ad affectum ſoporoſum inclinat, bubones prodire renuunt, ſpiritum theriacalem ſupra laudatum cum ſpir. C. C. ſimpl. vel ſuccinato, ſpir. eboris, viperar. aut ſpir. bez. Buſſii mixtum propinarem, quo caſu inſigniter etiam ſpir. ſal. ammoniac. vinoſus laudatur, nec minus tincturae bezoardicae variae cum Elixiriis peſtilentialibus locum habere poſſunt, ne quid tamen nimis; his cardiaca et bezoardica temperata ſemper interpolarem, ubi potiones cum cortic. citr. recent. contuſis egregiae.

Non poſſum etiam, quin hic Eſſ. cordialem mihi uſitatam laudem ex granis chermes cum ſpiritu juniperi, addito parum camphorae, paratam, quam in febribus malignis et petechialibus, ut et purpura tam maligna febrili quam etiam ſcorbu-

tica,

tica, item variolis et morbillis, ſeorſim quoque in epilepſia aliisque nervorum affectibus, ſemper expertus ſum fidiſſimam, nec dubito eandem in peſte fore efficaciſſimam, utpote blande diapnoicam, quam hinc Loimopracticis etiam atque etiam commendo.

Prae omnibus autem triſtem aegri animum blanda perſuaſione erigerem.

Quomodo denique peſtis Magiſtratus autoritate, et ſocietate infectorum cum ſanis interdicta, inhiberi poſſit, ſedulo inquiſivit et Anno 1710. theſibus ſuccinctis accurate docuit Excell. Dn. D. Alardus Mauritius Eggerdes, Sereniſſimi Ducis Supremi Magiſterii in Pruſſia Adminiſtratoris, Teutonici Ord. magni Magiſtri, nunc Eminentiſſ. Electoris Trevirenſis, Conſiliarius et Archiater, nec non in Sileſia, Patria mea ſuaviſſima, Protophyſicus, Amicus meus ſingularis et chariſſimus; quas theſes etiam Ephemerid. Nat. Curioſ. Centur. III. et IV. addi curavit Vir Celeberrimus.

(*Barutho Norimbergam die 29. Aug. An. 1717. miſſa.*)

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. Godofredi Klaunigii.

Hiſtoria et Anatome Puellae ſteatomate Ovarii botryoide demortuae.

NOn ſolum in abſtruſiſſimo conceptionis ac generationis negotio, ſed etiam in organis huic deſtinatis et circa morbos ſedem ibidem figentes latere myſteria, quis negaret? Lubens praetereo paſſiones hyſtericas, quae, etiamſi quotidie obviae, ſaepius Medicis imponunt, ut perſpicaciſſimi in formanda diagnoſi pariter atque prognoſi coecutiant. Multo rariores ſunt morbi ovaria infeſtantes, et quid mirum, ſi etiam eorum cognitio denſioribus tenebris involuta dicatur? Quis cogitaſſet de ovarii tubere, ab *Hardero Ephem. Dec. III. A. 3. obſ.* 180. abſceſſi-

ſceſſibus, a Liebenwaldt *Dec. eadem A.* 1. *obſ.* 92. *et a Laubio Cent. V. et VI. obſ.* 21. Hydrope, *a Zwingero Dec.* 2. *A.* 9. *obſ.* 136. *et Reiſelio A.* 10. *obſ.* 27. *&c.* detectis? niſi demum poſt fata genius morbi in lucem fuiſſet productus. Ne Oedipus quidem ſomniaſſet de materia nigricante gelatinoſa dextrum ovarium diſtendente, qualem ante aliquot annos cultro anatomico perluſtravimus in femina ſalaci, cujus hiſtoriam medicam oppido raram *Celeberr. Collega D. Chriſt. de Helwich. Ephem. Cent. I. et II. obſ.* 148 *et Cent. III. et IV. obſ.* 142. communicat. Cum itaque teſtes muliebres altioris indaginis morbos occultare ſoleant, operae pretium me facturum confido, ſi producam ejusdem commatis obſervationem, tanquam teſtem incertae diagnoſeos.

Anno 1716. circa finem Auguſti Virgo formoſa ſanguinei temperamenti, aetatis ſuae anno 14. primitias experiebatur fluxus menſtrui, qui mox emanens miſeriis tali ſuppreſſioni ſuccedentibus anſam dedit. Habitus corporis floridus ſucceſſive degenerabat in ſubtumidum virore quodam albicantem, artus invaſit laſſitudo, reſpiratio erat debilis atque rara, verbo: Cachexia virginea ex vitiato ſanguinis motu et hinc dependente ejus dyſcraſia ubique tandem innotuit. Conqueſta adhuc fuit de dolore in regione renum et in urethra, cum redderet urinam, quae ſabulo renali faecunda de renum morbo me certiorem fecit. Huic pariter atque chloroſi obicem ponere allaborabam medicamentis utrique morbo appropriatis, quibus tamen nihil efficiens non potui, quin Parentum conſilio de tentanda thermarum Hirſchbergenſium cura aſſentirem. Verum his in aquis ſponſum, non ſanitatem invenit noſtra, utpote quae ad patris Lares reverſa indies pejora ſymptomata et ſequentis anni menſe Martio tumorem in abdomine primum animadvertebat. Hic tumor tactu durus et doloris expers circa finem Maji ab oſſe pubis ad diaphragma usque procedens totum ventrem infimum tympani inſtar magnam in molem diſtenderat, ſibique aſſociaverat frequentes lipothymias, omnimodam appetitus

pro-

proſtrationem cum ſummo virium languore. In hoc rerum ſtatu Parentes de ſalute unicae filiae ſolliciti ex more hic conſueto lotium ad prophetas medicos mittunt, qui ſubaudito de ventris tumore verbulo et urina apparente naturaliter conſtituta ex frivolis Uromantiae fundamentis puellam gravidam declarare haud verebantur. Tametſi non ex tripode, ſed ex matula deſumtum eſſet hoc oraculum, nihilominus vento velocius totam occupavit viciniam, et ad ipſas innocentiſſimae aures pervenit. In lacrymas effuſa miſerrima per Deum precata fuit Parentes ab ignominioſo rumore pariter perturbatos, ut poſt ejus obitum in illaeſum virginitatis florem inquiri facerent, ne cum vita inſimul perderet famam. Ad me perlata haec prognoſtica non tantam quidem obtinuerunt fidem, ut abſtraherer ab opinione, quam de ſcirrho conſtanter fovebam; attamen autor ſuaſorque fui, ut ad confundendas maledicas linguas obſtetrici negotium examinandi clauſtrum virginale mammasque committeretur. Enimvero Charybdin evitaturi incidebamus in Scyllam; ſcilicet haec vetula profeſſionis ſuae minus gnara, nec contenta mammis gracilibus vixque conſpicuis et antro virgineo adeo arcto, ut non niſi magno dolore ejulatum provocante admitteret digitum, adhuc ſanguinem ad incorruptae virginitatis teſtimonium poſtulabat, qui cum non inhaeſiſſet protracto digito indici, obſtetricem commoverat, ut uromantis ſymbolam ſuam adjiceret. Cum ſiniſtra haec judicia civitatem pervolitarent, ecce! junior medicus populari aura enutritus advolat, qui rem acu tacturus ſanguinem congrumatum per tot menſes in abdomine extra vaſa habitantem praeſupponit, brevique ſanitatem promittit, quam ego nunquam, ſed certo mortem exſpectandam eſſe ſincere pronunciavi. Vana ſpe lactati Parentes filiam hujus hominis curae concredebant, ut imaginarium ſanguinis coagulum rite et ſecundum artis ſuae regulas diſſolveret atque propelleret. Haud defuit in applicandis cataplaſmatibus et exhibendis decoctis purgantibus, eſſentiis emmenagogis &c. hiſce vero et ſimilibus nec praedictum tumorem,

rem, nec febrem lentam evacuare valuit, quae, Puellam die 31. Julii enecans, Medici promiſſa eluſit.

Ad votum Defunctae adimplendum meae curae offerebatur cadaveris inſpectio, cum etiam ipſo obitus die cum Medico extraneo celeberr. et duobus chirurgis in arte anatomica exercitatis operam navavi ſolicite. Tabulae impoſitum cadaver inſtar ſceleti cute obtecti apparuit, ſi excipias abdomen et pedes ſtupende tumentes. Illi primum manus admovebamus diſſecando decuſſatim ejus tegumenta, quibus et omento aranearum telis tenuiori ſeparato, non inteſtina, ſed deforme chaos omnia abdominis viſcera occultans in conſpectum venit. Inquirentes debita cura in principium hujus monſtri, tandem innotuit illud originem ducere ex dextro ovario. Ovarii autem nullum reſtabat veſtigium, poſtquam propaginem dediſſet huic excreſcentiae, quae inſtar botryonis cum ſuperficie nodoſa uvas repraeſentante longe lateque progerminaverat. Gaudebat haec moles, decem libras ponderans, propria tunica vaſisque in ea repentibus, et diſſecta ubique oſtendit materiam flaveſcentem ſebaceam, ut non haeſitaremus ſcirrhoſam hanc compagem ſteatomatis botryoidis nomine inſignire. Inteſtina ſubtus violenter preſſa, uti etiam hepar ea parte, qua ſteatoma attingebat, ſphaceli ſtigma et ſiniſter ren ſabulum cum minori calculo continens nephritidis indicium praebuit. Uterus nucem avellanam magnitudine exprimens, et in cavitate ſaltem piſo ſpatium concedens, ſetam in utramque tubam Fallopii, admittebat. Alterum innocentiſſimae caſtitatis teſtimonium virginale clauſtrum ob oculos poſuit, quod caryophylli nondum explicati, aut calicis parvae roſae ſemiexpanſae formam referens evidenti documento fuit, nemini adhuc patuiſſe hanc portam. Clitoris adſtabat ſatis notabilis, et in ipſa uteri cervice rugae circa introitum multae, pauciſſimae vero erant in progreſſu. Reliquorum viſcerum contemplationem nec otii, nec propoſiti noſtri ratio videbatur requirere.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 9. Sept. An. 1717. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. Michaëlis Friderici Lochneri.

De Scrofulariae aquaticae majoris virtute traumatica mira: ubi obiter de Liquitaja Braſiliana et Scrofulariis Malabarenſibus, Idolis ſacris, aliisque.

NUper in praediolo meo circa Idus Julii, perquam ſereno die, ad vivarii, quod arcem cingit, marginem obambulans, cum quandam animi aegritudinem, qua ex obitu pro dolor, liberorum dulciſſimorum afficiebar, amoeniſſimo quaquaverſum conſpectu illa mentis vagatione decoquerem; ex aedicula prodeuntem conſpicio virum, innixum ſcipioni, qui ligno findendo ſcindendoque, ex atrociſſimo ſibi in ſuras inflicto vulnere, effuſoque nimium vitali cruore, animam pene exhalaverat, isque in tantum reſtitutus et tempeſtatis ſerenitate allectus, aërem iterum liberiorem haurire cupiebat. Vbi propius is acceſſit, quomodo valeret, et cur vulneri tam horrendo leniendo, ulteriorem apud me non quaeſiverit medelam, ſciſcitor; et reſpondit, in promtu extitiſſe has, quas ad aquae oras conſpicerem manus medicas, ſimulque ſcrofulariam aquaticam majorem monſtrans, illam ipſam plantam eſſe, qua, Deo ſic volente et in ſomno quaſi monente, in integrum fuerit reſtitutus. Hauriebat enim quotidie ejus decoctum, pulveremque radici cichorii ſylveſtris balſamico tempore collectae ſaccharoque mixtum aliquoties de die, ſuccum expreſſum ſcrofulariae inſuper inſtillans vulneri; quod feliciter inde conſolidatum, cicatrice equidem maxima plagae atrocis inflictae, quoad vivet, teſte uberrimo.

Revocabat caſus hic in memoriam toties jam a viris in arte noſtra ſcientiſſimis, imprimis Helveticis Poliatris, in tabulas me-

dicas relatum fuiſſe, ſcrofulariam aquaticam optimi vulnerarii interni mereri titulum. Nec enim ad ſcrofulas, unde illi nomen, et haemorrhoidum tumores ac dolores, (exinde Gallis *Herbe de Siege* dictam) glandulasque induratas earumque obſtructiones, externus tantum ejus uſus valet; quas vires omnia praedicant de herbarum virtutibus conſcripta monumenta: majoribus certe uſibus deſtinatam plantam, externae qualitates ſenſiles, inque partes conſtituentes facta Chymica analyſis oſtendit, ut non immerito ſolertiſſimo *J. Bauhino* in Hiſtor. Plantar. Libr. xxx. p. 421. *Millemorbia* audiat, et Plinio Helvetico *Geſnero*, *Agripalma*, quod inter plurimas agri plantas in plurimis contumaciſſimis malis debellandis palmam auferat, nominetur.

Accenſetur autem vulgo haec planta bicapſularibus, polyſpermis, et ex amiciſſimi Volkameri, Botanici ſtudii Statoris optimi, delineatione, illi ſunt ſemina parva, fuſca, rugoſa, inaequalia, rotunda, pericarpio membranaceo bicapſulari, ſubrotundo acuminato incluſa, flores perfecti, monopetali quaſi labiati rictu hiante, folia mox integra, mox diſſecta, admodum amaricantia; hinc quod ventris lumbricos, ſi exhibeantur, pellant, Vermicularis nomine planta pariter inſignita; male olet, licet omnino nullam contritionis violentiam patiatur; quo ipſo a Galeopſi diſtinguitur, cujus folia non niſi trita odorem gravem exhalant.

Analyſin ejus Chemicam cernere licet in Academiae Scientiarum Pariſinae Regiae Collectaneorum Indicibus, e quibus Tractatui utiliſſimo aeque ac doctiſſimo Gallice inſcripto: *l' Hiſtoire des Plantes, qui naiſſent aux environ de Paris, avec leur uſage dans la Medicine*, intulit immortalis gloriae *Turnefortius*, et quidem ſequentibus:

Les feuilles de la grande ſcrofulaire ſont tres ameres, tres puantes, plus meme que celles du ſureau, et rougiſſent tres peu le papier bleu. La racine le rougit davantage, ce qui fait conjecturer, que le ſel ammoniac, qui eſt dans le ſel naturel de la terre, domine dans cette plante, ou elle eſt uni avec une grande quantité d' huile fétide.

Par l' analyſe Chymique, on tire de la grande ſcrofulaire beaucoup de ſel volatile concret, et beaucoup d' huile: ainſi il n' eſt

pas

pas ſurprenant, que cette plante ſoit ſi reſolutive, ſi emolliente, et ſi adouciſſante, ce ſont les qualitez eſſentielles des remedes propres a fondre le tumeurs le plus rebelles accompagnées d' inflammation, et celles auſſi, que l' on appelle froides: l' huile fétide amollit les fibres, diminuë leur tenſion, et adoucit, pendant que le ſel ammoniac attenuë, diviſe, et fait evaporer la matiere, qui occupe les poroſitez des chairs: la pluspart des plantes, qui ſentent comme le ſureau, ou comme le Stramonium, *ont presque les memes vertus par rapport aux inflammations et aux tumeurs: il n' y en a pas des plus propres pour le bleſſures des parties tendineuſes. On ſe ſert du ſuc de la grand ſcrofulaire pour mondifier les ulceres les plus ſales, et ceux meſme, qui ſont carcinomateux, pour reſoudre les tumeurs ſcrofuleuſes, pour adoucir l' inflammation des hemorrhoides, on employe l'onguent fait avec les racines de cette plante: on ſoupoudre auſſi ces parties avec le poudre de ces memes racines:*
Haec latine verſa propemodum ſic ſe habent:

„ Folia ſcrofulariae majoris amarore excellunt, foetido odore
ſambucum vincunt, chartam coeruleam levi rubore tingunt. “
Radix magis rubedine inficit, unde inferri poſſe videtur, ſal am- “
moniacum in ſale naturali terrae latens, praecipuum hujus “
plantae et plurimae olei foetidi quantitati ſociatum eſſe. “

„ Per analyſin Chemicam, e ſcrofularia majori copioſum ſal
volatile concretum, foetidique olei plurimum elicitur; hinc ne- “
mini mirum videbitur, gaudere hanc plantam vi reſolvendi, “
emolliendi et leniendi; hae eſſentiales ſunt qualitates reme- “
diorum aptorum ad rebelles tumores, quibus inflammationes “
ſociae, et ad illos quoque, quibus frigidorum nomen imponitur, “
fundendos attenuandosque. Oleum foetidum emollit fibras, “
earumque tenſionem diminuit et temperat, dum interim ſal “
ammoniacum incidit, dividit, reſolvit, attenuat, et ad evapora- “
tionem diſponit materiem, poroſitatibus muſculorum inhae- “
rentem. Maxima plantarum pars, quae ſambucum olent, “
vel *Stramonium*, easdem pene virtutes exſerunt in “
inflammationibus et tumoribus, nec aptiora illis remedia “
ſuppetunt in vulneribus partium tendinoſarum. Inſervit ſuc- “
cus ſcrofulariae ad mundificanda ulcera ſordidiſſima, ea quo- “

 “que,

„ que, quae in carcinomatis jam labem prona ſunt; ad reſolven-
„dos ſcrofularum tumores, leniendas haemorrhoidum inflamma-
„ tiones, unguento ex radicibus plantae hujus parato utimur, et
„ pulvere ejusdem radicis, partes ulceroſae conſperguntur.

Sic ratio et experientia ſcrofulariam interne et externe optimis adnumerat vulnerariis, et ſi quid mea obſervata clinica probare valent, ſancte aſſeverare poſſum, decoctum ſcrofulariae mira in xenodochio noſtro, meis curis commiſſo, praeſtitiſſe; hinc permotus extractum plantae parari juſſi, quod extracto myrrhae ſcordiique ſociatum, in invictiſſimis illis ſpinae ventoſae doloribus levamen haud contemnendum attulit.

Nulla equidem plantae hujus ex antiquitate auctoritas, nullumque hujus nominis apud veteres veſtigium; quale fatum cum pluribus in arte nihilominus utiliſſimis commune habet. *Chryſippeam* quidem Plinii ficis ſtrumisque medentem nonnulli credidere, ſed in tanta verborum Plinii brevitate adhuc ſub judice lis eſt. *Roberti Conſtantini*, viri alias doctiſſimi, haud fecilior conjectura, qui clymenon *Dioſcoridis*, a rege *Clymeno* dictum, arbitratur, cui *Anazarbeus* quadrangulum caulem, foliaque plantaginis tribuit, quae tamen cum ſcrofulariae foliis minime comparanda.

Licet autem veterum auctoritate et praeconio deſtituatur haec planta; vix ſufficerent tamen breviculae hujus diſſertatiunculae limites teſtimoniis uberioribus recenſendis, de feliciſſimo ejus uſu interno in vulneribus. Ex Ephem. ultim. Centuriis, veritati, quam modo tradidi, aſſurgunt, magnus *MAXIMI CAESARIS NOSTRI Protomedicus*, ILLVSTRIS FACKHIVS, Patronorum ſummus, qui Obſerv. 79. Centur. V. Pilulas travmaticas, quae ipſi creberrimo in uſu, publico communicando, ſcrofularia quoque impraegnatas eſſe voluit. Et in Excell. *Camerarii* Obſerv. 82. Cent. VI. mirus herbae hujus effectus pariter travmaticus internus recenſetur.

Melior hac noſtra hactenus recenſita Scrofularia Germanica cenſetur in curandis ulceribus ob vim traumaticam inſignem Scrofularia ſcorodoniae foliis Cl. *Grislei in viridar. Luſitanic. et*

Mori-

Moriſon. Hiſt. Oxon. part. 2. p. 482. Haec Luſitanica Scrofularia indigena cenſetur Inſulae Jerſey adjacentis Angliae, quod Excell. *Plukenetium in Almag. Botanico* monuit illuſtris *Sherardus.* Videtur haec eadem eſſe cum Scrofularia meliſſae foliis. Celeberrimus *Turnefortius dans la Relation d' un Voyage du Levant fait par ordre du Roy*, Tom. I. p. 264. delineatam dedit novam Scrofulariae ſpeciem, quam e fiſſuris rupium marinarum in Archipelagi Inſulis reperit, et inſcripſit *Scrofulariam glauco folio, in amplas lacinias diviſo*; quae, cum amaritie et foetido odore reliquis praepolleat, non dubitare ſinit, vi pariter vulneraria excellere.

Et certe *Liquitajam Braſilianam*, e ſcrofulariae ſexu plantam, potius et felicius vulnerario ſcopo, quam correctioni decocti foliorum ſennae, adaptari poſſe credo. Cum autem *Liquitaja* indicta adhuc plurimis incognitaque ſit, ejus brevem dabo hiſtoriolam. Extollebatur plantae hujus Braſilianae virtus a Chirurgo Gallo, qui in Braſilia aliquot transegerat annos. In Luſitaniam redux, mira de ejus in Apoplexia et Pleuritide effectu narrabat, praecipua tamen facultas eidem tribuebatur ad nauſeoſum decocti foliorum ſennae saporem corrigendum, quod felici cum ſucceſſu aliquoties tentatum.

Erant autem inter folia hujus plantae (quae utplurimum in groſſum redacta pulverem, ne agnoſci queant) Academiae Regiae Scientiarum Pariſinae transmiſſa, granula capſularumque ſeminalia fruſtula, quae ſtatim detexit illuſtr. *Hombergius*, quem irreparabili reipublicae literariae damno eripuere nobis nuper invida fata. Dum haec cum Excell. *Marchantio*, ad quem detulerat, intentius adſpiceret granula, ſcrofulariae ſemen eſſe conjecere. Nec eos conjectura fefellit; terrae enim a Dn. *Marchantio* commiſſa, adolevere hinc ſcrofulariae plantae, quarum folia exſiccata ſennaeque foliorum decocto juncta, eundem cum Liquitaja praebuere effectum. Cognovit hinc vir ſolertiſſimus, Liquitajam nullam aliam eſſe quam Scrofulariam aquaticam majorem, licet Europaeae noſtrae folioſior, et ramoſior exiſtat, et colore viridi obtuſiore ad brunum vergente, odoreque mi-

nus penetranti deprehendatur; quae qualitates equidem Braſilianam hanc ab Europae noſtrae ſcrofulariis non eximunt. Correctionem ipſam decocti foliorum ſennae ope Liquitajae pluribus expoſuit Dn. *Marchantius*, adjungens, quomodo foliarite exſiccanda, quae B. Lector *dans l'Hiſtoire de l' Academie de Paris* An. 1701. p. 97. et p. 281. reperire poterit.

Liquitajae Braſilianae ſuccedant plantae *Malabarenſes Tolaſſi* et *Tirtava* lingua Bramanum *Gaudarti* dictae; item *Nal-Tirtava*, *Cattu-Tirtava*, et *Soladi-Tirtava*, quas plantas omnes ob convenientiam, quam inter ſe habent, Senatoriae dignitatis ſumme conſpicuus *Dn. Commelinus* Notis ſelectiſſimis in *Hort. Malab.* T X. ad ſcrofularias Indicas relegat, commendatiſſimae certe efficaciae in contumaciſſimis affectibus, earum vero hic catalogum nectere et tempus et locus prohibent, e regio *Malabarici Horti* opere, cui lubet, hauriendarum.

Haec tantum annectere placuit, ſpeciem Malabaricae ſcrofulariae *Soladi-Tirtava* dictam, ſolum ſacram, et Deo *Viſtno* dicatam, maximoque in honore eſſe, adeo ut nullus Bramanum ſit, qui hanc ſecum non tulerit plantam, Numini tam amicam.

Eſt autem *Viſtnum* idolum Malabarenſium πολυκέφαλον καὶ πολυβράχιον, a nonnullis pro ſummo Numine omnia in mundo dirigente habitum; e cujus ſanguine filius natus, maximi arcitenentis vices, contra gigantem Sagatracavagen, quingentis capitibus milleque manibus inſtructum ſuſtinens. Sedes deaſtri Viſtnum ſtatuitur eſſe in mari lacteo, nymphaeae floribus feraci, hinc Nymphaeae floribus inſidens ſaepius Viſtnum aliique Indici deaſtri pinguntur; id quod teſtatur ἀυτόπτης illuſtr. *Kaempfer.* Exot. Amoen. Faſc. V. p. 880.

Ren literatis, et vulgo item *Hatſis* et per Indiam *Taraté* dicta Nymphaea, eſt Indica ſive AEgyptia Faba Proſp. Alpini, Planta paganis ſacra, cujus flore aras fanorum exornant, eidem inſidentes depingunt deos, ac pias morientium animas coelum petere docent. Sed de his fuſius in Schediaſm. de *Papavere paluſtri Apuleji* ſive *Nymphaea.*

Scro-

Scrofularia igitur Malabarenſis, aeque ac Nymphaea, eſt idolo Viſtnum ſacra; de cujus numinis metamorphoſibus, infidelium Malabarenſium aliorumque Indorum myſteria fidei fabuloſae continentibus, magno labore egit Plur. Reverendus vir Phil. *Baldaeus*, verbi divini quondam in Indicis his oris Miniſter, in *deſcriptione Regionis Malabar, Coromandel et Ceylon*, cum recenſione Idololatriae incolarum hujus tractus Indiae orientalis, qui non contentus largiorem deſcriptionem diabolici hujus cultus dediſſe, figuris pariter aeneis monſtra illa imprimi curavit.

Cur autem haec *Soladi-Tirtava* idolo Viſtnum ſacra fuerit, conjectura aſſequi non licet; forte ob illam, quam de hac Scrofularia planta refert, qualitatem Excell. *Bodaeus a Stapel Comment.* in *Theophraſt. Hiſt. Plantar.* libr. VII. p. 759. a. quod prae reliquis plantis diutiſſime vireat. Sic enim ille: *Memorabile eſt, quod quidam referunt, vix aliam reperiri herbam, quae diutius vireat, et ab interitu vindicetur. Germaniae quaedam mulierculae in vigilia divi Johannis in tabulato ſuspendunt, parietibus quoque imponunt, ſuper januas collocant, quibus in locis longo tempore viget, viridisque permanet, et continue repullulaſcit, adeo ut circa feſtum Nativitatis Domini noſtri Jeſu, virentem adhuc eam inveniri liceat.*

Perpetuo virente coma, et elegantia omnes ſcrofulariae ſpecies ſupereminet, Scrofularia peregrina fruteſcens foliis Teucrii craſſiuſculis illuſtr. *Breynii Patris* Prodr. 46. vel ex mente magni *Plukenetii* Scrofularia Telephii foliis AEthiopica; qui pariter hariolatur *caa-atayam Braſilienſium*, ſive *Erva de purga de Jean Paiis* Luſitanis dictam eſſe, Piſon Hiſtor. natur. Braſil. libr. 4. c. 53. p. 230. quae licet laete vireſcat et ſubamaricantis ſaporis atque diureticae virtutis ſit, aeque ac aliae ſcrofulariae, foliis tamen, quae figura et magnitudine chamaedrios et veronicae folia refert Piſoni, emmenagoga inſuper et purgandi per inferiora efficacia, plane ſingulari et ſpecifica, differre videtur a Scrofularia peregrina fruteſcente foliis Teucrii craſſiuſculis. Hanc tamen ob elegantiam et perpetuo virentem comam, caeteras omnes ſcrofu-

lariae

lariae ſpecies antecellere, ideoque inter amoeniores plantas a Florae cultoribus optimo jure poni poſſe, credit Celeb. *Hermannus Hort. Acad. Lugd. Batav. p.* 546.

Erigit enim e radice, in contortas fibrillas abeunte, caules rectos, firmos fruteſcentes, altitudinis ſeſquicubitalis, quadrangulos, virides, ſtriatos, geniculatos, frequentes in ramos diviſos, quos ad ſingula genicula cingunt folia craſſiuſcula, ſubrotunda, crenata, unguem vix excedentia, vulgaris Teucrii facie, parte inferiore bina adverſa, ſuperiori vero ſolitaria. Floſculi inſident exiguis quinquifidis caliculis ſcrofulariae ruta canina dictae ſimillimi, monopetali, ſubrotundi, in quinque lacinias quaſi totidem petala diſſecti, petalo ſuperiori purpuraſcente bifido galeae inſtar, binis lateralibus auriculatis pallidis, imo labiato exiguo purpuraſcente, profluentibus e medio rictu ſtaminibus candidis, apiculis purpuraſcentibus donatis. Flores excipit vaſculum ſubrotundum, acuminatum, bicapſulare, in duas carinulas dehiſcens, continens ſemina exigua fuſca. Propagatur felicius ramulis quam ſeminibus; quod ultimum ex immarceſcibili plantae virore provenire autumo.

Haec ipſa perennis quaſi Scrofulariae viriditas peculiares adhuc inſitasque plantae virtutes arguit, cum Deo et die adhuc eruendas.

Neque tamen, quod denique addam, Malabarenſes ac Indicae Scrofulariae hactenus recenſitae aeque, ac Liquitaja Braſiliana, commune quid habent cum Scrofularia Indica capitulis maximis deſcripta *Hiſt. Plant. Joh. Bauhini* L. XXX. cap. XXXIV. p. 423. Conjectura potius naſcitur, Liquitajam accedere ad Braſilianam Caa-atayam modo deſcriptam, et a Chirurgo Gallico ex *la caa-ataya, liquitayam* detortam eſſe; quam tamen conjecturam nemini obtrudo. Haec occaſione traumaticae Scrofulariae internae virtutis dicta ſunto.

OBSER-


West
Nord
Sud
Ost

OBSERVATIO LXVI.

Dn. Johannis Georgii Liebknecht.

Syrmatum et Coruſcationum Borealium, d. 20. April. ſeqq. An. CIƆIƆCCXVI. *in Horizonte Gieſſeno obſervatarum.*

QUae *natura* ſparſim exhibet phaenomena, eo ſunt curatius obſervanda et conſervanda, quo certius deinceps collecta nos ad penitiorem univerſi conſiderationem deducunt, et poſteritati demum certiorem inde petendum forte ipſius naturae nexum docent. Exemplum dant *Boreales Coruſcationes* nocturnae (ſeu ut alibi vocavi in Actis Erudit. Lipſ. an. CIƆIƆCCXI. p. 325. *Luculae Boreales*; ubi et ſat notabile recenſui phaenomenon) quarum ſuperior annus cum inſequente hoc CIƆIƆCCXVII. huc usque fertiliſſimus fuit. Tantis autem ſcatent iſtae difficultatibus, ut doctiſſima inde omnino ingenia habeant, quid certius hodienum ſtatuere debeant, quam antiquiores potuerunt, nullis obſervationibus nec inſtrumentis accuratioribus adjuti. Ego quidem omnem fere aetatem perquiſiui, habitis more academico hac de re ſuperiori aeſtate lectionibus publicis, inſtitutisque obſervationibus variis, at parum certi apud veteres inveni; quas medium aevum, ſpiſſum illud et tenebris involutum dedit, aptae ſunt et animis et temporibus fabuloſis hiſtoriolae; quare noſtro tempori qui inhaerent, videntur certiori via incedere et venire citius ad metam, quam forte intendunt. Interea non plane negligenda ſunt illa phaenomena, quae medium et antiquius aeuum refert; modo rationes quas addunt, moleſtae imagines et triſtiſſima fata, quae inde fingunt et pingunt libere pro cujuscunque rei affectu et effectu, quem optant vel timent, a re ipſa amoveantur. Sic exinde ſaltem cognoſcimus, quod unus prae altero anno in una alterave regione etiam in noſtris oris, frequentiores dederit ejusmodi adparen-

tias, ut alias inde colligendas utilitates jam taceam, quas ſedulo et laborioſe conquiſiui. Equidem in eo fui, ut longiorem quandam iſtius rei conſiderationem publicarem, ex parte maxima elaboratam, una *cum tempeſtatum per integrum et diverſos annos indicato aequilibrio*, quod obſervationibus variis comprobavi; verum tam annuum Rectoratus mei Academici munus, quam negotia alia impediuerunt, quo minus laborem perſequi et partum hunc eniti valuerim. Et quia nuper demum magni nominis vir certiorem me fecit novi et ejusdem generis phaenomeni, nec deſunt qui antea dictum chaſma ſaepius urgent; nolui praeſentes has meas obſervationes ulterius retinere, ne ita dictae metae obeſſe vel interiiſſe penitus videantur.

Nimirum ann. CIↃ IↃCCXVI. d. XX. menſis April. percrebuit rumor, fuiſſe viſum ſupra urbem noſtram nocte praeterita ſignum aliquod igneum, quod vulgus, quaſi certo futuri incendii praeſagium, vocat, ein Feuer-Zeichen/ Brand-Zeichen/ in bombardae cujusdam longioris einer Flinden forma, cum multis hinc inde volitantibus globulis igneis. Et quia de lucula illa ſingulari d. XVII. Martii, multum ex Haſſia inferiori, Saxonia aliisque regionibus offerebatur; per integrum tempus admonui ſedulo meos auditores, ut mecum invigilarent aſtris, coelumque intuerentur ſaepius, licet iſthaec d. 17. Martii in noſtro Gieſſeno Horizonte nec in vicinis aliis viſa fuerit; ſiquidem ipſe de hac ad Eminentiſſ. aulam Moguntinenſem ſcribere juſſus. Sed d. 20. Aprilis praeter rumorem illum parum ſpecialius relatum fuit; nihilo ſecius eodem die convocatis nonnullis Auditoribus meis, obſervatorium publicum adſcendi, ut ſaltem more recepto aſtra illis familiaria redderem; ubi ne tunc quidquam inſoliti deprehendimus, praeter ſingulare quoddam verſus ſeptentrionem cum ſtridore pergens meteoron, id quod notabiliter magnum ad ragetarum modum lente ſurgendo permultas ſpargebat utrinque lucentes ſtellulas et ſcintillulas. Tab. III. Fig. 1., quae tamen poſt exploſionem cum ipſo corpore, ſurſum, deorſum emiſſae, evaneſcebant. Vix tale quid heic memoraſſem, niſi poſtero die a curſorio nuncio ille

prior

prior rumor et timor fuerit auctus, dum narravit, ſe Giſſam proficiſcentem nocte elapſa in coelo ſereno magnum ignis globum ſeu corpus ſupra urbem haerens vidiſſe; quod ideo procul dubio idem cum noſtro fuit meteoron. Fuerunt interea ſtellae verſus coeli culmen conſpicuae admodum, et illae horizontem verſus exhalationibus, quaſi tenebris, involutae; utut, ceu id temporis ſolet, diem obtinuerit ſudum. Hora IX. min. 46. prope ſeptentrionem adparebat lucula quaedam pallida, aſt probe dignoſcibilis inter jam dictas nebulas, horizonti adhaerentes, quae etiam creſcendo, decreſcendo incendii cujusdam in loco vicino ſuſpicionem faciebat. Tubo mediante praeter iſtas exinde clariores viciſſitudines, nihil amplius deprehendi quam quod radii ex nebulis ipſis ab horizonte notabiliter elati obſervarentur. Evaneſcebant tamen hor. X. min. 48. penitus.

Die XXI. April. conveniebant complures, ut mecum ſpectatum irent aſtra, forte ob praedictum rumorem; quibus ego non defui, ſed ad perluſtrandum Jovis diſcum, qui d. II. conjunctionem cum ♀re celebraverat, et commonſtranda alia, tubum quendam melioris notae adſumſi. Vbi inter alia hor. IX. minuto fere eodem, quo nocte elapſa luculam priorem cum ſuis mutationibus obſervavi, ad hor. X. min. 45. durantibus. Erat autem hac vice lucula multo clarior et ab horizonte longe elevatior, quam antea; quare in opinionem veni, ac ſi forſan Cometa poſſit ſubeſſe, quia de tali praeſertim novellae publicae varia et vana tunc undicunque narraverunt. Interea nec in initio luculae A, nec in fine quicquam ſolidi, quod nucleum vocant, adparuit Fig. 2.

Die XXII. April. in eo eram, ut diverſa adponerem inſtrumenta illuſtriora ad altitudines et diſtantias ſiderum capiendas, nuper reparata, quae etiam adſcenſum meum maturabant. Hor. IX. min. 12. ad tauri cornua, ubi Jupiter haud procul tunc haerebat, ſtellam A Fig. 3. (quam potius chaſma adpellare oportet, niſi forma ſic aliter ſuaderet) admodum rube-

ſcentem deprehendimus; quae uti mox flammulam, mox ardentis carbonis figuram mentiebatur, inſuperque locum inconſuetum tenebat; ita et varias cogitationes excitabat. Praeſertim cum iſtaec longa adparebat oculis nudis min. 20; aſt armatis duas licebat, bene diſtinguibiles ibi notare ſtellas. Fiebat min. 30. longior adhuc et lucidior, quam tubus etiam tribus notabat ſtellulis. Quibus obſervatis ego ad maximum tubum, quem tunc mecum habebam, nempe 12. pedes longum properabam, ubi interea ſpectatores quartam indicabant itidem oblongam, at differentem a proximis ſuo tantum colore ſulphureo. Adplicato tubo novo ſeſe egregium oculis objiciebat ſpectaculum, ſeptem nimirum ſtellae. Quae praeter unam illi meridionaliori B. fig. 3. quaſi capiti inhaerentem C. in linea cum Horizonte parallela, aſt ab hoc notabiliter elevata, exiſtebant, nudis oculis conſpicuae. Notabile erat, quod corpora duo extrema A. B. intermediis exiſtebant majora, utut iſta longa magis ad ſtellarum fixarum modum ſcintillarent, et in perpetuo motu ab uno extremorum A ad alterum B pergerent. Accipiebant etiam duo extrema corpora A. B. caudas ad duas fere ulnas protenſas et pauliſper incuruatas, imo meridionalioris capiti inhaerens itidem projiciebat caudam cum prioris illa conjunctam, ſed bene diſtinguibilem, unde horridulum omnino erat ſpectaculum, duobus quaſi oculis conſpicuum, nec tamen ita diu durans. Nam intermedii globuli motu ſuo perpetuo veluti arcus fig. 4. adinvicem formantes, extrema adaugebant corpora, quae nunc obſcuriora fiebant, nunc ſuam verſus horizontem lucem reſumentia, denuo emicabant; donec illud B. hor. x, m. 31. diſparuit, et altera A. ſuam pariter caudam et colorem amiſit, horaque x, m. 35. oculis nudis non amplius adparuit. Erat tunc altitudo ab Horizonte 15. grad. Circa horam decimam quoque illa lucula fig. 2. prioribus noctibus viſa iterum micare coepit, ſeptentrionalior facta inſtar ſcopae cuiusdam vix ad dimidiam horam durans.

Die

Die 23. Apr. jam ante ſolis ortum, coelum ſudum nunc verſus orientem paulo rubeſcens cum Barometro a gradus 31. minuto $4\frac{1}{2}$ recedente ad 31°, m. 3. mutationem aëris et tempeſtatis indicabat. Quae uti cum ipſa meridie coepit vento ſufflante orientali haemiſphaerium integrum nubibus obductum, vix ullam ſtellarum adventante nocte adpariturarum promittebat ſpem. Nihilominus ex multis alibi adductis exemplis conſtabat (conf. Maeſtlinus in conſideratione cometae anno CIↃIↃLXXX viſi aetherei aſtronomica, Ricciolus in ſuo Almageſto novo, ubi de cometa An. 1618. viſo refert, praeceſſiſſe iſtum faces igneas, trabes, globos de coelo cadentes) ejusmodi chasmata et ſyrmata fuiſſe inſtantium cometarum indices, vel certius ſi adfuerunt, illorum comites; quare in obſervatorio de varie concurrentibus circa arduam hanc materiam cauſis et diverſis quoad cometarum originem doctorum ſententiis quendam praeſentibus auditoribus vi Statutorum Academ. diſcurſum inſtituebam. Ubi inter alia in mentem veniebant verba OLAI RVDBECK in commun. Vpſalienſi ad STANISLAVM de LVBIENIETZKI in theatr. comet. fol. m. 352. Si flamma eſt, lumenve ſuccenſum in Cometa, poſtquam,,
corpus ejus eſt generatum, ut fit in ſtellis cadentibus, globisve,,
ignitis, aliisque ſimilibus meteoris, natis ex ſulphurea nitroſa et,,
vaporoſa materia, quae perinde accenditur, ſicut fuligo in cami-,,
no, quae ad tempus non inflammatur, dum colligitur ex lignis,,
humidioribus, mox exſiccata ex aridioribus lignis vel calore foci,,
minima ex cauſa flagrat, non eſſet impoſſibile, ſi obſervatum ha-,,
beremus a mathematicis, dum diligenter obſervant aſtra, nec,,
vident corpus ullum ſolito clarius obſcuriusve, eo momento,,
comparuiſſe cometam lucidi corporis, cum lucida longaque,,
cauda, ſatis manifeſtum foret, corpus illud igne flagrare. Sed,,
cui mathematicorum ſors accidit? id potius invenimus, cum,,
eorum legimus obſervationes, nullum ab ipſis primo obſerva-,,
tum eſſe cometam, ſed vel ab ruſticis nocturna itinera facien-,,
tibus vel a vigilibus urbanis, vel ab aliis per plateas graſſan-,,

tibus etc. Sed haec dum, ne tempus pereat, cum obſervationibus aliorum recentiora melioravc ſentientium adduxi. Hora IX. min. 6. emicabat denuo prior illa lucula fig. 1. die vigeſima viſa; cui, adplicato tubo longiore, complures adſtantes nubes impedire radios percepi, quorum nonnulli cum impetu proſiliebant, daß man auch die Wolcken genau distinguiren konte / und zu gleich ſehen / wie dieſes Licht viel höher als die Wolcken / und ſehr penetrant geweſen ꝛc. Cum quadrante etiam majori ejus initium A ultra 18. gradus elevatum percepi. Hor. IX, m. 13. in ſeptentrione praeciſe itidem inter nubes ſpiſſiores videbantur duae ejusmodi luculae fig. 5. cum perpetuis mutationibus, quae minuto 25. creſcebant; erant etiam iſtae inverſae, in quantum ex nubibus licebat judicare, quae adeo ſpiſſae exiſtebant, ut ne ſtellae quidem fixae potuerint percipi. Nihilominus ſyrma illud occidentalius fig. 3. hor. IX. m. 28. exinde denuo adparebat, diſparente illa ſeptentrionali lucula, id quod ſaepius hac nocte obſervavi, ad modum fumantis quaſi elychnii, ſo daß einige meynen ſollen / es wäre ein Blitzen geweſen; allein das öfftere Anhalten auf 6 - biß 10. minuta horaria nicht nur / als auch die funcklenden und fliegenden Sternlein mit ihrem Anhalten hinter den Wolcken / zumahl in den vorigen Tagen / lehrten uns ein anders / die wir alles mit Augen angeſehen / und wohl erweget; doch hat ſich hor. X. min. 31. alles verlöſchet.

Die XXIV. Barometron aeque ac aëris conſtitutio integra, vix quicquam promittebant. Conveniebant tamen nonnulli adſcenſum in Obſervatorium publicum urgentes; quorum numerus poſtea mihi et inſtrumentis ibi expoſitis videbatur moleſtus. Quod vero ſubſequentes attinet luculas, illae ſub initio ortus Horizonti quaſi adhaerebant. Nimirum ad $^{\circ}_{3}$, m. 30. verſus orientalem plagam permagnus oculos noſtros feriebat ſplendor veram referens ſtellam D, ad tria tantum minuta durans; cujus cum decreſcentia dein ille oriebatur fig. 3. a ſeptentrione 61. gradus recedens, prioremque ſuam ab horizonte altitudinem obti-

obtinens, cum ſocio ſuo et cauda, ut fig. 6. refert. Cur autem ille in D tam cito ſeſe abſconderit, ejus forte depreſſio vel nubes ſpiſſiores, ex quibus ſuum projiciebat ſplendorem, in cauſa fuerunt. Contra illa in fig. 6. egregiam monſtrabat faciem, altitudinemque 21. gr. 6. m. utramque augebant mox duae aliae ſtellulae advolitantes quaſi; ſed tunc quidem in eadem manens altitudine min. 53, colorem igneum mutabat, ſicque ſubinde decreſcendo tres alias fig. 7. in eadem altitudine excitabat ſtellulas, quarum duae extremae continuo commovebantur. Imo nouum adhuc ſyrma oriebatur inde a ſeptentrione 4° remotum fig. 8. adeo creſcens, totiesque ſuam faciem in eadem altitudine permutans, ut vix potuerit diſtingui, donec poſt min. 14½ penitus abiit.

Erat autem hoc tempus maxime notatu dignum; omnes enim hucusque recenſitae luculae, et ſyrmata videbantur in ſeptentrionem contendere, idque ideo, quod nunc ibidem duo, dein tria viſa fuerunt corpora lucentia et ignea cunctisque recenſitis altiora, quorum accuratam altitudinem equidem impedimenta non permittebant, ut caperetur. Erat etiam egregia iſtorum facies hor. min. 20. IX, dum caudas ſuas ad quartam ulnam longas projiciebant, ut perfectam crucem bene dignoſcibilem fig. 9. formarent. Vnde ſimul cognoſci poſſunt tot cruces, quas ſibi toties in coelo viſas, quoties ſyrmata ejusmodi adparuerunt, conceperunt ſuperiora triſtia ſecula accuratioribus, ut ſupra dixi, obſervationibus deſtituta. Duravit quoque haec figura ſeptentrionalis longius, quam reliquae omnes; et quia ſubinde verſus ortum novae oriebantur luculae, in eam quivis venit opinionem, ac ſi hae cunctae tandem verſus integram hanc regionem, quam accurate quadrante majori ſubduxi, et delineavi, in unam quaſi flammam coiturae ſint. Fiebat porro, ut min. 33. in ſeptentrione 6, dein 7 adparerent etiam min. 35. nudis oculis cognoſcibiles ſtellulae ita, ut mediam majorem plane juxta fig. 9. circumvolitarent reliquae minores, illamque lucidiorem redderent in maxima ab Horizonte altitudine 25. gr. Poſt aliquot

tempus

tempus ſeſe occultabant omnes, illamque fig. 3. denuo quaſi excitabant itidem ſtellulis variis ſtipatam ornatamque maxima cauda flammante Fig. 10. fortaſſis ob ventum tunc temporis ex N W. ſufflantem.

Syrma ſeptentrionale interim una cum illo fig. 3. atque aliis verſus ortum, (quae ultimae tum meras referebant luculas) ſtuporem non exiguum ciebant, non ob ſplendorem ſolum, ſed inſuper ob faciem illam in ſeptentrione tribus quaſi oculis conſpicuam fig. 11. quae circumcirca coronam admodum ſplendentem exhibebat, adeo ut horizontem ex parte illuſtraret. Haec intuentes omnes, non ſine ſtupore perceperunt. Praeſertim cum quae antea fueram ominatus, nunc veluti evenire viderent; nam flamma inde exſurgebat als eine aus einem Feuer-Ofen ſteigende und flanquende Pyramide von lauter Feuer/ welche ſo hefftig flammete und wallete/ daß ſie auch ein Blenden und Schmertzen in unſern Augen verurſachete / als das zu geſchehen pfleget bey einem hellen Licht/ welches man ſo ungefehr in der Ferne erblicket/ und ſtarr anzuſehen pfleget ꝛc. extremitates quaſi nebula incluſae erant, et ejus corpora tria fixa ad 20. gr. elata. Quanta autem flamma ipſa fuerit ob dictum ſtuporem et impedimenta capere haud potui. Extinguebantur ſucceſſive reliquae luculae, exceptis illis, quae ſtellas habebant indeque varias mutationes tam coloris quam ipſius ſplendoris patiebantur. Vbi contra ſeptentrionale ſyrma continuabat usque ad horam duodecimam, qua itidem remittebat a ſuo ſplendore, meque, ubi res iſta vigiliam exigebat, inſomnem, viribusque tandem deficientem dimittebat.

Die XXV. nihil amplius notatu dignum obſervavi, nec quicquam per dies reliquos. Interim quod reliqua attinet heic addenda, ad aliam occaſionem differo, vel in ſupra indicato tractatu ut explicentur promitto.

(*Giſſa Anguſtam Vind. A. 1717. d. 14. Sept. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. Joh. Chriſtophori Sprögelii.

Stranguria et inflammatio ſphincteris veſicae ex haemorrhoidibus coecis, curata.

Civis non infimae ſortis noſtrae urbis, haemorrhoidibus coecis laborans ex improviſo inſigni ſtranguria, quae calculum veſicae mentiebatur, correptus eſt. Chirurgus igitur vocatur, ut calculi praeſentiam inquireret cathetere; ſed in vanum tentabat veſicae introitum, ſphincter enim ejusdem adeo erat tumefactus et inflammatus, ut catheter nullo modo, cum prae dolore aegri, tum prae conſtrictione ſphincteris ſpaſmodica impingi poſſet. Cauſa hac ſpeciali et vera doloris cognita, ſuſpicio omnis de calculo abjiciebatur, et de cauſa hujus inflammationis proximiori conſultabatur auferenda. Haec nulla alia eſſe videbatur, quam affluxus nimius haemorrhoidalis circa varices dictas haemorrhoidales, per conſenſum ſphincterem veſicae afficiens et inflammans. Dato itaque leniſſimo purgante ex ☿io dulci gr. v. c. ſ. q. conſervae roſarum, per ſingulas tres dies tribus vel quatuor vicibus reiterato, interpoſita ſola Tinctura Martis cum vino malvatico facta, aeger poſt primam laxationem hanc per Mercurium ſtatim ab omni dolore veſicae et ſtranguria, ſenſimque, hisce continuatis, ab haemorrhoidibus coecis ipſis eſt liberatus.

Haemorrhoides non ſolum per arterias ſtricte ſic dictas haemorrhoidales, ad ora venarum in ani tunica exteriori et interiori ſe aperientes, fluere, jam *Hippocrati* innotuit, qui et oris haemorrhoides agnovit, et *D. D. Helvvich* plura quam elegantiſſime de iis in *Ephem. N. C. Dec.* 3. *An.* 9. *Obſerv* 118. diſſerit. Per aures obſervavit easdem *D. D. Ledelius* in iisdem *Ephem. Dec.* 3. *An.* 5. *Obſerv.* 265. et *Hippocrates* maniam vidit in Alcippo ab haemorrhoidibus per metaſtaſin caput peten-

 tibus.

tibus. D. *Joh. Henr. Herlinus* quoque ſingularem tractatulum ſcripſit *de praeternaturali, ac lethali fluxus haemorrhoidalis ſuppreſſi ad pectus translatione*, *Altenburgi*. 1716. 8*vo*. Nihil ideo eſt, quod miremur, illas ad veſicam moveri interdum. Deploratam hujus experientiam ante nos habuiſſe ſupradictus teſtatur *Dn. Helvvich in Ephem N.C. Dec. 3. Ann. 9. Obſerv.* 119. ubi hiſtoriam aegri recenſet, qui haemorrhoidibus veſicae correptus fato conceſſit. Adeo ut huic ultimae obſervationi noſtra ſit parallela, qua ſcilicet affluxus haemorrhoidalis ſphincterem veſicae inflammaverit. Sed qua ratione, illa mortem inferente, cura hujus per ſolum mercurium, et tincturam dictam martis, ex voto ſucceſſerit, paucis videamus.

Mercurium triumphatorem in medicina eſſe, *Goris* in tractatu ſuo, *Mercurius triumphator*, optime demonſtravit, utinam ſimul praeparationes ejusdem, quas ſingulares ſe ſcire depraedicat, in uſum rei publicae, more virorum bonorum, docuiſſet, ut eo melius ad accidentia varia morborum dirigi poſſet. Hinc hoc loco non plura de ejusdem vi abſorbente, et acidum bilioſum corroſivum, glanduloſas propagationes arteriolarum ſaepius erodens, ſicque ſtagnationem ſanguinis circa eas inducens, temperante, illudque in circulum redigente et dehinc per glandulas commodiores, vel per ſedes, vel per ſalivationem educente, diſſeram. Tantum hoc dicam, nihil magis in aegro noſtro indicatum eſſe, quam acidum ejusmodi bilioſum corroſivum in maſſa ſanguinea, quod anima per haemorrhoides evacuare tentarat; hoc vero in majori copia affluens ob ſpiſſitudinem ſimul ramificationes glanduloſas arteriolarum in tunicis ipſis arteriolarum, et circa eas prius diſpulit et eroſit, quam orificia aperire potuit, quippe haec, ſero illo acri per glandulas abſcedente, non facile operiuntur; hinc orificia haec compreſſa ſunt, unde tumor vaſorum haemorrhoidalium varicoſus, quem potius aneuriſmaticum, cum magis in arteriis quam venis exſiſtat, quod alia occaſione demonſtrabo, vocarem, niſi communis opinio hanc vocem jam retinere ſuaderet. Obſtructis itaque hiſce glandulis, ad vicina loca in noſtro

ſtro molimen factum eſt earundem, nimirum ad veſicam, ſed eodem infelici ſucceſſu, unde in ejus ſphinctere ſtagnatio, tumor, et inflammatio. Mercurio itaque propinato, magna quantitas hujus acidi bilioſi, ſtatim prima vice decem vel duodecim ſedibus, eliminata eſt per glandulas inteſtinorum, adeoque vaſa ſunt liberata, circulatioque liberior et ſuavior reddita; hinc dolores ſpasmodici in veſica ſtatim remiſerunt, et ſtagnans hic ſerum acidum corroſivum in venas receſſit, ſicque ſenſim et haemorrhoidum ipſi tumores receſſerunt. Quod, tinctura martis vaſorum roborante tonum, erat jam demonſtrandum.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. Johannis Chriſtophori Sprögelii.

Empyema ex Pleuritide neglecta per clyſterem fortem curatum.

CLyſteres inteſtina eluere, et partibus cujusvis ventris, infimi, medii et ſummi, quam optimum ſolatium afferre, ratione et uſu adeo omnibus probatum eſſe videtur, ut, niſi pudor ſubruſticus aegros ipſos ab eorum uſu revocaret, *Langius* hodie vel ſycophantas fruſtra quaereret, qui, ſi medicus peritus ad lenienda alvi ex obſtructione aut inteſtinorum ulceratione tormina, aut calculi cruciatus, alvum clyſtere eluendam ſuaſerit, et aeger id genus ſubſidii ob pudorem detrectaverit, blanditiis aegro illi ſubſcriberent, et ſaluberrimum enematum uſum velut paralyſeos, quae horum torminum eſt pediſſequa, cauſam infamarent, uti hujus in *Epiſt.* 80. *lib.* 1. mentionem facit. Non enim olim ſolum apud AEgyptios, quos Ibis avis eorum docuit applicationem, horum uſus adeo frequens fuit, ut ſingulis menſibus triduo ſe purgarent vomendo, atque inteſtina diluendo, gratia ſanitatis conſervandae; neque tantum vis eorum nutritiva ad tempus, ab eodem *Langio l. c.* ex *Avenzoar*

edocta, et ab *Hildano obſerv.* 30. *Cent.* 4. exemplo comprobata, tam experientia *Galeni*, qui *lib.* 6. *de cauſ. ſympt.* refert, nonnullis clyſteres adeo aſcendiſſe, ut vomitione redditae fuerint, item *Hildani obſerv.* 70. *Cent.* 6. et aliorum in *Ephemeridibus hisce* notatis paſſim ejusmodi obſervationibus nititur; quam, quod maximum eſt, fundamento illo firmiſſimo anatomico, *Bauhini* in fine inteſtinorum tenuium valvulam eſſe fabulam, id quod *Bianchi Epiſtola ad Sancaſſanum, in Mangeti Theatri Antomici Lib II. cap.* 4. *p. m.* 300. ſatis ſuperque demonſtrat; ſed eorum vis curativa hodie adeo emerſit, ut ingenioſus apud Gallos Medicus, *Dn. Adrianus Helvetius, in methode pour guerir toute ſorte des Fieures ſans rien faire prendre parla bouche*, modum propoſuerit, corticem de Peru in febribus cum ſucceſſu per enemata applicandi, quam methodum *D. D. Albrecht in iisdem hisce Ephemeridibus Dec.* 3. *Ann.* 3. *Obſerv.* 127. illuſtrat, et inſignem eorum uſum, aſſentiente ſimul ſolicitae prudentiae Medico, *D. L. Lentilio in Ephem. Dec.* 3. *An.* 5. *et* 6 *App. p.* 130, non immerito depraedicat.

Praeloqui haec libuit, cum caſum explicare inſtituerim, quem honoratiſſimus Dn. Parens, *Dr. Michael Sproegelius*, Medicus Halberſtadienſis, non ita pridem mecum communicavit his verbis: Accidit mihi ante non paucas hebdomades, ut veſperi vocarer ad virum quendam ex noſtra familia, aliquot 40. annorum, ex neglecta pleuritide empyicum factum, cui, cum ex metu ſuffocationis ultima videretur agere, nec propter ſaniei foetentis copiam, qua fauces opplebantur, & cujus quantitas ſatis magna interdum tuſſi obſcura protrudebatur, interne remedia amplius adhiberi poſſent, praeterea etiam aegrotus ſumme debilis eſſet, pulſus tamen viribus robuſtior animadverteretur, et alvus per duos dies obſtructa, clyſterem de ſubito ſatis fortem applicari curavi. Dictum factum Optatiſſimus ſequebatur effectus, magna enim copia ſanioſae materiae ejusdem coloris et foetoris, qualis per fauces ejiciebatur, per ſeceſſum educta eſt, ut mane ad aegrotum accedens ipſum ad menſam ſedentem et juſculum

ſculum cibantem invenerim. Quaeritur, per quas vias Archeus, ſeu hodiernorum medicorum Anima, materiam hanc pectori rupto abſceſſu infuſam per alvum ſimul eduxerit? Scio communem Medicorum ſententiam, naturam ſibi fabricare vias nobis ignotas, ſed nunquam haec opinio mihi ſatisfecit, nec crediđiſſem veras de hoc affectu hiſtorias, niſi ipſe cum admiratione hanc obſervaſſem. Haec Dominus Parens. Ad quae ſic ego, quemlibet alium ſenſu ſuo abundare lubentiſſime patiens, reſponſum vellem:

Ex pleuritide neglecta empyema fieri, non eſt quod miremur. Sanguinem enim extravaſatum, nec ſtatim in circulum redactum, in 14. diebus in ſaniem mutari, experientia non ſolum affirmat *Hippocratis in 5. lib. Aphoriſm.* 8. Quicunque, ajens, morbo laterali laborantes in 14. diebus non repurgantur, iis materia ad ſuppurationem vertitur; ſed et ratio ſuadet, licet ſanguis, quod *Drelincurtius* vult, in vaſis ſuis ſtagnans non putreat, nec inflammetur, ſed tantum coaguletur, eundem extravaſatum, et in interſtitiis glanduloſis ſtagnantem, ab ambiente talem impetum pati, ut particulae ejusdem ſpirituoſiores, putrefactionem alias praecaventes, in venas facilius abripiantur, et, quod idem eſt, diſcutiantur, reliquis aqueis et viſcidis in putrefactionem et ſaniem abeuntibus. Hoc pus, niſi per ſputa repurgetur, rupta vomica, in cavitatem thoracis effundi, atque aegros empyicos reddere affirmant veteres cum pleriſque neotericorum. Eo, ajunt, aut ſuffocantur, aut liberantur, niſi probe ſpatio dierum quadraginta per tuſſim purgentur, quod hiſce verbis *Hippocrates in 5. lib. Aphor.* 15. docuit: Quicunque ex morbo laterali fiunt empyi, id eſt, ſuppurati, ſi quadraginta diebus purgantur, a die qua fit ruptio, liberantur; et *Galenus in Comment.* ait: niſi iis diebus per ſputa pus totum expurgetur, putreſcit, pulmonesque putrefactum exedit, atque ad tabem conducit; uti haec pluribus recenſet *Proſper Alpinus lib. 7. cap. 19. p. m. 526. de praeſagienda vita et morte aegrorum.* Ex hiſce concludere intendunt, ſaniem iſtam per ſputa expurgari debere, alvique profluvium virtutis, (naturae ſcilicet) inbecillitatem, ſputi retentionem

 tionem

tionem et deploratam ſuffocationem plerumque praeſagire; minori itaque cum ratione purgantia applicari.

Quemadmodum vero nulla regula, ita neque haec ſua caret exceptione, quando nimirum ſanies iſta in tanta copia adeſt, ut ſuffocatio inſtet, fauces ſint repletae, nec ſpes vitae ulla affulgeat ſervandae, εὐθανασία tantum aegro procuranda videtur alvo, imprimis, ſi eadem ſimul fuerit obſtructa, clyſtere ſoluta, materiaque ex parte ſubducta. Quod licet aegrum rariſſime ex orci faucibus eripere valeat; interdum tamen fieri poſſe, narrata ſatis affirmat hiſtoria. Sed qua ratione, quibusque viis, jam paucis inquirendum eſt.

Pleuritidem metaſtaſi in parotides interdum, licet rariſſime, terminari, teſtatur obſervatio *D. D. Mayeri Ephemeridum harum Cent. IV. obſ* 38; per univerſum corporis tumorem ſanatam exhibet *earundem Cent. I. obſ.* 74; per purpuram plures obſervationes teſtantur, et *ego ipſe* idem Auguſtae Vindelicorum obſervavi; in podagram abſcedentem etiam obſervavit *D. Ledelius in Ephemer. harum Dec.* 3. *Ann.* 3. *obſ.* 16. Quae metaſtaſes omnes optimo ſucceſſu ſunt terminatae. Praeterea per ſputum plerumque, ſaepius per ſudorem et interdum per urinam pleuritidem curari quotidiana docet praxis; et imprimis hoc ultimum *Hildani obſ.* 31. *Cent.* 2. Urinam nimirum pleuriticae primo turbulentam et rubicundam veluti admixto ſanguine, deinde ſanguineam, et denique omnino purulentam hunc morbum feliciſſime judicaſſe, teſtatur. De aliis morbis in pleuritidem verſis, imprimis de communicatione pectoris cum cruribus, licet locis longiſſime remotis, nihil dicam; de quibus benevolus Lector *in Ephem. Nat. Curioſ.* imprimis *in earundem Dec.* 3. *Ann.* 5. *obſerv.* 286. *et Cent. VI. Append. p.* 107. plura videre poteſt.

Quas vias autem in hiſce non tam procreationibus, quam reſolutionibus et curationibus unius ejusdemque morbi variis effingere volumus alias, quam arterias ipſas, quae ad fauces tanquam locum cordi proximum certiſſime materiam afferunt,

ut *Joh. Antonid. van der Linden in ManuScript. quod Excellentiſſimus Lentilius Miſcellaneis ſuis Medicis adjunxit, ibidem p. 3. 214. b.* ait: quando ſputum flavum excernitur in pleuritide, non video alias vias, niſi ſtatuatur cum ſaliva excerni. Saliva autem non aliunde ad ductus ſalivales pervenit, quam ex arteriis. Haec enim pro veris vendito. Mirandum vero, quomodo materia illa ex loco affecto pene immutata perveniat, ut nobis ſignum praebere poſſit humoris peccantis et coctionis. Et tantum abeſt, ut, quemadmodum quidam volunt, pus, rupta vomica vel abſceſſu, in cavitatem thoracis effuſum vias alias ſe per ſputum evacuandi quaerere poſſit, praeter ordinarias glandulas, ut potius, eadem rupta, niſi inciſione pectoris evacuatio puris procuretur, qualem paracentheſin *D. Dr. Riedlinus in Eph. N. C. Dec. 3. Ann. 1. obſ. 126.* feliciſſime inſtitui curavit, aegros plerumque ſuffocet, vixque unus ex millibus ab ea liberetur. Neque alias vias ſupponendas eſſe ratio ſapienti cuivis anatomico ſuadet, quicquid quidam de novis viis, quas natura ſibi fabricetur nobis ignotas, ſentiant. Venae enim arteriis capillaribus vel continuatae adhaerent, vel cum iis ſe oſculantur, ita ut juxta ſingulam oſculationem vas laterale ſeparatorium ad glandulam perficiendam abeat, qualem fabricam vaſorum* lymphaticorum et glandularum *ex Guilielmo Cowper Tabula LIII. fig. 8. et 9. in Mangeti Theatro Anatomico edit. 1716, Tom. I. p. 216.* ex parte exhibet. Rebus itaque ſic ſtantibus facillime concipi poteſt, naturam nullis aliis viis ad Empyema, id eſt, ſuppuratam materiam, ex glandulis, id eſt, ex membranis, quibus glandulae a nervis ſubductae ſunt, et in quibus continetur humor vel materia, vaſis glandulae propriis corroſis, ſuppurata, educendum opus habere, quam venis, in quas ſenſim abſorbetur vel potius intruditur humor dictus vi motus nervorum ibidem loci intertextorum, dehinc ad cor cum ſanguine et per arterias ad glandulas alias pro ſecretione ex gr. faucium et aſperae arteriae in exſcreatione defertur. Sed quid opus eſt ulterius hanc theoriam rationibus ſuffulcire, cum, in

ſan-

ſanguine circulante pleuriticorum per venae ſectionem emiſſo interdum pus inſtar ſevi liquati inveniri, et cum ipſo ſimul extrahi, quod neutiquam, niſi ſimul circumferetur, fieret, ex Obſervatione 71. in Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 1. et aliis ſenſus doceant.

Materia igitur, noſtro rupto abſceſſu, et glandulis proxime adjacentibus pleurae et pulmonum membranae ſimul in ſuppurationem ductis, adeo abundans per impoſſibile omnis per glandulas faucium ſeparari poſſe videbatur, et ſine dubio aegrum ſuffocaſſet, niſi alia ſimul via oſtenſa naturae patienti fuiſſet. Alvum quidem ſagaciſſima anima, operationem ſuam in aliam viam directura, prudentiſſime claudit, ut quotidiana docet experientia in febribus malignis et inflammatoriis, quo magis heterogeneum per ſudorem, id eſt, glandulas ſubcutaneas expelli poſſit. Nec ab hac via frivole natura, id eſt, motus animae cum corpore ſibi proportionato conjunctae, eſt ſeducenda, imprimis ſi materia eſt venenoſa, vel ſubjecta ſunt bilioſiora, venenum enim illud vel bilioſae purulentiae nimis ad inteſtina vocatae partibus illis nervoſo- membranaceis maxime ſenſibilibus facillime diarrhoeam, inflammationem et gangraenam, id eſt, mortem inducere poſſunt. In noſtro vero aegro, cum materia non nimis fuerit acris et billioſa, ſed potius phlegmatica putrefacta, quod foetor demonſtravit, anima auriga optimo cum ſucceſſu, (quod alias in pleuritide, ob dictam rationem, lethale videtur,) glandulis inteſtinorum per clyſterem fortem ſemel ſtimulatis et apertis, ſtatim equos reflexit, hancque viam ſecuta eſt, et aegrum a ſuffocatione, alias certiſſime ſubſequenda, liberavit feliciſſime; et hoc quidem nullis aliis viis denuo ab ipſa fabricatis, ſed ſolo ordinario ſanguinis per arterias meſeraicas circulo adminiſtrante.

Tres nobis uſus ex hac obſervatione in praxi innoteſcunt: (1) Glandulas inteſtinorum, imprimis craſſorum, non ſolum ſerum quoddam pro lubricandis inteſtinis et emolliendis fecibus, quod plurimi cum *Peyero* volunt, ſeparare, ſed ſimul eſſe

emun-

emunctoria vaſorum meſeraicorum, quicquid *D. Nuckius* contra veteres diſputet, et per conſequens totius maſſae ſanguineae, ſi ad has vias per purgantia illius deſtinetur motus ſeparatorius, aeque ac glandulae cutis et renum ejusdem, motu ad haſce uvias per ſudorifera vel diuretica directo, maſſae ſunt emunctoria. Et patet hinc ratio obſervationis *D. Dr. Helvvichii in Ephemer. Nat. Cur. Dec. 3. Ann. 5. et 6. obſ. 190. pag. 439.* qui fieri potuerit, ut aeger ab uno clyſtere ſedecies et ultra dejecerit; quod tanta excrementorum copia non in inteſtinis craſſis delituerit, ſed, horum et tenuium glandulis ſemel apertis, a maſſa ſanguinea, vel glandulis ad minimum inteſtinorum proximiori, ſeparata fuerit. (2) Clyſteres ſi non tutius, attamen aeque ac purgantia interna, glandulas haſce ſtimulare, et animae, heterogeneum ſibique incommodum et maſſa ſanguinea ſeparandi, viam monſtrare. Licet enim quibusdam a prima fronte difficile conceptu videretur, quomodo fieri poſſit, ut per eos motus huc dirigatur; ſciant iidem, non illud fieri tantum per clyſteres, ſed per animam ipſam, quae, ſolutis tantum organis ſecretoriis in primo apice, ipſa per circulationem proſequatur motum malum excernendi, et excernat tamdiu, usque dum maſſa ſanguinea vel depuretur, vel, ſi haec tota ſit impura, tandem illa ipſa exſpiret. Et (3) excretionem per alvum leniſſime inſtitutam in pleuriticis et hinc oriundis empyicis non ſemper eſſe timendam, quin potius, re alias deſperata, ſuadendam, ex hac apparet hiſtoria. Ratum tamen interim eſt veterum praeſagium, in pleuriticis et phthiſicis diarrhoeas eſſe plerumque lethales: fit hoc nimirum, ceu proxime illud adnotavi, ſi corpus eſt bilioſum et humores acres, vel ſi ulcera adſunt viſcerum interna majora, tunc, alvi profluvio vel arte, vel ab anima ipſa, vel humoribus acrioribus producta, motu illo nimis irritantur inteſtina et inflammantur, vel ulcera interna magis augentur, et omnino redduntur incurabilia; quaeque alias motu leniſſimo ſudorifero ſatis ſuperque expurgari, et abſtergentibus ſolis uſurpatis conſolidari potuiſſent, hoc motu nimis re-

vulſorio magis exacerbantur, et aegros citius morti tradere videntur. Quibus vero corpus non adeo eſt bilioſum, ſed magis phlegmaticum, lenius purgans vel clyſterem fortiorem minus obeſſe, quinimo prodeſſe, hac noſtra fortaſſis docuimus obſervatione.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. Johannis Chriſtophori Sprögelii.

De Peſte per inciſionem bubonum ante eorum intumeſcentiam curanda.

MUlti quidem multa de peſtis praeſervatione et curatione ſcripta reliquerunt; nec male, cum non ſolum morbus ſit dirus, qui omnium ſtudium requirit, ſi modo remedium contra eum certius, quam hucusque datur, quod ab omnibus approbaretur, inveniri poſſet; ſed etiam intricatiſſimus, ſeque hujus judicio hoc, alius alio modo curandum ſiſtat, adeo ut, quemcunque ſuum momentum addere, implicitasque ejusdem rationes explicare, et cum orbe erudito communicare, rei publicae interſit. Quicquid autem diſputent, id tamen omnes in fine confiteri oportet, varia medicamenta morbum hunc peſtilentialem minus praeſervare, minimeque curare poſſe, niſi in eo conſiſtat eorum ratio operandi, ut maſſa ſanguinea et aether microcoſmi, quem alii ſpiritus animales, ſuccum nervoſum, vitam animalem, vel archeum vocant, quam blandiſſime ab impuritatibus heterogeneis liberetur et depuretur, ne hae illam corrumpant, hujusve elaſticitati remoram objiciant, quae alterutra mortis ſubitaneae in peſte eſt ratio certiſſima. Hanc vnicam eſſe indicationem, certo certius eſt, tantum in eo lis verſatur, quibus viis eaedem facilius eliminari poſſint, et quibus tutiſſime ſint eliminandae. Hinc notum eſt, quosdam purgantia ſuadere, quosdam ſtatim in diaphoreticis omnem ſalutem quaerere, quosdam purgantia cum ſudoriferis et diureticis jungere,

quale

quale Elixir habetur Antipeſtilentiale Gedanicum. Quantum vero hi ultimi cumprimis peccent, et quam peſtiferum ſit elixir illud antipeſtilentiale? quam ſolertiſſime egregius noſter inter primarios excellens Medicus, *Dn. Dr. Kirchhoff in praefatione libelli dicti:* Vier Tractätlein von der anſteckenden Seuche/ welche *Anno* 1713. in das Ertz-Hertzogthum Nieder-Oeſterreich eingeſchlichen / der werthen Stadt Hamburg / und allen Nieder-Sachſen zu Liebe und Dienſt nebſt einer Vorrede von einer ſchädlichen Peſt-*Medicin* zum Druck befördert von einem Hamburgiſchen *Medico*, Hamburg. 1714. 4to: exemplis probavit, illudque conſulentes ipſos peſte dignos damnavit, et hoc de jure. Demonſtrativum ejus argumentum in eo vertitur, quod natura ordinarie eos, quos ſanat, per expulſionem veneni a centro ad circumferentiam in petechias, carbunculos, bubones &c. ſanare videatur; purgantia vero motum hunc invertant, et venenum a peripheria ad centrum reducant, ſicque neceſſario mortem plerisque, niſi robuſtioribus natura, inferant.

Huic naturae molimini etiam reſpondet novum illud experimentum chirurgicum, quod in hac obſervatione poſteris relinquere liceat. *Eggebeckius*, Chirurgus noſtrae urbis promtiſſimus, cum A. 1713. quo peſtis noſtras quoque oras, proh dolor! petierat, copia ei offerebatur peſte laborantium pauperum et miſerorum, primus ejus fuit operator in noſtra civitate, et non tantum decem, ſed centum et plures, qui cum orco rationem habebant, hac adjuvante operatione chirurgica, eidem eripuit, adeo ut nullus, cui ante praeterlapſum febris aggredientis tertium diem applicuit, mortuus fuerit; merito itaque ei laus et honor manet inventionis.

In animum nimirum ſuum inducebat operationes naturae in peſte curanda obſervatas, eam plerumque per expulſionem veneni in bubones &c. eandem curare. Simul ac igitur aeger ipſi offerebatur, qui de laſſitudine, febri et dolore in inguinibus

conquerebatur, ſtatim adhuc ante ruborem et tumorem glandularum in bubones abſceſſurarum plenarium, maturitatem indicantem, inciſione obliqua profunda trium latorum digitorum longitudine loci dolentis cutem, pinguedinem et glandulam ipſam incidebat, digitis propriis ulterius vulnus dilatabat, et glandulam obſtructam perfecte dilacerabat, ut liberior affluxus allidentis ſanguinis, et effluxus materiae venenoſae pararetur. Vulneri applicabat ſolum linteum raſum ſuperimpoſito emplaſtro defenſivo, quo mediante poſt 24. horas talis ſuppuratio ſuccedebat, qualis per cataplaſmata per decem dies vix acquirenda eſt, et hinc quotidie bis illud repurgabat. Febris ſtatim poſt operationem remittebat, et vulnus elegantiſſime poſt tres vel quatuor ſeptimanas, interne tantum propinatis vulgaribus diaphoreticis fixis, antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum cum cinnabari nativa praeparata, conſolidabatur, nemine unquam mala ſymptomata ex hac operatione, (quod in quadam gravida, quae operationem eandem perpeſſa curata eſt, et partum adhuc viventem ne minima labe infectum edidit, certe admirandum erat,) percipiente, nec ullo, cui ſtatim ante triduum praeterlapſum inciſio facta eſt, mortuo; quod ſi vero poſt triduum facta fuerat, non omnes evaſerunt, id quod non tam inciſioni, quam morae, et corruptae jam craſi ſanguinis adſcribendum eſſe videtur.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. Johannis Chriſtophori Sprögelii.

Entero-epiplocele per operationem chirurgicam feliciſſime, abſciſſo Epiploo, curata.

Minime obſervationis rarioris titulo dignam aeſtimaſſem obſervationem jam recenſendam de Entero-epiplocele, inteſtinis una cum omento per proceſſus peritonaei in ſcrotum usque devolutis, feliciſſime a chirurgo noſtro peritiſſimo

Egge-

Eggebeckio per operationem manuariam curata; niſi excellentiſſimus *Dn. Dr. Heiſterus in Eph. N. c. cent. V. obſerv.* 85. teſtaretur, epiplocelem quidem eſſe affectum rariſſimum, et a quibusdam in dubium vocari, entero epiplocelem vero frequentius contingere rationi magis conſentaneum judicaret, quam epiplocelem ſolam ſive ſimplicem. Licet enim hoc verum ſit, ratio tamen hujus herniae tum ſtructurae, epiploo ſuper inteſtinis libere per ſe propendente, nec ab inteſtinis licet cum ipſis protruſo, et reſtitutionem inteſtinorum omnimodo impediente; tum curae ejusdem, omenti particula abſciſſa, heroicae, illius publicationem non abs re futuram eſſe ſuadet.

Tertius jam praeteriit annus, quo laudatus Eggebeckius ad juvenem judaeum viginti octo circiter annorum vocatus, invenit miſerum hernia inteſtino-omentali, ad ſiniſtram ſcroti cavitatem, minoris infantilis capitis inſtar, extenſa, laborantem. Per plurimas dies juvenis jam erat afflictus abdominis intumeſcentia, ſaeviſſimisque doloribus colicis, cum ſingultibus, vomitibus enormibus et ſudoribus frigidis conjunctis, omnibus clyſteribus et cataplaſmatibus pro emollienda et reponenda hernia fruſtra applicatis. Conſiderando igitur ſymptomata non remiſſura eſſe, niſi inteſtina reponantur; haec vero propter intumeſcentiam et indurationem omenti minime poſſe emolliri, nedum reponi; de operatione chirurgica poſt plurimas perſuaſiones convenit aeger cum dicto Chirurgo, ſi modo ſymptomata leniri poſſent. Confeſtim idcirco hic, praeſentibus medicis aliis, rem aggreditur, ne poeniteret aegrum reſolutionis, ſectioneque a regione inguinis oblique ad ſcrotum, ſeptem latorum digitorum longitudine facta, incidit cutem et pinguedinem usque ad peritoneum; quo demum pertuſo, ſtatim ipſiſſimum omentum, extra annulum muſculorum abdominis, per quem tranſit proceſſus peritonei, in cavitate ſcroti, praegrandius tumefactum, vaſisque ſanguiferis, in quibus ſanguis ob regreſſum difficilem jam multum erat coagulatus, maxime diſtentis, et pinguedine copioſiſſime repletum, et quaſi ſcir-

ſi ſcirrhoſum apparebat, quod inferius attolli poterat, ſuperius vero annulum dictum adeo anguſtabat, ut neque omentum cum inteſtinis, neque inteſtina ſine omento ſola reponi poſſent. Quid hic conſilii, niſi amputatio omenti? Arctiſſime itaque omentum ante annulum peritiſſima ſua manu, ſine ſingulari, ob coagulationem jam contractam, ſanguinis profuſione, forfice inſtructa praeſcindebat, quo facto omentum citiſſime ſe ipſum retrahebat, et inteſtina dehinc facillime reponi poterant, nec, quod alias raro evitatur, vaſa ſpermatica cum teſticulo appendente ullam laeſionem ab hac operatione conceperunt. Repoſitis hisce, annulo pro ratione vulneris et dilatationis immittebatur turanda e linteo raſo, hinc ille ſenſim ſenſimque ſe contrahebat, et ita cicatrice obducebatur, ut poſt menſem aeger ab hernia ſua perfecte curatus evaderet, et adhucdum, abſciſſa parte iſta omenti ejus in propria pinguedine apud nos ſervata, vivat. Haec ſimul ad hanc operationem adnotare liceat, quod ſtatim, repoſitis inteſtinis, omnia remiſerint ſymptomata, eaque magna exceperit diarrhoea, qua maxima flatuum et applicatorum enematum copia, nullis ſymptomatibus febrilibus aliisve accedentibus, eliminabatur.

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. Johannis Chriſtophori Sprögelii.

De

Amauroſi, Glaucomate, et Cataracta in uno eodemque oculo diſſecto obſervata.

AD confirmandam ſimul *Dn. Dr. Heiſteri* ſententiam de cataracta, eam nimirum frequentiſſime eſſe opacitatem humoris cryſtallini, rarius membranam ante hunc concretam, haud parum conferre videtur, quod non ita pridem in cane, quem in gratiam diſcipulorum meorum chirurgorum diſſecavi, obſervandum ſe praebuit. Excellentiſſimus nominatus *Dn. Dr. Heiſter*

Heiſter jam quidem hiſtoriam cataractae lacteae in canis cujusdam oculo diſſecto recenſuit *in Ephem. N.C. Cent. IV. obſerv. 98. p. 469.* Cum vero in meo cane adhuc praeter obſcuritatem humoris cryſtallini, ſimul corruptionem humoris vitrei et aquei, cum aridura nervi optici repererim, rarior et minus reticenda mihi eadem videtur obſervatio.

Jam per duos, tresve annos canis hic coecus fuerat utrisque oculis, adeo ut viis in domo ſua aſſuefactus tantum ambularet, et ex gratia domini ipſum amantis, ipſique ſemper aliquid cibi praebentis ſatis laute viveret. Tandem chirurgi tyrones cum domino eius de ipſo conveniunt, ut anatomiae eum tradat, ſicque ad nos delatus ſtrangulatur et diſſecatur.

Cum in vivis aſpiciebam oculos ejus, albidi hi apparebant, et canis vera cataracta laborare videbatur. Curioſus igitur ego ex lite laudati Heiſteri et Vuoolhuſii factus, inquirebam in eosdem oculos, utrosque ex orbitis ſuis caute ſeparabam, et bulbos eorum ab omnibus muſculis et pinguedine liberabam. Statim ſingulare quid apparebat, cum digito leniſſime pupillam fricarem, cornea tam friabilis in utroque oculo erat et exſucca, ut ſimul cum iride defricari poſſet, usque ad coalitum corneae cum uvea, ſine ulla vel minima profuſione humoris cujusdam aquei, humore cryſtallino libero, elato, et opaco ſtatim, tantum per ciliaria filamenta connexo, nec ulla membrana, niſi propria, tecto, apparente; et jurarem, corneam non adfuiſſe, et uveam tantum cryſtallum firmaſſe, niſi filamenta quaedam albida cum iride defricata apparuiſſent. Oculum cum verterem, (uterque autem erat idem et eodem modo corruptus,) nervus opticus itidem erat exſuccus, vietus et corrugatus, vix filo mediocri ſimilis, quem cum portione tunicarum poſteriorum reſecavi. Hinc aqua effluebat nigriuſcula pauca foetida, humorque vitreus in propria membrana non aliter apparebat collapſus, corrugatus et exſiccatus, ac ceraſum calore ſiccatum vel malum vietum, antrorſum erat cum humore cryſtallino per fibras quasdam ciliares connexus, in poſteriori vero oculi parte liberior videbatur, aqua dicta

nigra circumfuſus; humore cryſtallino caeteroquin tantum in ſua membrana opaco exiſtente, nec ulla alia membrana obvelato. Facillime praeterea hic a cohaeſione cum ligamento ciliari ſeparabatur, qua ſeparatione facta nihil, niſi foramen uveae latiſſimum, iris enim, ut dixi, jam erat defricata, apparebat. Tandem quoque cum hunc humorem cryſtallinum diſſecarem, totus ille erat exſuccus, nec alio modo ſe habebat, ac cryſtallus ſanus ex oculo vitulino decocto.

Ex hac obſervatione ſatis ſuperque demonſtrare licet, dari in uno oculo interdum omnia tria haec vitia oculorum, cataractam, glaucoma et amauroſin: Cataractam, ſine membrana ſingulari in humore aqueo ante cryſtallinum concreta, humore cryſtallino ipſo obſtructo et exſiccato; glaucoma, corrupto ſimul humore vitreo; et amauroſin, exſiccato nervo optico. Vnde vero haec vitia provenerint ſimul omnia, credo, primum amauroſin ortam et influxum ſpirituum in retinam et humores proprios oculi eſſe denegatum; hinc ſubſecutum eſſe glaucoma et cataractam, ablato nimirum motu in vaſis hos humores vehentibus, unde ſtagnatio, coagulatio et exſiccatio eorundem humorum.

Quod ſi autem hoc in cane obſervatum, humanis oculis non ita accidere poſſe, in dubium quidam vocarent, iisdem idem, quod ſaepius laudatus *Heiſterus l. c*, eadem ad ipſius obſervationem proclamantibus ſatis bene reſpondet, regeſtum vellem: hanc nimirum objectionem infirmo ſtare talo, quia oculus humanus et caninus nulla in re differant, ex qua concludi recte poſſit, quod id, quod in canino oculo contingit, non etiam in oculo contingere queat humano.

(*Hamburgo Auguſtam Vind. d. 18. Sept. A. 1717. miſſae.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Mater nunquam menſtruo fluxui obnoxia.

AD foeminam tenuioris fortunae (nupſerat vero hortulano) vocabar, ut lotii ſuppreſſioni mederer, quae per ſeptem jam dies continuaverat. Hanc intellexeram nunquam ſolviſſe tributum lunare, quamvis Lucina propitia ſeptem liberos excluſerit. Ipſam adiens, ex ore ipſius comperi, ſe quinquageſimum jam annum ſuperaſſe, aſt, nec virginem nec conjugem fluxu menſium fuiſſe inquinatam, ne quidem ab illo unquam tentatam; athleticam ſe vixiſſe et laboribus domeſticis ſat arduis, commode vacare potuiſſe; a partu manaſſe quidem lochia, aſt longe minori flumine, quam in aliis foeminis obſervaſſet, nec inde quicquam damni in ſe redundaſſe; Matrem pariter vixiſſe menſibus immunem, et attigiſſe aetatis annum centeſimum; aeque filiam, quam unicam peperit, (reliquis liberis ad ſexum digniorem ſpectantibus) jam tranſiiſſe annum decimum octavum citra veſtigium evacuationis talis uteri, vel quod inde male habuiſſet; ſe hinc metuiſſe, quin et haec menſibus ſit tributum negatura; aſt, quod maluerit ut eadem ſe ad morem aliarum foeminarum componat, ſe huic ex conſilio medicaſtri cujusdam propinaſſe pharmacum, a quo inter luctas vitae cum morte proruptio menſium fuerit inſecuta, ut jam menſtruatim uterus ſanguinem pendat. Ante ſesquiannum vero ipſi moerore ex obitu filii correptae, uterum ſanguinem ſtillaſſe, et abhinc valetudini multum deceſſiſſe, addebat, ut ex mutatione adeo inſolita ipſa credat diem emortualem fore proximum. Praeſagium hoc eventus non vanum fuiſſe docuit, quando die nono ſuppreſſionis memoratae obiit.

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Haemorrhagiae faucibus.

OBſervare hanc licuit Parenti meo b. m. in mercatore juvene, cui olim quidem familiare ſatis fuit ſputum ſanguine commixtum, ut ex conſvetudine ne quidem ad illud attenderit; aſt dum aliquando, Sirio urente, ſub dio longius obambulavit, obſervat domum redux, antiquo more ſputum ſanguine tinctum, aſt tanto jam flumine ex ore manans, ut animam reddere videretur. Advolans parens et medicamentis contra haemoptyſin fruſtra hactenus pugnatum eſſe comperiens (nec vero indicia ſolennis e pectore haemoptyſeos adfuerant) depreſſa ſpecillo lingua, videt ſanguinis hujus ſcaturiginem ex faucibus pone uvulam rivuli in morem prodeuntem. Siphone ergo ita accommodato, ut appellere potuerit, injecta aqua alumine gravida, hic inſolitus fluxus cito et tuto fuit ſedatus, et quem fauces orco volebant tradere, ex hujus faucibus ſtrenue ereptus.

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Haemorrhagia ex ano.

QUam familiares ſint ſanguinis excretiones ex tubo inteſtinali ſub dyſenteria, haemorrhoidum fluxu etc. tam inconſvetam et raram ego quidem judico ſequentem ſanguinis per anum effuſionem. Foemina viginti quatuor annorum ablactaverat infantem, quem per biennium mammis admoverat. AEgre vero ſe habuit ab iſto tempore, ut tandem laſſitudini cedens lectum peteret. Vocatus pulſum offendo aequalem, nec celerem, lotium pallidum cum multo ſedimento, calor paulo

erat

erat intenſior, ſitis nulla, lingua humido rore madida. De quibus conquerebatur, erant vigiliae; faucium ſtrictura, ructuum aegre ſurgentium moleſtia, quos, ut ſolent mulierculae, utero tribuebat, et artuum laſſitudo doloroſa, ut hinc inde in membrorum vario ſitu levamen quaereret, alvus obſtipata. Hanc juſculo prunorum ſolvere ſvaſeram, illis lenioribus diaphoreticis obviam eundo, hoc obtinueram, ut ſomno ſuccedente placido, omnia compoſita eſſe viderentur, corpore leni ſudore madido. Aſt tertio die, quo alvus mane ſponte ſolvebatur, excrementis obſervaverant adſtantes tantillum ſanguinolenti fuiſſe commixtum, ac fieri ſolet, ſi quando durior et conſtipata alvus niſu duriori inſequitur; ſed a meridie praevia iterum doloroſa artuum laſſitudine et faucium ſtrictura, quando pedere ipſa ſibi viſa eſt, nullis praeviis torminibus, maximo flumine ſanguis per anum ruit; citra quod tantillum ſcybalorum fuiſſet commixtum, et hic fluxus per vices tanta ferocia continuavit, ut febri lipyria accedente intra 24. horas animam efflaverit. Sanguis ſimilis huic erat, quem lochia ſolent referre, omni grumoſitate, omni odore deſtitutus. An menſes, quos tempore lactationis ſtato tempore viderat, ſed qui ab ablactione nondum iterum fluxerant, huic haemorrhagiae enormi anſam dederint? penes alios ſit judicium: meae conjecturae eo tendunt.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Facilitas deceptionis in inſpectione Cadaverum.

DEceptionem opticam incuſare ſolent Matheſeos ſtudio dediti; aſt deceptionem in ſtudio Medico aeque familiarem eſſe, magis adhuc in judicio de vulnerum ratione, antequam inſpectio ocularis acceſſerit, negari non poterit. Vocatus, chirurgo ſocio, ad inſpectionem cadaveris militis, praecedenti die gladio occiſi, ex vulnere non multum ſanguinis manaſſe, et

praeſentes referebant, et linteamina monſtrabant; ſubito tamen inde occubuerat. Vulnus quia inflictum erat, ſub clavicula dextra, medio circiter loco, humerum inter et ſternum, ac ſurſum tendebat, nec aliud quoddam laeſionis veſtigium; (equidem pectus ſiniſtrum livido colore cutem tenus videbatur tinctum, ſed quod ſitui tribui poterat, vel pugnis ſub conflictu acceptis) merito hinc ſuſpicio erat, gladium perforaſſe quandam ſubclaviarum. Juſſi hinc, integumentis remotis, ſterno deorſum declinato claviculam provide tolli, et ipſemet in vaſculörum memoratorum laeſionem ſollicite inquiſivi: aſt, omnia hic ſalva eſſe, comperi. Quod vero hoc vulnus fuerat mortiferum, et ſanguinis fluxus vaſis laeſi indicium, non minus regio clavicula ſuperior, tam dextra, quam quae ad ſiniſtrum collum ſpectabat, ſuffuſo ſanguine obfuſcata, ſuſpenſa porro manu in venam jugularem externam inquiro et offendo, hanc transverſim, leviter tamen, ſauciatam; ſed dum ſcrutando pergo, en! non modo jugularis interna ultra medietatem diſciſſa, ſed ictus quoque transverſim penetraverat aſperam arteriam paulo ſub cartilagine annulari (ita ut ſubtus et deſuper adhuc cohaereret) ac cuſpis gladii in muſculis colli ſiniſtri lateris demum finem invenerat. Penetraverat ergo gladius inter coſtarum primam et claviculam dextram, ſaluis ſubclaviis, jugulumque petendo ſiniſtrorſum deflexerat, cujus deviationis extus ne minimum veſtigium.

(*Roſtochio Auguſtam Vind. d. 22. Sept. A. 1717. miſſae.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Citationis in vallem Joſaphat eventu lethali, a cauſis phyſicis derivato.

PLuribus horrendis obſervationibus, quae de citatione in vallem Joſaphat hinc inde referuntur, binas, quas haud ita pridem notavi, ſuperaddo. Lethales autem eventus et fata ſubſecuta a cauſa naturali derivari poſſe, hic et nunc evinco. Foemina quaedam vidua et paupercula 40. annos nata, cum alia foemina quinquagenaria, cauſam coram ſummo, quod Wetzlariae floret, judicio agens, adverſa valetudine afflicta, ſuam adverſariam, ſiquidem lite pendente nec ex voto finita, in rerum egeſtate pereundum ſit, coram divinum tribunal, vernaculo idiomate vor Gottes Gerichte / citaturam, minis haud obſcuris aſſerit. Illa vero inopinata morte, poſt datum a pharmacopaeo purgans, quod lethales ſine ſede anxietates afferebat, defuncta, haec triumphos cum convocatis ſororibus poculo hilaritatis agens ante victoriam, bonis litigioſis pacate quaſi fruitura. Brevi poſt certior facta, quod ab adverſaria defuncta in vallem Joſaphat citata, animi quodam moerore, mentis perturbatione et ſolicitudine diſcruciabatur, moeſtamque vitam ad ſextam usque ſeptimanam protrahebat, tandemque poſtquam vix per triduum lecto affixa, celerius opinione vivere deſinebat.

Pari ferme modo vir primarius cum famoſo quodam Advocato cauſam coram ſummo Imperiali judicio per 20. annorum ſpacium agens, ab antagoniſta coram tribunal divinum citatus, ficulneas minas flocci pendere quidem videbatur, et cum ipſemet etiam ab adverſa valetudine affligeretur, multivariis ambulacris tempus conſumere curasque fallere quaſi moliebatur. Ex conſiliis celebriorum Medicorum vivens exactam ſervabat diaetam, ut nemo de longiori vita dubitaret.

At enim vero poſt trium hebdomadum decurſum appetitu ſenſim abolito, ſenex ſuaſore et impulſore credulo parocho, Medicis rationalibus neglectis, empiricam periclitationem eligebat, qua auri Tinctura, ſale Anglicano, pilulis polychreſtis, pluribusve neſcio quibus arcanis, quae verbis ſesquipedalibus ad coelum usque laudibus efferre ſciebat medicaſter, certiſſimam ſalutem ſibi ſpondebat. Inde vero et praeprimis a pilulis polychreſtis continuo alvi fluxu ſuſcitato, vires mirum in modum depauperabantur, adeo, ut ſub finem ſextae poſt mortem adverſarii ſeptimanae, mente quidem optime conſtante, inter pias preces praeter ſpem et opinionem animam Creatori ſuo redderet. Non rimabor impraeſentiarum, an citationes ejusmodi homini Chriſtiano licitae? Quin potius Theoſophis hanc litem decidendam relinquo. Id ſaltem probaturus, lethalia citatorum fata a cauſis naturalibus arceſſi et conſilio rationalis Medici declinari poſſe. Hinc ſuppono (I.) Citationem in vallem Joſaphat, niſi citatus de eadem certior factus, fruſtraneam eſſe. Neque enim unquam vel legiſſe vel audiviſſe memini, dictam citationem ulli fuiſſe exitioſam, niſi illi, qui de eadem certior factus.

(II.) Citatum terrore, maerore, curis, vigiliis et triſtitia affici.

(III.) Ab aſſiduo moerore, terrore et curis, τίκτουσι γάρ τοι τε νόσους δυσμίαι, morbos, id quod in febribus malignis et imprimis in peſte toto die notamus, et mortem ipſam plures ſibi accelerare. Exinde vero colligere licet, ab adverſariis citatos coram tribunal divinum, praeſertim ſi mali cujusdam vel injuriae ſint conſcii, quamprimum citationem comperti ſunt, magna quadam animi alteratione corripi, praeſertim cum per tot triſtiſſimos lethales eventus hactenus fuerit comprobatum, citationes tales non fuiſſe fruſtraneas. Quemadmodum enim in judicium vel forum citatos et delicti vel injuriae cujusdam reos magna ſaepius animi ſubit alteratio: ita longe major alteratio contingere poteſt iis, qui coram tribunali divino rationem red-

reddere citantur. Hinc tales non ſolum terrore afficiuntur, ſed moerore et mortis metu. Mox ſubſequuntur curae, producuntur vigiliae et anxietates. Qualia quidem phaenomena proſtratus appetitus non poteſt non ſubſequi, vires depauperari et conſequenter univerſa oeconomia animalis mirum in modum turbari. Usque dum circa citationis terminum ac fere momentum, quod animo ſuſpenſo et ancipiti quaſi citatus expectat, elater vitalis deſperatione prorſus compreſſus, totalem ſanguinis coagulationem cauſetur et ſic ſubitanea morte extinguatur. Non aliter ſane ac illi, qui moribundis aſſiſtentes, ſi forte moriens iisdem dixerit: Tu me propediem ſequeris: ſeu ego brevi te traham poſt me, du wirſt mir bald nachfolgen/ oder ich will dich bald nachhohlen; ſiquidem terrore corripiantur et inde moerore afficiantur, plerumque brevi vel aliquandiu poſt moriuntur. Id quod haud ita pridem paſtori cuidam pagano, quem moriens conjux eodem modo fuerat allocuta, contigiſſe memini et pluribus aliis. Cum itaque ex hypotheſi dicta morbis animi et ſpirituum accenſenda quaſi ſit citatio in vallem Joſaphat, quaeſtio jam ventilanda, an Medicus rationalis ſua medendi methodo proficere quicquam queat et his caſibus? De quo cum dubitandum non ſit, paucis videbimus, quid agendum? Medicus itaque omnes nervos in id intendat, ut citato, praeprimis ſi mali conſcius haud ſit, ficulneas minas, panicum terrorem, ventorum ſtrepitus, aſinorum crepitus negligere et flocci pendere blandis verbis perſuadeat, tritumque quaſi inculcet:

Hic murus aheneus eſto,
nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Sin vero citatus conſcientia minus recta forſan affligatur, Medicus omni modo ſtudeat excitare et eum a terrore et metu liberare, facta conſolatione, fiducia et ſpe, promiſſaque ſecuritate. Impendat et operam, ut curarum pondus leniat ambulacris, converſationibus, colloquiis, jocis, (ſicut enim vix praeſentius irae remedium, quam jocus, ita et curarum eſt, ut experientia didici) ut hilaritatis pocula procuret, ut vigilias et an-

xieta-

xietates, ſi quae adſunt, anodyno blandoque ſomno tollat. Porro ad medicamenta confugiat balſamica, ambrata, aromatica, qualia eſſe poſſunt, Tinctura vitae, auri, coralliorum, eſſentia ambrae, ſpiritus et ſalia volatilia praeſertim aromatica, ſpecies diambrae, diamoſchu dulces, laetificantes Rhaſ. Galen. cum infuſo Thee aqua cinamom. Reginae Hungariae &c. Vitatis apprime evacuantibus, purgantibus, vires atterentibus. Nam et vir citatus niſi a circumforaneo purgatione fuiſſet labefactatus, diutius ſuperſtes eſſe potuiſſet. Diaeta lautiori ſimul ſervanda.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Cochleis ſeu domiportis vivis per alvum ejectis.

PUer tres annos natus, coloris faciei pallidioris, torminibus alvi ſubinde vexatus, aliquando praeviis doloribus atrocioribus cochleam vivam ſeu domiportam, non ſine exquiſitiſſima doloris ſenſatione, cum excrementis pituitoſis, inſtar ſpermatis ranarum conſpicuis per alvum excernit. Torminibus autem parum vel nihil remittentibus et hinc parentibus conſilium implorantibus, puero datur ſyrupus laxativus, poſt cujus uſum mox tres aliae domiportae vivaces ſatis et hinc inde ſerpentes, cum torminibus et excrementis pituitoſis denuo per alvum ejectae. Puero ſequenti tempore, colore vivaciori praedito, et adhuc vivente et ex voto valente.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. Johannis Georgii Hoyeri.

De Melancholica veneficam ſe ſimulante.

STupenda ſunt phaenomena, quae Melancholicis ſaepius obvenire poſſunt. Sic perſona ſexus ſequioris viginti et quod excur-

excurrit annos nata phlegmatico-Melancholica, veneficam ſe ſimulans, ultro ſeſe offerebat incarcerandam et extremo ſupplicio afficiendam, ex cauſis: Quoniam non ſolum paucis abhinc annis binos pueros, germanos fratres ſuos interfeciſſet, verum etiam cum cacodaemone ſub forma canis venatici rem habuiſſet et dracones peperiſſet &c. Miſerrima haec, poſtquam aliquandiu fuerat incarcerata et diverſis vicibus examinata, tandem ſententiam impetrabat; Ut Medici rationales eam viſitarent, et in circumſtantias rerum prius inquirerent, quam tormentis carnificis exponeretur. A Cenſoribus itaque hujus urbis ex ordine Medicorum Dn. Juſto Andr. Schmidio Med. Doctori et Phyſico Ordinario anteceſſori meo p. m. Dn. Chriſtophoro Hagendornio Med. D. p. t. Practico Megapolitano celeberrimo et mihi, latae ſententiae exequendae ſparta demandabatur. Conſtitutio Melancholica primo ſtatim intuitu dijudicabatur. Erat praeterea corpus cacochymicum ſqualore et foetore (hircum quippe olebat) moleſtum. Omnia confirmabant geſtus et ſermo, utpote quae nihil magis in votis habebat, quam ut gratioſo gladii ſupplicio (a rogo abhorrens) interficeretur. In caedem germanorum fratrum ejus inquirentes, ipſos contagioſo quodam morbo, tunc temporis graſſante et plures interimente, non violenta morte periiſſe deprehendebamus. In concubitum cum cacodaemone inveſtigantibus patefiebat, inſomniis deceptam fuiſſe. Scilicet cum interdiu canem venaticum oenopolae in vicinia degentis ex feneſtra carceris ſaepius conſpexiſſet, noctu, tempore ſomni in inſomniis quaſi polluta vel incubo vexata, ſe cum cacodaemone ſub forma dicti canis concubuiſſe firmiſſime credebat. Denique cum aliquandiu menſium obſtructione laboraſſet, menſtrua denuo experta, ſub forma cruoris ex utero excreti, ſe dracones peperiſſe autumabat. Veratro autem, a ſaburra vitioſorum humorum, corpore et capite repurgato, mentem ſenſim ſenſimque mutabat, priſtinae libertati poſtmodum reſtituta.

(*Molhuſa Auguſtae Vind. d. 27. Sept. An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. Adami Friderici Pezoldti.

De vera atque genuina ſpiritus vitrioli ant-epileptici Theophr. Paracelſi, atque exinde Mixturae ſimplicis, ut et peculiaris ſulphuris Vitrioli anodyni praeparatione, eorumque viribus medicis.

INter ea medicamenta chymica, quae Theophr. Paracelſus in ſuis ſcriptis poſteritati ſerio commendavit, atque paulo apertius communicavit, laudem ſuam tuetur ſpiritus Vitrioli antepilepticus et inde parata Mixtura ſimplex. Neſcio autem, quo fato accidit, ut ſpiritus hujus ant-epileptici genuina praeparatio ſecundum mentem Paracelſi non retenta, ſed loco ejus, communis ſpiritus Vitrioli acidus in Mixtura ſimplici ſubſtitutus fuerit, cum tamen elaboratio memorati ſpiritus Vitrioli ant-epileptici ſecundum praeſcriptum Paracelſi, non ſolum minores deſtillandi labores atque impenſas requirat, verum etiam quoad ſaporem, odorem, & vires medicas, longe diſtet a communi ſpiritu Vitrioli acido; ſiquidem tantae virtutes ant-epilepticae, quas Paracelſus ſpiritui Vitrioli ex ſua praeſcriptione parato adſcribit, in vulgari illo acido, et inde parata Mixtura ſimplici, minime inveniuntur, quamvis huic nunc receptae, cum vulgari nempe ſpiritu Vitrioli acido paratae Mixturae ſimplici, ſua laus, in diverſis aliis morbis, defraudanda non ſit. Auguror vero hoc exinde contigiſſe, quod nimirum Paracelſus ſpiritus hujus elaborationem quidem indicaverit, enchireſes autem quasdam pro more ſuo reticuerit; unde, cum hujus elaboratio ſecundum praeſcriptum Paracelſi tentantibus non ſuccederet, pro falſa, fruſtranea ac impoſſibili habita, et ejus loco ſpiritus Vitrioli communis ſubſtitutus eſt. Et profecto me hoc non fruſtra auguratum eſſe, exinde colligo, quoniam aliis et mihi ipſi, hujus elaborationem plenariam, imprimis autem rectificationem ſeu

coho-

cohobationem repetitam non ſtatim ſucceſſiſſe, bene memini: et Paracelſus Oper. Tom. I. libr. de rebus natural. cap. VIII. p. 1053. ubi ſpiritus hujus Vitrioli ant-epileptici praeparationem docet, non obſcure hoc ſequentibus verbis ipſe innuit, ſcribens: Nun ſollet ihr auch wiſſen/ daß die Recepten/ von den ich gemeldet habe/ zum erſten zu machen den ſpiritum humidum Vitrioli, nicht mag klärlicher geſchrieben werden/ denn es muß nur ein Artiſt verſtehen/ die Sudler Apothecker/ mögens nicht wiſſen/ denn ſie habens nicht gelernet. Darum bey den Artiſten/ Alchymiſten/ bey den Laboranten/ werdet ihr allen Verſtand finden/ was die Nothdurfft da erfordert. Proponit autem ibi Paracelſus praeparationem ſuam his verbis: Daß ich euch aber unterricht meinen Proceſs, den ich damit geführet hab/ und einem jeglichen Artzt denſelbigen rath alſo fürzunehmen/ ſonderlich der fallenden Sucht halben/ die ihre Cur in dem Vitriol hat/ darum auch wir deſto beſſern und höhern Fleiß der Kranckheit halben/ die dem Artzt befohlen ſeyn/ zu haben/ die Liebe gegen dem Nechſten erfordert. So iſt das mein Proceſs, daß der ſpiritus Vini werde in den Vitriol imbibiret/ nachfolgend deſtillirt/ wie ich angezeigt hab/ von den feuchten und trocknen ſpiritibus, wie obſteht/ (paulo ante autem docuit, daß ſie den ſpiritum Vitrioli correctum von Colcothar diſtillirt 8. oder 10. mahl.) Demnach ſo das gemacht iſt/ ſo befind ich/ daß dieſe addition groſſe Ding thut/ ſo ſpiritus Tartari correcti hinzu gemiſchet wird auf den dritten Theil gegen dem Vitriol: Dazu auch der ſpiritus aquae theriacalis camphoratae uf den fünfften Theil gegen den Vitrioliſchen ſpiritus, alsdenn den krancken adminiſtriret vor dem und der Paroxysmus kömmt/ oder im Tag ohngefehr etliche mahl: So ſollet ihr wiſſen/ daß groſſe Krafft in dieſer Kranckheit/ in ſolcher Artzney iſt/ und dermaſen ſo groß/ daß ich nicht achten möchte/ ſo es wünſchen gilt/ ein beſſers zuerdencken/ dann die Natur daſelbſt in ihr hat ꝛc. Paulo poſt ſcribit: Darum ſo verſtanden auch in dieſem Capitel/ daß alle

Künſte und Kräffte des Vitriols allein an dem liegt/ daß der ſpiritus Vitrioli wohl heraus gezogen werd/ und zum höchſten graduirt: darzu auch mit der addition allein in das penetriren gebracht werde/ damit das Centrum, Radix und Semen der Kranckheit gefunden werde.

Totum itaque proceſſum paucis his verbis complectitur, ut nimirum Vitriolum imbibatur ſpiritu Vini, poſtea deſtilletur, graduetur, ſeu actus imbibitionis et deſtillationis ſaepius repetatur.

Primus labor imbibitionis et deſtillationis prompte ſuccedit, aſt repetitio hujus actus, ſi nimirum ſpiritus prima vice deſtillatus et toti relicto Colcothari iterum affuſus, denuo propelli et deſtillari debeat, haud amplius ſuccedit, etiamſi ſummum ignis adhibeas gradum. Ut autem ſpiritus hic deſideratus impetretur, atque cuncta rite ac expedite ſuccedant, ſequentes obſervandae ſunt enchireſes:

(1) Vitriolum depuratum et ad albedinem vel flavedinem in radiis ſolaribus ſeu ad ignem in vaſe aperto, more ſolito calcinatum, irroretur ſpiritu Vini ad pultiformem conſiſtentiam, et ex Retorta terrea deſtilletur, appoſito capaci vaſe vitreo ſeu Recipiente; ita leni ignis gradu prodit ſpiritus Vini odore vinoſo ſeſe commendans: quem, adhibito majori paulatim ignis gradu, inſequitur ſpiritus Vitrioli blande acidus, qui utrique conjuncti valde volatilem et odore ſulphureo nares adeo ferientem ſpiritum conſtituunt, ut ſub remotione Vaſis Recipientis vix tolerari queat; abſolvitur autem commode plenaria haec deſtillatio intra νυχθήμερον. Id quod poſt peractam deſtillationem in Retorta remanet, Colcothar ſive Caput mortuum dictum, maſſa rubra, admodum poroſa ac tumefacta exiſtit, ſecus ac poſt vulgarem ſpiritus Vitrioli acidi deſtillationem fit, ubi corpus pariter rubrum, ſed valde compactum reperitur.

(2) Peracta hac deſtillatione, relictum Colcothar poroſum dividatur, et tantummodo tertia pars de eo recipiatur, ac tota memorati ſpiritus volatilis ſulphurei quantitas affundatur,

atque

atque ex Retorta terrea vel vitrea luto obducta in arena ſucceſſive iterum ſpiritus propellatur vel deſtilletur. Hac enchireſi impetratur prompte ſpiritus volatilis penetrans, odore grato vinum malvaticum vel hiſpanicum aemulans; ſpiritus autem Vitrioli acidus remanet in Colcothare, neque ulla ignis tortura e retorta expelli poteſt. Idem hoc contingit quoque cum ſpiritu volatili vinoſo, ſi toti atque integrae prima vice relictae maſſae ſeu capiti mortuo affuſus fuerit, ubi omni adhibita ignis tortura et artificio, nihil niſi forte pauca quantitas phlegmatis, deſtillando extorqueri poteſt. Atque haec eſt cauſa, quod multi proceſſum hunc, ignorata hac memorata enchireſi, fruſtra tentaverint, et poſtmodum rectificationem pro irrito atque falſo habuerint.

3.) Quod ſi ſpiritum hunc volatilem altera vice e colcothare deſtillatum, ulterius cum Colcothare imbibendo unire et inde cohobare placeret ſecundum Paracelſi praeſcriptum, id ſemper cum diviſione ſeu adhuc minore quantitate Colcotharis fieri debet.

His itaque enchiriſibus rite atque expedite impetrari poteſt genuinus a Paracelſo Medicis tantopere cnmmendatus ſpiritus vitrioli ant-epilepticus, de quo teſtari poſſum, quod tam ſolitarie quam ſub mixtura ſimplici adhibitus, in multis epilepticis praeſentanee ſedaverit paroxyſmos, imprimis autem convulſivos illos ſymptomaticos ex paſſione hyſterica, variolis, morbillis, aliisque impuritatibus ſanguinis v. g. ex retroceſſione ſcabiei etc. contingentes, ex voto curaverit, cujus efficaciam Paracelſus in ſimilibus affectibus quoque commendat loco ſupra citato ſequentibus verbis: Nicht allein wie ich gemeldet hab / daß ſolche Vitrioliſche extraction und Arcanum in der fallenden Sucht gut ſey / ſondern auch in denen Speciebus derſelben gleichen: als nemlich in Syncope, in Ecſtaſi, und dergleichen: dar zu auch in allen Oppilationibus und inwendigen Apoſtematibus, und was dergleichen mehr Kranckheiten ſeynd: auch in ſuffocatione matricis und praecipitatione matricis. Und noch vielmehr würde man Tugenden finden in

dieſem Vitriol, als allein die ich melde/ ſo anders in den Aertz-ten ein getreuer Fleiß wäre 2c. Aliis in locis Paracelſus hujus medicamenti mentionem facit ſub Spiritus Vitrioli diaphoretici nomine in peracutis, et commendat ad interna apoſtemata pulmonis, jecoris, lienis et peſtem: praecipue vero in peſtis ſuſpicione jubet cochlear iſto liquore plenum ebibere et ſudare cum bonae diaetae regimine. Quemadmodum vero Paracelſus has virtutes de mixtura ſua ſimplici, cujus potiſſimum ingrediens eſt, ſaepe memoratus Spiritus Vitrioli ant-epilepticus, praeprimis depraedicat, ita cuilibet patet, quod, ſi quis has depraedicatas vires experiri geſtiat, neceſſario etiam hujus genuini Spiritus Vitrioli ant-epileptici copia inſtructus eſſe debeat. Sufficiant haec de vera atque genuina Spiritus Vitrioli ant-epileptici Paracelſi, et ejusdem Miſturae ſimplicis praeparatione ac virtutibus medicis. Pergo ad alterius medicamenti ex hoc labore proficiſcentis, nempe peculiaris Sulphuris Vitrioli anodyni fixi deſcriptionem, cujus Paracelſus in ſuis ſcriptis, quantum quidem ſcio, non meminit, licet alias in commendando Sulphure fixo Vitrioli anodyno, admodum ſolers imo ad hyperbolen usque facundus inveniatur. Conſiſtit autem hujus praeparatio in ſequentibus manipulationibus.

1.) Supra memorato, poſt cohobationes Spiritus Vitrioli ant-epileptici, relicto colcothari affundenda eſt aqua frigida deſtillata pluvialis, quae illud quoad maximam partem ſolvet, ac inde colorem rubicundum, inſtar Tincturae Tartari ſaturatae induet; quo facto filtretur, et chartam bibulam tranſibit admodum colorata.

2.) Filtratus hujusmodi liquor in cucurbita vitrea igni admoveatur, usque ebulliat; vix autem aliquoties ebulliet, quin ſtatim ſe turbabit, ac exinde copioſe pulvis ſubtiliſſimus inſtar Magiſterii ſe praecipitabit, fundumque petet: de quo clarificata aqua pluvialis caute defundenda, ac pulvis remanens aqua dulci ſaepius edulcoratus, leni calore ſiccandus et poſtmodum aſſervandus eſt ſub titulo Sulphuris fixi Vitrioli anodyni.

Sapor

Sapor eſt fere inſipidus ad mineralem ſeu leniſſime adſtringentem inclinans. Color eſt luteus inſtar ſulphuris communis. Virtutes ejus ſunt anodynae ſeu ſedativae ſub doſi gr. ij. iij. v. in podagra, aliisque dolorificis affectibus praeſente atonia partium. Si ſulphur hoc forti igne calcinetur, eum quidem conſtanter tolerat, ſed induit colorem obſcure rubicundum inſtar croci Martis, imprimis ſi Vitriolum aſſumtum fuerit martiale; ſapor autem calcinatione inſigniter alteratur, nimirum in ſenſibiliter adſtringentem vitriolicum mutatur.

SCHOLION.

CUm Paracelſus aliique plures ex poſteriori et recentiori aevo Chymiatrorum et Medicorum unanimi fere conſenſu, Sulphur Vitrioli fixum, ceu excellens ac ſecuriſſimum anodynum et ſedativum medicamentum depraedicarint, atque mihi ſub examine colcotharis, a deſtillatione Spiritus Vitrioli ant-epileptici Paracelſici reſidui, ex improviſo eveniret, ut poſt ejus ſolutionem et filtrationem levemque ebullitionem, pulvis ſubtiliſſimus flavus magna in quantitate, et quidem absque ullo alterius rei acceſſu, ſe praecipitaret, non immerito ſuſpicatus ſum, pulverem hunc fortaſſis ejusmodi ſupra memoratae ſulphureae naturae atque efficaciae eſſe; hinc pro plane inutili negligere atque habere nolui, ſed poſt debitam edulcorationem, aegris caute propinare ſuſcepi magna cum euphoria: et quoniam probe ſcirem, praecipitatum hunc pulverem ejusdem proſapiae ſubtilitatis et energiae eſſe, ac ſulphura ſic dicta fixa vitrioli anodyna a Chymicis vario modo paſſim deſcripta atque commendata (utpote quorum praeparationes antea varie tentaveram per praecipitationem, ſublimationem, deſtillationem et extractionem, cuncta vero non alius quam terreae mineralis indolis tenerae, vel nondum naturam metallicam adeptae, vel ad minimum a particulis metallicis craſſioribus ſeparatae, reperi) ideo et hunc ſponte praecipitatum pulverem eodem jure Sulphuris Vitrioli fixi nomine ſalutari poſſe exiſtimavi, ac

veteres et recentiores Chymici metallorum vel mineralium particulas ſubtiliores et coloratiores, utut minime inflammabiles vel ſpiritu acido ſulphureo praegnantes, ſulphura appellarunt, praeſertim cum quoad effectum medicum, et alias proprietates et qualitates Sulphuri Vitrioli anodyno attributas optime conveniat: nam non ſolum fixum in igne retinet naturam, verum etiam eandem virtutem anodynam poſſidet, ac aliis, quacunque ratione paratis Sulphuribus Vitrioli anodynis ineſt. Accedit hoc, quod itidem, ceu verum ſulphur commune, ſpiritu acido intime mixto et unito adhuc gaudeat, qui ſub calcinatione naribus, et poſt eam ſapore vitriolico ſat luculenter percipitur et manifeſtatur, atque hinc aliis praeparationibus, quae his qualitatibus ſulphureis carent, praeferri mereatur. Praeterea hujus mentionem etiam ideo praeterire nolui, quoniam ſine peregrino additamento, nullisque novis impenſis, ſed ex praeparatione Spiritus Vitrioli antepileptici Paracelſi, quaſi gratis una impetratur. Ingenue autem fateor, me tam praeſentaneos et univerſales effectus anodynos et ſoporiferos neque in hoc memorato, neque in alio quocunque modo praeparato ſulphure vitrioli nondum inveniſſe, quales alii, imprimis autem Paracelſus Oper. Tom. 1. de rebus natural. L. I. c. 7. p. 1045. de eo celebrant: Nun wiſſet / inquit, von dem embryonato ſulphure im Vitriol und ſeines gleichen / was ſpecies vitrioli ſeyn / als die Salia, daß ſie gar wunderbarlichen Sulphur geben / indem ſo die corpora animantata geſchieden werden von denen corporibus embryonatis, als von Saltz / von Salgemmen / von den ſpeciebus Aluminis, von den Vitriolis etc. Nun aber eine kurtze Regel will ich euch ingemeine geben / daß alle ſulphura von den Vitriolatis Salibus ſtupefactiva ſeyen, narcotica, anodyna, ſomnifera: Und aber mit einer ſolchen Proprietät / daß an dem Ort die Somniferiſche Art ſo ruhig und ſo mild hingehet / daß ohn allen Schaden ſich abzeucht / nichts auf Opiatiſche Würckung / als in Juſquiamo, Papavere, Mandragora etc. ſondern gar mild / tugendlich ohne all Infectiv; darum

ich

ich das zum höchſten lob / daß ein ſolch Somniferum, ſtupefactivum ſoll von der Natur ſelbſt decoquiret ſeyn/ praepariret und corrigiret. Und dieweil wir Aertzt alle ſehend/ daß die Somnifera viel thun / und groſſe Dinge thun / und daß aber in den Opiaten ein ſolch Gifft iſt / daß ſie nicht zugebrauchen ſeyn ohne die Geſtalt Quintae Eſſentiae: So ſollen wir unſere Zuflucht und Verſtand deſto mehr ſetzen hin an das Ort/ dieweil wir wiſſen / daß viel Kranckheiten ſeynd / die ohn anodyna nicht mögen geheilet werden / und alle ihr Cur in die anodynen geſetzt ſeyn von GOtt durch die Natur. Darum bewegt mich daſſelbige dieſen Sulphur deſto baß zubeſchreiben: wie er gefunden wird / und wie man ihn zuwege bringt/ werdet ihr finden in den Alchymiſtiſchen Proceſſen. Hie ſollet ihr aber wiſſen von dieſem Sulphur / daß unter allen der vom Vitriol am bekänntlichſten iſt / daß er an ihm ſelbſt fix iſt: Zum andern hat er eine Süſſe / daß ihn die Hüner alle eſſen / und aber entſchlaffen auf eine Zeit / ohne Schaden wieder aufſtehend. Dieſen Sulphur ſollet ihr nicht anders erkennen / denn wo es iſt/ daß eine Kranckheit durch anodyna ſoll curiret werden / daß dieſer Sulphur thun mag ohn allen Schaden/ alle paſſiones leget er/ ſedirt ohn Schaden alle dolores, extinguirt alle calores, mitigirt alle grimmige Fürnehmen oder Kranckheiten: Und iſt eine Artzney/ die in allen Dingen ſoll vorgehn und die Cur/ das iſt das Confortativ Quintae Eſſentiae hernach. Was wolte einen gröſſern Artzt machen als die 2. Stücke allein über alle Apollines, Machaones, Hippocrates und Podalirios? Und merckent eben ihr Artzt/ daß der Sulphur heiſt Sulphur Philoſophorum, darum daß alle Philoſophi dem langen Leben ſeynd nachgegangen / der Geſundheit und zuwiderſtehen der Kranckheit/ das haben ſie in dieſem Sulphur gefunden am treffflichſten: darum haben ſie ihrem Begehren nach geheiſſen Sulphur Philoſophorum und ſeynd eingedenck auch daß ihr ihn wiſſend zu gradiren / ſepariren und putrificiren. Hucusque Paracelſus.

Quamvis vero hujusmodi a Paracelſo decantatae laudes et vires Sulphuris Vitrioli anodyni, nec ubique, nec in tam excellenti gradu ſeſe exſerant, (id quod genio Paracelſi atque priſcorum Alchymiſtarum condonandum eſt, utpote, qui ſua ad coelum usque fauſtuoſe efferre, omni modo tunc temporis ſtudebant) ſufficit interim, e Vitriolo aliquid produci poſſe, quod aliquos effectus laudabiles perpetrare, ſcilicet blanda vi motum nervorum praeternaturalem ſedandi polleat, et quidem diverſa ab opiatis ratione: nimirum id quod opiata nervos fibrasque laxando agunt, iſtud contra hujusmodi ſulphura mineralia praeſtant adſtringendo, atque ſic pro morbi exigentia illud, quod huic vel illi affectui quadrat, eligi et applicari poteſt; dantur enim caſus, ubi opiata ob vim nervos relaxandi et quodammodo debilitandi haud quadrant, vel ob effectum cito tranſeuntem non ſufficiunt, v.g. in variis morbis habitualibus chronicis, ubi ab Epilepſia, vertigine, Apoplexia, Paralyſi, Podagra etc. partes debilitatae ſunt, ibi minerale et vitriolicum hujusmodi medicamentum ſedativum et anodynum, juſtum invenit locum, quoniam non modo nervos laxatos roborat, ſeu leniter conſtringit, ſed etiam ob fixiores ſuas particulas, e quibus conſtat, non tam cito ſubigitur, invertitur, et difflatur, hincque opiatis certis in caſibus praeferri meretur. Hunc diverſum ab opiatis effectum anodynum etiam Paracelſus agnoviſſe videtur, cum ſulphuris hujus vires ab opii, Hyoſcyami, Mandragorae, aliorumque narcoticorum operationibus in ſupra allegato loco evidenter diſtinguit; in quo celeberrimus Sylvius quoque conſentit, qui vim opii ſtupefactivam, et anodyni Sulphuris et Vitriolo parati virtutem pacativam toto coelo inter ſe differre ait Pr. L. II. C. 26. §. 31. quamvis differentiam hanc de caetero paulo aliter explicet. Quemadmodum autem anodyni hujus ſulphuris vitriolici efficacia ab ejusdem vi blande adſtrictoria non absque ratione deducitur, ita quoque nullum dubium eſt, ſpiritum ant. epilepticum vitrioli Paracelſi ſupra deſcriptum ſuas vires potiſſimum leniter adſtrigendo exſerere, cunctaque alia medicamen-

ta liquida, quae a vitriolo crudo vel ejusdem colcothare abſtracta ſunt, inter quae eſt uſualis ſpiritus cephalicus beati D. Chr. Langii etc. de virtute vitrioli adſtrictoria pariter participare et huic potiores vires debere, quod manifeſte patet et ſpiritu vini a vitriolo calcinato abſtracto, qui mora pulviſculum rubicundum ſponte ad fundum dimittit. Ideoque in memorato ſpiritu cephalico B. D. Chr. Langii, aliisque medicamentis, ubi ab Autoribus additio vitrioli commendatur, temere illud omittendum haud eſt, uti communiter ex nimia ſapientia aut ignorantia fit, niſi medicamentum potiori virtute roborante privatum eſſe velis.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. Adami Friderici Pezoldti.

Cura Pernionum exulceratorum facilis ac certa.

DEum benigniſſimum ad conſervationem nobiliſſimae ſuae creaturae, hominis non ſolum regnum minerale et vegetabile ineffabilibus exornaſſe virtutibus, verum et ipſis animalibus praeter vires largiſſime alendi corpora humana, medicas quoque virtutes ad corruptionem et interitum corporum humanorum efficaciſſime praecavendum et removendum, quam clementiſſime conceſſiſſe, neminem noſtrûm fugit; imo ne plebejo ac extreme egeno mendico deſit, quo ſe a variis gravioribus corporis affectibus liberare, ac Creatoris ſui benignitatem ac providentiam uberrime agnoſcere queat, abjectiſſimis et ubique fere obviis gratisque obtinendis animalculis, vires admodum ſalutiferas impertivit, quod inter alia invidioſum iſtud animalculum, mus nempe domeſticus, pariter teſtatur, utpote qui ex toto combuſtus, cinerem praebet ad perniones exulceratos efficaciſſime et certiſſime ſanandos: nimirum, ubicunque in membris frigore acerbius affectis, tumores cum rubedine, dolore, aeſtu etc. quos perniones dicimus, in ulcera erum-

punt ſordida, chronica, facile repullulantia, optimisque remediis reſiſtentia, ibi ſane cinis de muribus combuſtis, ſi in ulcera haec ſedulo inſeratur, adeo convenit, ut brevi hujusmodi ulcera ex voto, ſine ulla recidiva perſanentur, id quod experientia in quam plurimis comprobatum habeo. Eundem hunc cinerem aliis quoque morbis tam externis quam internis mederi, ut mictioni involuntariae ſive nocturnae, tuſſi refractariae, alopeciae, condylomatibus, ficubus, mariſcis et moris ani, omnisque generis verrucis, ex Pharmacopoeia Schroederiana, aliisque autoribus, conſtat. Optimum praeterea Atrophiae remedium e muribus peti poſſe, teſtatur Obſervatio CI. Excellentiſſ. Dn. D. Joh. Conradi Payeri, Ephemerid. hiſce Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. inſerta.

(Lipſia Auguſtam Vind. d. 29. Sept. A. 1717. miſſae.)

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. Joh. Rudolphi Zuingeri.

De

Dislocatione Vertebrarum cum Abſceſſu Abdominis ſuccedente lethali.

CAEmentarius quidam adhuc juvenis ante quatuor circiter annos inſigni niſu praegrandem lapidem ſuo movere loco tentans, ex inopinato quendam in regione lumborum percepit audivitque fragorem cum intenſiſſimo ſtatim cruciatu ac dolore conjunctum. Inſpicientibus mox affectam partem apparuit prima lumborum vertebra ſua ſede naturali dimota, adeoque elevata, ac eam gibboſitatis ſpeciem formans, quam nonnulli κύφωσιν appellare voluerunt. Ab eo tempore infelix hic juvenis difficulter admodum ſuae vitae et conditionis munia laborando obire, nec niſi baculorum ope incedere et obambulare potuit. Neglexit autem malum ſuum, unice juventutis

ſuae

ſuae robori confiſus, donec tandem ſpe certioris ſanationis fretus in vicinas Thermas, non inconſultis, quorum auxilium implorabat, ſeſe reciperet, earum balneum uſurpaturus, experturus. A primo autem balnei ingreſſu Ecchymoſis ſtatim in dextro lumborum latere exoriebatur, inſignis illa magnitudinis et extenſionis; ob quam non amplius baculi adminiculo incedere poterat, ſed fulcris ſive furculis ſubalaribus ad ambulandum opus habebat, quibus inter eundum inniti poſſet. Tum vero demum remedia in unum trahi, et cauſticum utrique Vertebrarum lateri applicari coepit; ſed hoc non obſtante majorem in inceſſu difficultatem quotidie ſenſit, ita ut lumbis quoque ſuis erectus non amplius inſiſtere, et ſtare, neque ſeſe incurvare potuerit, impediente id vertebrae lumborum aucta luxatione, quam probe examinaturus Iatro-Chirurgus deprehendit in latere dextro illius loci tumorem mollem, ac humoroſum, cui proin applicabatur Emplaſtrum maturativum ad praeparandam materiam ibibi contentam, cumque tumor jam ſatis mollis eſſet, atque ad aperiendum maturus, novus apparebat tumor paulo ſupra Inguen dextrum, priori illi lumborum tumori apparenter reſpondens, unde conſultum magis eſſe duximus, hunc potius quam illum aperiri; hoc itaque ſine ulteriore mora facto ingens puris probe cocti quantitas effluxit, lumborumque tumorem ita mox diſparere fecit, ut vix ulla ejus veſtigia amplius deprehendi poſſent. Verum Aeger nihil plane melius inde habuit, quin apertum ſic ulcus magnam ſemper copiam exhibuit nunc puris ſinceri, nunc lymphae, nunc et chyloſi humoris, idque continuis totis quatuor vel quinque menſibus, utut traumatica ſimul aliaque abſorbentia, confortantia, et conſolidantia Remedia in uſum fuiſſent tracta; tandem enim hecticus, conſumta paulatim omni carne, viribusque prorſus exhauſtis inter vivos eſſe deſiit.

Cadavere hinc ad aperturam conceſſo, cavitas Abdominis haud parum tumentis ac tenſi plena conſpiciebatur lymphae tantillum flaveſcentis ac limpidae. Viſcera, Hepar, Lien ac Re-

nes juſto grandiorem ſubſtantiae ſuae, alias minus durae, aut ſcirrhoſae molem habuiſſe videbantur. In cava tamen hepatis parte tuberculum cyſticum, nigricans, pure repletum occurrit; uti quoque in convexa extremitatis lobi ſuperficie ſugillatio ſive Ecchymoſis ingens comparuit. Pancreas, ventriculus, et inteſtina in ſtatu naturali extiterunt. Meſenterium vero pluribus in locis inflammatum, coloris p. n. rubicundi aut lividi fuit: plerisque ejus glandulis exiſtentibus nonnihil tumidis, nigricantibus, coagulato ſanguine turgidis. Epiploon putrilaginoſum ac ſine pinguedine. Elevatis hinc abdominis viſceribus, corpus aliquod inſolitum in regione lumborum apparuit, quinque vel ſex digitos transverſos longum, duosque latum, duriuſculum, quod apertum deprehendebatur eſſe congeries glandularum, magnitudinem avellanae nucis majoris exaequantium, ſcirrhoſarum valde, craſſa admodum pelle tectarum, et ſebaceam materiam in ſeſe continentium. Supra hoc corpus Vertebrae quaedam dorſi a ſe invicem ita disjunctae fuerunt, ut minorem inter illas digitum demittere licuerit. Superior harum vertebrarum, quae ultima erat dorſi, viſa nobis fuit nigra, carioſa, friabilis pene, ſuoque perioſtio orbata; neque melioris conditionis erat, quae ſupra hanc exiſtebat, penultima dorſi, utpote ſuo quoque magnam partem deſtituta perioſtio, coloris praeternaturalis, mollis, ſquamoſa, et aſpera. Vertebrae lumborum, ſcirrhoſarum illa glandularum congerie obtectae, totae ſimiliter extiterunt nigricantes, molles, et putrida carie corruptae, non minus, quam earundem Epiphyſes et Cartilagines, ita ut levi talium partium compreſſione ſpinalis inter illas medulla prodiret.

Poſt haec ſtylum in fiſtuloſum inguinis vel Hypogaſtrii ulcus intrudebamus, qui ad os usque ilii ſive coxendicis pertingebat, ſuo itidem perioſtio nudatum. Cavitas quoque heic notabilis animadverſa fuit, usque ad vertebras lumborum penetrans, imo ulterius ſed ſenſim anguſtiore ſinu juxta vertebras thoracis aſcendens in cavitatem pectoris, in qua nihil obſervabamus

bamus attentione dignum, niſi, quod nullus fere ſanguis in corde vaſisque fuerit repertus.

Veriſimile proin eſt, Juvenem iſtum in vehementi, quem in dimovendis lapidibus adhibuit, niſu, quo quidem fragorem aliquem in lumborum regione perſenſit, non ſolum tendines, ligamenta ac nervos valide extendiſſe, ſed quosdam etiam cum impetu dilaceraſſe, atque ſic vertebrae luxationi, dolori, fragorique occaſionem dediſſe; unde poſtmodum per membranarum, ac filamentorum nervoſorum communionem lerna illa malorum ſubſequuta fuit, dum e ruptis hinc inde vaſculis effluens qualiscunque humor, isque putrefactus tumorem, abſceſſus, et ulcus ſinuoſum reliquaque pathemata poſt ſe traxit. Equidem viſa eſt natura per biennii fere ſpacium vulnus internum ſanare voluiſſe, quoniam toto illo tempore juvenis adhuc laborare potuit, tamque vehementes cruciatus et dolores nunquam perſenſit. Quamprimum autem Thermas fuerat ingreſſus, ſanguis magis rarefactus, et effervescens particulas ad conſolidationem tendentes diſſociavit, ſtagnantes humores in motum putrefactivum concitavit, ac ita inflammationi, abſceſſui, ulcerique ſinuoſo vel fiſtuloſo anſam dedit, a quibus tandem Hectica Febris producta hominem paulatina morte conſumpſit, et inter vivos remanere prohibuit.

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. Joh. Rodolphi Zuingeri.

Hiſtoria quaedam Empyematis funeſti.

JUvenis Leodienſis, coquus ac ſimul venator, quintum vitae ſuae luſtrum ingreſſus, hyberno tempore nimiopere frigefactus, atrociſſimo lateris ſiniſtri dolore punctorio corripiebatur, cum omnibus praeſentis exquiſitae Pleuritidis ſignis. Tuſſis aderat aſpera, ſicca et ſubinde cruenta, cum excreatione rara materiae paucae: ſitis inexhauſta; ſanguis aliquoties fuit extra-

extractus, nullo cum Aegri levamine: inter haec ab Empirico quodam, neſcio cujus ſuaſu, purgans aſſumſit ſatis potens, ad materiam peccantem e pectore una vice exterminandam; hinc revera per unam et alteram hebdomadam purulenta multa per tuſſim expectoravit, ut aliquanto melius valere videretur; verum Empyemate ſuccedente Orthopnoicus evaſit Juvenis. Facies ejus intumuit, crevit in molem Venter, tumuerunt quoque manus ac pedes; ſitis quotidie aucta, ſimul adfuit Febris lenta: anheloſo pectore, non ſine acerba tuſſi, purulenta quaedam, pauca illa, nullo cum levamine excreavit: quae ingurgitavit potulenta, haudquaquam ſive quoad colorem, ſive quoad odorem immutata, cito per urinae vias excrevit: Alvus liquida ſemper extitit, ingeſtaque fere cruda rurſus dejecit: tandem poſt ſeptem hebdomadarum intervallum hecticus, ſanae mentis ad extremum usque vitae halitum compos, placide obiit, aeternae magis quam temporalis ſalutis cupidus.

Aperiendum cum permitteretur Cadaver, Abdomen mox occurrit conſpiciendum, amplum illud, vaſtum, atque tenſum; hujus involucris pertuſis, cruciatimque ad latera poſitis, cavitas ejus pure et aqua conſpiciebatur repleta; imo ipſe quoque ventriculus, vaſa plura alia, veſicaque ſimul putrilagine infecta, purisque acrimonia eroſa ac pertuſa fuerunt, unde liquor omnis potus ſtatim ventriculum tranſiit, inque laceratam ſive eroſam veſicae ſubſtantiam receptus, per urinae vias ordinarias excretus fuit: immutatus plane, quoniam purulentae particulae tranſire ſimul haud potuerunt, neque cum urina permiſceri. In Thoracis ſiniſtro latere Pleuram maxime ulceratam, proximumque lobum pulmonis ex parte ſibi adnatum, vel adglutinatum, totum putrefactum, ſed et eam cavitatem Thoracis ſimul purulentae materiae copia repletam invenimus, a cujus pondere ductus thoracicus continue preſſus dubio procul tranſitum chyli atque lymphae facilem impedivit, ſicque anſam expandendis ubique vaſis lymphaticis, tumorique abdominis

minis et crurum praebuit. Haec ex communicatione *Experientiſſ. Dn. D.* Antonii Drelincurtii, *Medici Verbigenſis in Ditione Bernenſi.*

OBSERVATIO LXXXIIII.

Dn. D. Joh. Rodolphi Zuingeri.

Exenteratio Puellae Phthiſi extinctae.

MEnſe Februario Anni 1714. in Orphanotrophio Baſilienſi phthiſi obiit puella quaedam, annos circiter quatuordecim nata. Hujus Cadaver dein luſtrare atque aperire prolubium ſubiit; illud itaque in praeſentia Philiatrorum tum quorundam, nunc Medicinae Doctorum Clariſſ. *Dnn. Johann. Rodolphi Lavateri*, Tigurini, *Henrici Hermanni*, Biennenſis, *Johannis Beckii*, Thuna-Bernenſis, et *Joh. Baptiſtae a Planta*, Engadina-Rhaeti, aperuimus, ubi ſtatim ad externum Cadaveris adſpectum ſummam totius corporis maciem et conſumptionem, qua vix cutis oſſibus haerere videbatur perquam tenuis, deprehendimus: ſublatis hinc integumentis communibus, ſeparatisque abdominis muſculis, quantum quidem per extremam maciem licebat, vidimus primum in inteſtino Ileo incipientem gangraenam, cum ſubintrationibus binis, ſpithamae circiter longitudine a ſe invicem diſtantibus. In ſiniſtro rene, qui male conformatus erat, duos obſervavimus ureteres, qui e duplici pelvi deſcendentes, in medio verſus veſicam itinere in unum coïbant ductum. Renes ſuccenturiati adeo magni comparuerunt, ut magnitudinem ordinariam in homine adulto quater ſuperarent. Denudato femore utroque, cum forte ea digitis per longitudinem, abdomen verſus, comprimeremus, polypi plures e venis intra cavum abdominis apertis prodierunt, quos primo intuitu vermes eſſe credidimus, ſed penitius examinantes polypos eſſe vidimus. In pectore lobos pulmonis utrinque, grandes ſatis, ſterno et coſtis arctiſſime adnatos conſpeximus,

quibus ubique ſeparatis et ad latera preſſis, ſingulari encheireſi deteximus, atque perſpicue diſtincteque monſtravimus non ſolum ductum thoracicum, ſed et ipſum chyli receptaculum cum multis hinc inde appenſis vaſculis lymphaticis, glandulisque conglobatis. Pulmones hinc inciſi quantitatem ingentem ſanguinis cum pure et ſanie permixti fundebant, graveolenti admodum odore nares feriendo. In Pericardio lympha flaveſcens copioſa aderat, thalami vero cordis aperti nullos in ſe polypos, ſed pauxillum duntaxat ſanguinis grumoſi continuerunt. Cerebrum modo convenienti praeparatum atque calvavaria exemtum hinc inde in lobis majoribus conſpicua ſatis habebat vaſcula lymphatica expanſa. Glandula pinealis, magnitudinem phaſeoli mediocris exaequans, tota quanta turgebat exundante lympha quadam viſcida. Plexus choroidei veſiculis aqua repletis pluribus erant inſtructi: coetera, quantum quidem obſervare potuimus, bene habebant.

(*Ex comm. Nobil. D. D. Theod. Zuingeri.*)

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. Leopoldi Emanuelis Binningeri.

De

Vini et Aquae Potatoribus inſignibus ſibimet Medicis.

POſt deditionem Veſontinenſem, Ludovico XIV. Galliarum Regi factam, Regiae loricatorum equitum Legioni Veſuli Comitatus Burgundiae ſtatio refectionaria ad menſem unum vel alterum circiter data fuit. Militi cuidam ex hac, nomine *Carré*, habitus tamen non valde quadrati, pavimenti ſtructoris cujusdam pauperculi aſſignatum fuit hoſpitium. Hic advenam pro viribus belle recepturus, ex unico, quod habebat, vini doliolo, thinnarum noſtratium duarum cum quadrante, vel librarum vini praeter propter 193. capaci, unam appoſuit menſu-

menſuram, libris haud minus quinque aequiponderantem; hanc unico miles exſiccavit hauſtu, mox ſecundam, tertiam, et inſuper alias, ita ut hoſpitis totum in uno paſtu vel prandio fere evacuatum fuerit dolium; quod etiam revera factum fuiſſet, ni erga pauperculum aliquali miles affectus fuiſſet miſericordia. Finito ſic advenae nimis curto prandiolo, aedibus ambo fuerunt egreſſi, miles quidem in ſodalium contubernia, ut pro more a ſingulis vini aliquot acciperet amphoras, (tunc enim temporis licebat quidquid libebat:) pavimenti autem ſtructor rogatum ivit, ut a tali helluone liberaretur. Facti ſunt ambo ſui compotes voti: Miles quidem plurimos nactus hoſpites, ſingulis diebus ultra ducentas hauſit vini libras civiles; cujus praedicta urbs oculata fuit proprio damno teſtis, non ſecus atque *Theologus* ille fide digniſſimus, qui tanquam Autopta hanc mihi hiſtoriam d. 21. Januar. ann. 1713. coram aliquot aliis hujusce rei probe memoribus viris narravit.

Salubrius ſibi conſuluit *Hydropota* inſignis, ſibi ipſe praeter ſpem Medicus, *Juvenis* nimirum aliquis *Metenſis*, triginta propemodum annos natus, S. Themidos ſtudio antehac addictus, qui me in *Thermis* Lotharingiae *Plumbariis* menſe Junio anni 1706. convenit, quippe ob denegatum ſibi a Parentibus cum virgine peramata conjugium domo ſponte exul, varias Lotharingiae et Alſatiae pervagatus urbes, tumida minus crumena. Hinc proin diverſis eapropter curis ac ſollicitudinibus agitatus, tandem evaſit hypochondriaco-ſcorbuticus, triſtis ſemper, errabundis, ac inſulſe circumgyratis oculis lento obambulans greſſu, nec non lividis per totam corporis peripheriam ab aliquot annis defoedatus maculis; Morbo ſuo, hujusque cauſis latina oratione mihi denuntiatis, interrogavit, num potus aquarum in iſtis thermis mineralium ſibi profuturus foret nec ne? Importuno conſultatori (celſiſſimo enim Principi meo tunc temporis in platea adſtabam) potum annuo; quantum vero bibere deberet, ulterius quaerenti, quantum poſſet, retuli. Sequenti aurora fonti adſtantem alloquor, quotque jam evacuaſſet

 cyathos

cyathos interrogo, nonaginta aliquot continuos reſpondit, ſeque centeſimum mox completurum eſſe cyathorum numerum, cyathus autem quilibet unciarum plus quatuor capax erat. Siniſtrae conſilii mei interpretationis increpatum a fonte arceo, atque bihoralem deambulationem ſuadeo. Altero mane eundem denuo ad fontem aquas maſcule haurientem reperio, laxatis tibialibus, et collari, nonageſimum mox ebibentem cyathum. Referebat tum, ſe pridie ab aquarum potu toto corpore intumuiſſe, cum vaſorum omnium inſigni pulſatione, ſubortisque vomitibus, ſudoribus, alvi ſeceſſibus, et urinae profluvio copioſiſſimis, indeque ſupra dictas maculas una cum coeteris ſymptomatibus prorſus evanuiſſe. Secundum hodierna die potum iidem ſecuti effectus Aegrum ita ſanarunt, ut cum omnium ſtupore alacris, hilaris, laetus, ac bene coloratus in Plumbarii vico deambularet, paucisque hinc elapſis diebus perfecte ſanus patriam repeteret. Obſtructis, ſcorbuticis, lienoſis, morbisque venereis affectis inutiles plane, ſi non noxiae obſervantur iſtae Plumbariae aquae: non dubito tamen, illas valde profuturas, ſi ſubjectum ſat robuſtum foret, ut exemplo Hydropotae noſtri duplam, triplamve doſin bibere valeret; ſic enim pleno quaſi gurgite perreptantes undae corpus, ſalibus peregrinis elutriandis, obſtructionibusque vaſorum reſerandis haud impares ſaepius deprehenderentur.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. Leopoldi Emanuelis Binningeri.

De

Vitri fruſto ab annis 28. inter Oſſa Metacarpi innoxie deliteſcente, ac ſponte naturae dein expulſo.

Reverendus Dominus *J. N. W. Verb. Div. Min.* mihi amiciſſimus, vitro dextrae manus volam, dum adhuc puer eſſet, ſibi vulneravit: illius hinc portionem quandam e vulnere

extra-

extraxit, totum exemiſſe ratus, conſolidato dein ſponte ipſo vulnere. Hinc per viginti octo annos integros vitri fruſtum in loco affecto delituit, nullam inde moleſtiam ullo unquam tempore paſſus. Hoc vero ſponte naturae tandem erupturum praeceſſit tumor, furunculi minoris adinſtar, in ſuperiori manu ab interſtitiis oſſium metacarpi extuberans, ex oppoſito vulneris priſtini in vola manus facti, qui apice quodam ſubalbo puris intus latentis aliqualem notitiam dedit. Sed ecce guttula vix unica effuſa pungens quid et ſolidum in tumore apparuit. Hinc demum anteactorum memor praedictus Vir Reverendus, de vitri intus deliteſcentis fruſto nullus dubitavit, illud enim re ipſa jam conſpiciebatur, digitisque palpari facile poterat: ejus vero apicem ſenſim magis protuberantem elapſo tridui ſpatio excepit baſis, ſicque ſponte excidit fruſtulum integrum, figura trigonum, lineas quinque vel ſex longum, quatuorque latum, poſtquam per tot ante annos absque ulla unquam moleſtia, ſuive indicio in vola manus quietum haeſiſſet.

Occaſione hujus phaenomeni mentem nunc ſubit, quam inſulſe hodierno tempore vili habeantur pretio veteres illi, qui materiae ſuae Medicae tabulam remediorum heterogeneas res educentium adnexerunt: multiplici enim didici experientia, ſpinam cuicunque demum parti infixam, longe citius expelli, ubi vulnus, ejusque regio, emolliente unguento, vel axungia ſimplici viperina fuerit obducta, quam ſi aëri nudo liberove, ac naturae ſoli totum fuiſſet opus relictum: ſic enim partes externae, tali medicamine laxatae, interioribus tam vaſorum pulſitatione, quam tono ſuo proprio adverſus peregrinum hoſtem valide inſurgentibus, reſiſtentia ſua minus pares, hiſce tanquam validioribus locum cedere, peregrinoque ſimul corpori exitum concedere parareve cogantur.

(*Ex communicatione Nobil. D. D. Theod. Zuingeri.*)

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Menſibus e Dorſi cute fluentibus.

VIdua I. K. annos nata 38. robuſta et vegeta, anno 1711. gravida, ex moerore ob mortem mariti incidit in febrim quartanam, per tres menſes durantem; ſeptimo dein menſe ingravidationis ſentit protuberantiam in dorſo, venam tumentem ſive varicem aemulantem, ad dextram ſpinae in regione muſculi latisſimi, quae leviore frictione aperta ſanguinem fundebat ſeroſum, parca quantitate. Biduo hinc elapſo rivulus hic ceſſabat, ulcusque ſponte claudebatur. Perdurante autem febre circa finem ſeptimi menſis foemina immaturo quidem, ſed felici tamen partu excludebat puellam emaciatam, ſed vivacem tamen et vegetam, quam ob lactis defectum et egeſtatem pulte farinacea et aquae potu alebat. Lochia parce fluebant, neque durabant ultra diem et noctem. Dispulſa hinc febre papillula varicoſa in dorſo iterum apparuit, ſponteque rupta ſanguine manavit per aliquot dies, ſine ullo dolore, aliove incommodo. Atque ſic regulariter ſingulis menſibus fluxum patiebatur ordinarium, ſiccatis vel obſtructis plane viis menſtrui debiti. Symptomata coeterum nulla gravia experitur foemina, niſi quod appropinquante fluxus tempore tenſionem in dorſo ſentiat, incurvationem corporis impedientem. Papilla vero illa hucusque ad magnitudinem avellanae nucis majoris, rubedine quadam circumdata excreverat, ceſſanteque fluxu menſtruo iterum ſubſidebat.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. Theodori Zuingeri.

De

Hectica a ſcirrhoſitate Pylori ac Pancreatis proveniente lethali.

CIvis Baſilienſis, *J. H. O.* annos natus 62. poſtquam in ſecundo matrimonio frequentibus animi pathematibus exagitatus fuiſſet, ab aliquot ante mortem annis de variis corporis moleſtiis conqueri coepit, valetudinarius admodum redditus, nec perfecta unquam ſanitate, quemadmodum antea, gaudens. Crebrae autem ipſius fuerunt querelae modo de obtuſo capitis dolore, modo de quadam pectoris anguſtia, modo de ventriculi dolore, appetitu imminuto, alvi ſegnicie, modo de laſſitudine membrorum, interdum etiam de aliquali nauſea, ſtomachique ardore, aliisque morboſis ſymptomatibus, a quibus tamen in expediendis ſtationis ſuae publicae negotiis ſeſe impediri non fuit paſſus, donec tandem ſymptomatibus quotidie gravioribus redditis, macieque corporis magis ac magis apparente, vires ſenſibiliter minui deprehenderet. In hoc ſtatu itaque plurima remedia in uſum traxit, mineralesque aeſtivo tempore aquas aliquoties debito cum regimine diaetae hauſit; a quibus omnibus ſubinde melius habuit, tantum non integram corporis ſanitatem adeptus. Ingruente autem anni 1717. vere graviora paulatim ſymptomata virum excruciare coeperunt; dum ſenſim ciborum aſſumendorum deſiderium imminuebatur, citra conjunctam in principio ſitim, membra de die in diem magis laſſa evadebant, pergebant quotidie vires deperdi, corporis habitus jam manifeſte, ſed lento gradu decreſcere, pectus anguſtari, tuſſis accedere, ſicca primum, dein aliquando humida, cum ſeroſo-pituitoſae materiae excreatione: his dein non infrequens ardor ventriculi accedebat, cum aliquali aſthmate, quoties vel ſcalas aedium,

aedium, vel clivos urbis conſcendere oportuit. Utut autem nulla ſtatim febris ſeſe dictis ſymptomatibus jungeret, ſomnus maneret ſatis bonus, urinae ſufficientes et laudabiles excernerentur, alvus fere quotidie libera eſſet, noluit tamen valetudini ſuae multum fidere, tam crebro vacillanti, quin plura ſubinde *medicamina, alterantia* ac leniter *purgantia*, variis ſub formulis a nobis ordinata, quotidie fere aſſumſit, quibus acidum potens, frequenter e ventriculo non ſine ardore quodam per gulam exhalans, debellari, vomitiones ſubinde urgentes ſedari poſſent. Uſus eſt imprimis *pulveribus incidentibus, abſorbentibus, reſolventibus, antimoniatis, cinnabarinis, martialibus, viperinis, antihecticis:* uſus *infuſis aperientibus, reſerantibus.* Sumpſit etiam blandum aliquando *vomitorium*; bibere tentavit *acidulas, thermas Fabarias, lac aſininum, ſerum lactis bubuli, juſcula naſturcinis herbis alterata*; dedimus quoque *ſalia* tam *fixa*, quam *volatilia*; neque intermiſſae fuerunt crebrae ſtomachi *inunctiones balſamicae, emplaſtrorum* applicationes, *ſacculorum herbaceorum* impoſitiones, *clysmatum emollientium* et *carminativorum* infuſiones. In victus ratione nonniſi euchyla et eupepta fuerunt conceſſa, ratione etiam habita *gelatinarum cornu cervi*, aliarumque analepticarum. Verum his omnibus et ſingulis nihil in melius proficiebamus, quin ſymptomata quotidie magis ac magis ingraveſcebant, eructationes evadebant continuae propemodum, ingeſta fere qualiacunque per unum alterumque diem in ſtomacho retenta, tandem indigeſta per vomitum rejiciebantur: alvus indies ſegnior evadebat, vix unquam ſponte ſine remediorum adminiculo reſpondens. Per vomitum, utut frequentem et vehementem, nulla unquam bilis, ſuccus amarus nullus excernebatur; ſed acido-pituitoſa potius cum ingeſtis materia prodibat, ardore inſigni ſaepius moleſta; gravantem in ſcrobiculo cordis dolorem perpetim ſentiebat; abdomen intumeſcebat, ac tendebatur manifeſte, copioſis flatibus, fere perpetim expanſum; urinae tamen excernebantur adhuc ſufficientes, nonnihil tinctae, ſine ullius coctionis indicio;

utut

utut per pylorum nihil aſcendere, parumque deſcendere hactenus viſum eſſet; pulſus evadebat hecticus; ſudores nulli vel rariſſimi prodibant; cum tuſſi ſeroſo - pituitoſam tantum lympham, ſed neque frequentem neque copioſam illam projiciebat; pectoris anxietas quotidie nonnihil augebatur, ut ſupinus in lecto neutiquam profunde amplius, imo nec alterutri lateri incumbere ſine periculo ſuffocationis potuerit. Ultimis tribus vitae ſuae hebdomadis quaecunque deglutivit, vix amplius ad trihorii ſpatium retinuit, ſed per vomitum, non ita difficilem amplius, copioſe reddidit, de ardore faucium, gulae, ſtomachi frequenter conqueſtus; unde appetitus maxime proſtratus, ſitis intenſa, ſomnus irrequietus, urinae valde tinctae, alvus ſicca, macies ſumma, cum febri continua intenſiore, aegrum plane conſumſerunt. Dum itaque tam deploratam morbi conditionem obſervabamus, ſolis cardiacis hominem usque ad extremum vitae halitum reficere ſtuduimus: octiduo autem ante mortem quaecunque vomuit, non ſolum liquida, ſed nigra prorſus et graveolentia extiterunt, utcunque nihil plane aſſumſerit, quod ejusmodi tincturam excitare potuerit: ſanguis etiam aliquando praeter conſuetudinem e naribus profluxit. Tandem exhauſtis plane omnibus viribus, abdomine manente tumido ac tenſo, pedibus etiam nonnihil intumefactis, emaciatus coetera totus, d. 3. Septemb. anni 1717. placida cum morte vitam citra praevias convulſiones commutavit.

Ut itaque cauſa tam funeſti, tamque diuturni morbi in apricum prodiret, apertionem cadaveris haud difficulter conceſſerunt pie defuncti haeredes. Inciſo proin cruciatim more ſolito abdomine, ſtatim ſerum effluebat limpidum, nonnihil flaveſcens, menſurae unius vel alterius quantitatem exaequans, in qua natantia conſpeximus inteſtina, flatibus diſtenta, atque adeo corrupta, ut ubique ſphacelata et nigra comparerent: Omenti plane conſumti nulla propemodum veſtigia deprehendimus: ſemotis hinc dextrorſum inteſtinis, mox ſeſe luſtrandum obtulit Pancreas, naturali duplo majus, ob glandulas in tota ſua

ſubſtantia intumefactas ſcirrhoſasque durum, inaequale, atque inſuper hinc inde lividum et ſideratum, duodeno ubique firmiter cohaerens: ipſius dein inteſtini duodeni portio ventriculo propior, craſſa admodum et ſcirrhoſa fuit: inprimis autem Pylori regio tota quanta, intus et extus, valde craſſa, ſcirrhoſa et dura extitit, inciſaque velut ſevum concretum intra ſeſe continere viſa eſt: apertus hinc pylori canalis adeo anguſtus, ſtrictusque fuit, ut vix ſtylum transmittere, minus vero eum expandere, propter obſiſtentem duritiem potuerimus; quae proin cauſa dubio procul extitit difficilis admodum deglutitorum alimentorum deſcenſus, hincque ſubſequentis alvi conſtipationis, frequentisque vomitionis, cum hac ratione motus periſtalticus ventriculi deorſum verſus impediri neceſſario, ſurſum vero et retrorſum verſus gulam magis urgeri debuerit. Hepar ſolito minus nobis videbatur, alias neque ſcirrhoſum, neque alio vitio qualicunque infectum: veſicula fellis admodum parva, exigua, propemodum vacua: Lien, renes, veſica ſine labe: Meſenterium vero glandulis hinc inde tumidis, duris, ac liveſcentibus obſitum: Inteſtina ſiderata propter foetorem nimium expirantem non aperuimus. Aperta autem pectoris cavitas dextra ultra menſuram, ſiniſtra vero dimidiam fere menſuram ſeri flaveſcentis limpidi continuit: pulmonis lobi utrinque pleurae fortiter adhaerentes hinc inde fuerunt inflati, ac ſpumoſa multum pituita turgidi, quam aeger ſubinde excreando projecit: cordis thalami depreſſi et inanes, ſine polypis extiterunt. Praeſentes huic exenterationi adſtiterunt viri experientiſſ. ac nobiliſſ. Dnn. *Chriſtophorus Epiſcopius, hujus urbis ſenator et chirurgus*, *Joh. Georgius Dolfus, Müllbuſinus Medic. Candidatus*, et *Udalricus Reith, Curia Rhaetus, Philiater.* Similem propemodum hiſtoriam notare datum eſt *Ephemerid.* noſtr. *Centur. VI. obſervat.* 16. ab Excellentiſſ. Dn. D. *Joh. Melchiore Verdries* communicatam.

(*Baſilea Auguſtam Vind. d. 6. Oct. A. 1717. miſſae.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. Joh. Friderici Weismanni.

Reſolutio ligni ſyringae coeruleae, ſive Lilac Matthioli.

CUm aliquando animum negotiis delaſſatum, tornando relaxarem, forte fortuna fruſtulum ligni ſyringae coeruleae, ſive lilac Matthioli, in manus incidit, quod nos Germani blau Hollunder-Holtz vocamus; hoc inter tornandum tam ſvavem ſpirabat odorem, ut aemularetur odorem ligni Rhodii, vel potius ſantali citrini: hac igitur re inſtigatus, ſtatim reſolutionem hujus ligni mihi propoſui, ex qua, per analyſin chymicam, ſequentia obtinui.

Primo igitur hujus ligni raſurae ℥vj △ forti, ex retorta deſtillavi, et obtinui phlegmatis cujusdam, ſaporem ſpiritus tartari exprimentis in lingua ℥ß, quod phlegma miſcui cum oleo tartari per deliquium facto, et ſpiritu ſalis Ammon. urinoſo, aſt nullam vidi mutationem; cum ſpiritu nitri corroſivo vero nebulas emittebat albicantes, et leniter efferveſcebat, manifeſto indicio, adeſſe particulas alcalicas volatiles. Alius vero naturae ſpiritus ex retorta ad ℥iß prolectus fuit, hic enim cum oleo tartari p. d. et ocul. cancri mixtus, magnam excitabat efferveſcentiam, maximam vero cum ſpiritu ſalis Ammoniaci urinoſo, quae experimenta manifeſte acidum ſpiritum eſſe monſtrant, quod clarius quoque conſpiciebatur, ex mixtione tincturae martis coerulea cum hoc ſpiritu, ubi in momento ſaphirinus color deſtructus fuit, uti fit, ſi huic ſpiritus vitrioli affunditur. Cum oleo et ſpiritu vitrioli nullam monſtrabat ebullitionem, vitrum tamen leviter incaleſcebat, uti obſervatur in mixtura oleo vitrioli ▽ communi. Syrupi violarum color coeruleus, mutatus eſt in rubrum.

Olei empyreumatici, inſtar olei foetidi ex aliis lignis producti, obtinui ʒiij, quod acerrimi erat ſaporis, et mixtum cum ſpiri-

tu nitri corroſivo nihil turbabatur, cum ſpiritu ſalis ammoniaci urinoſo vero fortiter effervefcebat, et fumum de ſe ſpargebat albicantem: oleum vitrioli rectificatum, mutavit hoc oleum in ſubſtantiam piceam rubram, et vitrum incaluit.

Alia poſtea via incedens, reſolutionem hujus ligni aggreſſus ſum, nempe ℔ij. hujus ligni raſpati affudi aquam ſimplicem, per aliquot dies maceravi, et poſtea deſtillationem ex cucurbita ſuſcepi, ubi una cum aqua deſtillata, valde amara et balſamica, prodierunt guttulae liquidae oleoſae, quae in aqua frigida concreſcebant, et materiam inſtar cerae virgineae albicantis, saporis amaricantis, conſtituebant, ita quidem ut ſapor exacte aemularetur balſamum de Copaiba. In calore magno, oleum hoc fit fluidum, in frigore vero adeo durum evadit, ut manibus inſtar cerae (quod admiratione dignum eſt) tractari, et ab aqua deſtillata, inſtar ſquamarum, ſpatula ſeparari poſſit. Inter deſtillandum aquae innatabant flores nivei inſtar nebularum et florum benzoës, qui altum petebant, et in oleum abibant. Oleum hocce deſtillatum exacte refert odorem olei ligni rhodii, cum oleo ſantali citrini mixti, hinc quoque omni jure, hoc lignum, ſantalum Germanum dici poteſt. Ex ℔ij hujus raſurae obtinui ʒiß olei deſtillati.

Raſpato porro ligno affudi ſpiritum vini rectificatum, et ex maceratione per aliquot dies continuata, accepi tincturam elegantem, balſamicam leviter amaricantem, inſtar tincturae ſantali, quae aquae affuſa, non praecipitabatur, lactea, uti in praecipitatione aliarum tincturarum reſinoſarum fit, ſed carnea, hinc tinctura per alembicum abſtracta, dabat extractum reſinoſum, colore puniceo inſtar ſanguinis draconis, vel laccae Florentinae, ſapore vero balſamico praeditum. Extractum gummoſum hoc lignum largitur, ſi in aqua coquitur et inſpiſſatur, colorem habet inſtar ſucci liquiritiae Bambergenſis, nempe fruſtum, ſi diſcinditur; ſapor eſt talis, qualem pulpa prunorum habet, cum amaritie tamen mixtus. Cum aqua fervente infuſum hoc lignum, dat potum calidum balſamicum ſuaveolentem,

inſtar

inſtar ſantali citrini, ſaporis vero delicati, inſtar ligni ambrati, colore flaveſcente, in ſpecie ſi diutius in loco calido maceratur, aut leviter coquitur, inſtar Thee Japonenſis, quod infuſum cum ſaccharo loco Thee cum gratia ſorbillari poteſt. Mechanici experti, hodierno tempore loco ligni olivarum uſurpant hoc lignum, et ex hoc varia utenſilia praeparant, eſt enim duriſſimum, nullae ferme corruptioni obnoxium, fibrae ſunt criſpatae et eleganter convolutae, coloris albicantis, flaveſcentis et circa medullam (quod admirationem meretur) nam per has fibras communicatur floribus ille elegans coeruleus color, coeruleſcentis, quae ſi cum ▽forti, vel alio ſpiritu acido illinatur, aſſumunt colorem puniceum, inſtar carmini, quae poſtea cum equiſeto tritae, et cum cera politae, aſpectu jucundiſſimae videntur. Ob particulas igitur balſamicas, reſinoſas, in ſcorbuto, affectibus pectoris, vulneribus &c, ubi balſamica locum habent optimo cum ſucceſſu adhiberi poſſunt, ex quibus videmus, quod cuilibet regioni Deus miſericors ſuas largiatur herbas, quibus et morbi endemii et epidemici interdum meliori cum ſucceſſu depelli poſſunt, quam cum exoticis, ſitu et vermibus interdum corruptis, modo majori ſtudio et cura talia pharmaca inveſtigarentur.

(*An. 1717. d. 6, Oct. Onoldo Auguſtam Vind. ab Ill. D.D. Joh. Maur. Hoffmanno miſſa.*)

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

Anatome Virginis Cachexia cum variis ſymptomatibus ſtipata defunctae.

ANno 1717. d. 25. Julii Virgo 14. et quod excedit annorum, conſtitutionis tenerioris, ad hecticam vergentis, cum aliquali reſpirationis impedimento, ſpinaeque dorſi leviori incurvatione, coenabat in horto paterno, nullo tamen in diaeta errore

commiſſo, et nihil conqueſta laetaque, hora decima nocturna lectum petebat, ſed hora ſequente undecima expergefacta, vomitu corripitur enormi, junctis doloribus ventris in latere ſiniſtro ingentibus. Medicus ordinarius vocatus, ob virium inſignem proſtrationem et morbi praeviſam magnitudinem, ordinat potiunculam ex confortantibus temperatis et anodynis mixtam, lateri vero dolenti mala putrida cum oleo lini cocta et expreſſa imponi jubet. Mane aegrota refert, ſe plane nihil dormiviſſe, vomitum a paucis horis elapſis quidem remiſiſſe, viribus autem penitus, ob nimios perpeſſos vomitus, quibus multa materia virideſcens, valde acris et foetens fuerit excreta, ſe eſſe exhauſtam, alvum autem eſſe conſtipatam: hypochondria Medico exploranti valde dura flatibusque diſtenta comparebant: quibus malis idem tum clysmatibus, cataplasmatibus, tum roborantibus, praecipitantibus, anodynis, accedente etiam alterius Medici conſilio, it obviam, cum aliquali ſymptomatum levamine, praecipue cum d. 29. ſpontanea diarrhaea, absque torminibus ſuperveniſſet. Aſt die ſeq. circa veſperam novi dolores ſiniſtri lateris ventrisque inflatio redeunt; a clyſtere adhibito d. 31. melius quidem ſe habet, dolores imminuuntur et venter detumeſcit, verum a meridie, cum pulſu frequentiore, virium languore, cordisque palpitatione, denuo infeſtant, vigiliae urgent, venter magis magisque, tympani inſtar durus, intumeſcit; d. 3. Aug. malum augetur, pulſus fit debilis, calor increſcit, et intercurrente quandoque frigore, gangraenae internae metum incutit; quamvis autem circa veſperam omnia ſymptomata mitiora viderentur, die tamen 4. Aug. eo graviora, cum difficili reſpiratione, et motu aliquali, praeſertim in collo, convulſivo, revertuntur, tandemque d. 5. Aug. hora duodecima meridiana, omni poſſibili induſtria et remediorum ſedula adminiſtratione vota fruſtrante, lectiſſimam Virginem vivorum numero eximunt.

Ex inſtituta eodem die cadaveris ſectione morbi gravitas et quam impoſſibile fuerit, eundem medica ope ſuperare patuit.

1. Fa-

1. Facta abdominis apertione, magna flatuum copia erupit; quibus etiam inteſtina turgebant.

2. In cavitate abdominis non ſaltem ſerum extravaſatum in mediocri quantitate occurrit, ſed etiam ejusdem contenta, inprimis omentum et inteſtina, materia nonnihil murideſcente, craſſa, ut primo aſpectu membrana omnia tegens eſſe videretur, atque inſtar fili in longum duci poterat, erant obducta.

3. Inteſtina ipſa inflammata, livida nonnihil, atque ad gangraenam inclinantia apparebant.

4. Pancreas totum ſcirrhoſum.

5. In Meſenterio paſſim itidem glandulae ſcirrhoſae.

6. Hepar magnitudinem naturalem multum excedens, durum et ubique ubi hypochondrium dextrum tangebat, nec non etiam diaphragmati firmiter adnatum.

7. Lien juſto major et in notabilem longitudinem productus, atque facta ſuperius flexura, verſus pancreas protenſus.

8. Pleura ibidem materia viſcida craſſa incruſtata.

9. In pectoris cavitate notabilis ſeri extravaſati copia.

10. Pulmones pleurae firmiter adnati, ipſorum autem ſubſtantia intaminata.

11. Cor magnum, caeteroquin ſano ſimile.

12. In toto corpore magna ſanguinis inopia, apparuit.

OBSERVATIO LXXXX.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

Motus convulſivi poſt puerperium.

FEmina 30. circiter annorum, temperamenti ſanguinei, gravida et per hujus temporis totum decurſum ſana, legitimo tempore fœtum edit perfectum, aſt debilem parvumque, omnibus rebus bene ſe habentibus, lochiisque rite fluentibus; paulo poſt enormibus convulſivis motibus corripitur, a quibus per ſpirituoſa a Medico ordinata medicamenta paululum ad ſe rediens,

diens, et extrema ſibi inſtare credens, ſpiritualia etiam remedia adhibere deſiderat, voto vix expleto, recidivam patitur majorem, cunctis ſenſibus externis ceſſantibus, lochiisque non amplius fluentibus: Medicus uteri inflammationem ſuſpicatus, medicamenta congrua ordinat, a quibus levamen ſubſecutum, motusque convulſivi remiſerunt, mox tamen redierunt, et miſeram per 24. horarum ſpatium majori vehementia affixerunt; unde clyſma injectum eſt, quod feces valde induratas expulit, ex vena etiam in pede ſecta ſanguis multo pure permixtus effluxit; nihil tamen auxilii inde affulſit, quia viribus ſemper decreſcentibus, et ſymptomatibus in eodem ſtatu permanentibus, res conclamata eſſe videbatur. Nihilominus continuatus medicamentorum uſus, quae aegra aſſumebat, tam deſideratum effectum ediderat, ut puerperam motibus convulſivis per triduum fere defatigatam non modo refocillaverit, verum etiam per Dei gratiam ita reſtituerit, ut reliquum puerperii tempus ſana et feliciter abſolvere potuerit.

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

Hypercatharſis periculoſa.

Mulier 48. annorum, ſartoris uxor, hypochondriacae conſtitutionis, cum marito per plateas ambulans, circumforaneum quendam medicamenta (ſi merentur ita nominari,) et inter illa morſellos anthelminticos, multis paraſangis, hiſtrionum iſtorum more, extollentem audiens, et maxime ſibi hos quadrare putans, quoniam interdum unum et alterum lumbricum excernere ipſi ſolitum erat, unum morſellum ſex crucigeris conſtantem emit, alteroque mane, hora ſecunda matutina deglutit. Vix elapſo horae ſpatio enormes vomitus et frequentes, una cum excretione urinae ſanguinolentae patitur, lecto ſurgens candelam accenſura animo linquitur, inque terram proſterni-

ſternitur; maritus caſum audiens, illam ſanguine pollutam invenit, vehementia enim draſtici illius, cum per nares et vaginam fluere fecit. Medicus mane vocatus, alexipharmaca cum theriacalibus et opiatis praeſcripſit, quibus effectum eſt, ut tandem circa noctem affectus mitigatus fuerit, ſuperveniente a corporis concuſſione inſigni cephalalgia, malo autem a fortioribus adſtringentibus et anodynis tandem ſenſim ſenſimque cicurato, et aegrota per Dei gratiam in totum reſtituta.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. Benedicti Gullmanni.

De

Abortu cum Mola ſubſequente.

DOmina triginta trium annorum, octo jam liberorum mater, ab ineunte aetate haemorrhagiis narium frequentioribus obnoxia, in ſtatu virginitatis menſium fluxui immodico et irregulari vexata, maritata etiam aliquoties eandem, inprimis quando animi pathematibus, irae ſcilicet aut terrori indulgebat, patiebatur, qui per roborantia leniterque adſtringentia coërcebatur. Verum ante annum in recidivam incidebat tantam, ut ſanguis per muliebria fluxerit ad matulas usque, hinc viribus nimium exhauſta et melancholica quaſi reddita, duorum Medicorum petebat auxilium; qui morbo bene examinato, illoque prius cicurato, vinum medicatum ex roborantibus leniterque laxantibus praeſcripſerunt, inprimis quia aegra de nullo ingravidationis ſigno ſibi conſtare dicebat. Hujus ex uſu cum multum materiae peccantis fuerit eliminatum per alvum, adeo bene ſe habuit, ut quaſi rediviva ſibi ipſi videretur. Vino ita ad finem perducto, balneo ex herbis et lapidibus Crumbadenſibus medicato ſemel per diem inſedit, quo tertia vice exantlato, propter oeconomica ſcalas petens, aliquid ex vagina propendere

animadvertit, quod cum umbilicalem funiculum eſſe ſtatueretur, Medici molam una cum foetu ſubeſſe praedicunt, Balſamum embryonum ordinant, et quoniam Domina coeterum bene valebat, balneum continuare jubent; unde factum eſt, ut tertia nocte foetum ſextimeſtrem maſculinum mortuum pepererit; cui occiput apertum cum pericranii extenſione magna, in qua tota cerebri moles erat incluſa; puerpera interea ſic ſatis bene valebat, niſi quod ſecundinae ad quartum usque diem reſtiterunt; ubi poſt obortos ventris dolores, una cum multo ſanguine grumoſo prodierunt, una cum mola carnoſa, pugni magnitudinem excedente, et inſequente vehementi lochiorum fluxu, ab adſtringentium et temperantium uſu iterum ceſſante; poſtquam Medici juſcula carnium cum croco ſaepius ſumenda prius ſuaſerunt, et mixturam ex uterinis et praecipitantibus porrexerunt.

(*Exhibitae Auguſtae Vind. d. 6. Oct. An. 1717.*)

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. Joh. Davidis Mauchardi.

Jactus minimi ſilicis Fragmentum ab Oſſe frontis ſeparans.

PUer annum agens ſextum adducitur mihi abhinc triennio, macilentus quidem, ſed ſanus alias et alacris; cujus mater anxia monſtrabat tumorem in frontis ejus dextro latere ſupra tempus, ubi cutis incipit capillis tegi, mollem, indolentem, et ad dimidiam ovi columbini magnitudinem accedenten. Referebat ortum eſſe ſenſim, a menſis ſpatio, poſtquam puer e platea rediiſſet ejulans, et livorem ſubtumidum, eine beule / ibi monſtraſſet, a jactu ſilicis, vix ℥ij. ſuperantis, et a ſodali paullo plusquam biennio inflicto. Leve malum adeo viſum eſt matri, ut ſpiritu quodam vinoſo ſaltem lavaret, et cum dolor non modo, ſed et livor paulo poſt evaneſceret, nulla iſtius laeſionis

cura

cura eſt habita ulterior. At ſenſim ibi tumor emergens, nec domeſticis primo, deinde chirurgi quoque unguentis et emplaſtris cedens, curam injecit non exiguam. In medio licet tumor ruberet, nulla tamen ſpes ſuberat, in pus mutatum iri citius contentam materiam; ut igitur chirurgus aperiret ſuaſi, non parum miratus, cum, poſt tres quatuorve guttas ſanguinis ichorem, qualem continere ſolent meliceridés, lentum, viſcidum, inſtar albuminis ovorum, ſubluteum, non foetentem, ad cochlearis quantitatem exſtillare vidi. Similis materia quotidie per tres hebdomadas, ſed parce prodiit, nec ulla ſpes erat, ut ulcus cavum ad floreni latitudinem, ſed non profundum, ad conſolidationem veniret. Tentata hinc eſt vulnuſculi inflicti ampliatio per varias turundas, ſed ob pueri impatientiam fruſtra. Lapis infernalis cauſtici loco inſperſus per diem eſcharam quidem induxit, ſed per noctem nova cutis ſuccreſcens fecit, ut labor actus rediret in orbem. Suaſi adeoque inciſionem per novaculam, ſed primo non potui obtinere, eoque minus cum paulo poſt alius quidam Medicus, hac tranſiens conſultus, culpam non in jactum ſilicis relatum; ſed cauſas internas referens, rem internis poſſe confici contenderet, atque pulverem, ut vocabat, cephalicum praeſcriberet, cujus baſis erat ſpecif. cephal. Mich. Tranſeunt interea ſeptimanae quatuor, et res manet in eodem ſtatu: itaque tandem itum eſt pedibus in meam ſententiam, et facta inciſione mox prodiit fragmentulum, ab oſſe frontis ſeparatum, non carioſum et lentem aequans. Quo ſublato, pericranio nudum deprehendebatur cranium, et ſpecillo tangentibus apparebat aſperum, ejusque laeſionem paulo poſt fungulus excreſcens ulterius patefecit. Adhibita ſunt, quae ars jubet, et ſublato fungillo cranium ſcalpro raſorio Sculteti Tab. IV. fig. V. Armament. P. 1. p. 6. adumbrato ab aſperitate laevigatum, conſolidationem protinus admiſit, vulnusque paulo poſt clauſum, hucusque a triennio tale manſit conſtanter.

Cui obſervationi, cum non ſolum auctores practici non careant laeſionibus, a levi cauſa, inſignioribus, ſed et Praecelten-

tiſſimus D. D. Camerarius Tubingenſis in diſp. de Vomica cerebri elaboratiſſima, paſſim praecipue p. 9. pluribus aſſeruerit, nihil addo, praeter diſtichon in ejusmodi caſum quondam confectum, ubi juvenis noctu nivis globulo petendus, arrepto per infortunium ſimul nucis ligni fruſtillo lethalem capite laeſionem excepit.

Quem nive nocte peto, nucis en! me ſtipite laedit;
ſic mihi nix, nox, nux, nex fuit ante diem.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. Joh. Davidis Mauchardi.

A pilae mollioris jactu maxilla inferior fiſſa, horrendae cauſa epulidis.

ANnus eſt, et quod excurrit, cum ad me ex loco diſſito adduceretur puer lepidus et elegans, aet. 14. annorum, parvae ſtaturae, tenerioris conſtitutionis, qui genam monſtrabat ſiniſtram enormiter tumentem, ſine rubore, aut phlegmones indicio, tactu durus erat, ſed et indolens tumor, cum que in maxilla non gena haerere appareret facile, ore aperto vidi ex parte gingivae exteriore protuberantem ad pugni magnitudinem, inſtar cornu durum, immobilem, ſed nullatenus, a contactu etiam rudiori dolentem. Aliud praeterea monſtrabat gingiva interius, ovi columbini magnitudinem non adeo ſuperans tuberculum, quod, linguam ſede ſua expellens, et hinc loquelam et maſticationem impediens, moleſtius erat magno tumore iſto. Inquirens in cauſam occaſionalem, audio ante annum, aut paulo diutius, a ſodali pila non adeo dura jactum in malam accepiſſe ſiniſtram, eo cum impetu, ut dens elideretur, et larga ſuccederet haemorrhagia. Qua ſopita cum nihil amplius mali ſubeſſe putarent parentes, rem neglexerunt, usque dum paulo poſt ſenſim ſuccreſceret durum tuberculum, primo fabam, deinde nucleum mali perſici, nunc, ut ſupra dictum, pugnum aequans, maxil-

maxillae lata baſi firmiſſime adhaerens, nullum tamen, praeter, quam qui ex genae extenſione, quia ſucceſſiva, tolerabilis erat, dolorem inferens. Parentes varios jam chirurgos adhibuerunt, ſed omnes incaſſum, ut et aquas Zeiſenhuſanas, quas, tum quidem, nihil non poſſe fama, ut in novis fieri ſolet fontibus, tulerat. Nullus erat foetor aut ptyalismus, aliudve fiſtulae latentis aut cariei ſignum, utut dentes ex ea maxilla omnes ſenſim eſſent extruſi a tumore. Judicavi fractam a jactu maxillam epulidi feciſſe locum, nec aliter quam chirurgica manu, licet non ſine periculo, forſan et ſine fructu tractari poſſe; ut ergo tempus anni paulo commodius, quam tunc erant dies caniculares, expectantes ſub autumni principium ad me redirent, interea vero ſarſaparillae decocto uteretur puer, auctor fui. Emanſit autem huc usque, nec quid ipſi porro acciderit, inquirendi porro eſt oblata occaſio.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. Johannis Davidis Mauchardi.

Impetus equi currentis mirandus.

Equus, caſtratus licet, ferox tamen et generoſus, aetatisque juſtae, quo et ego, dominum ipſius aegrotum viſitans bi uſus, habenisque ſatis obedientem, modo calcaribus non irritaretur, expertus ſum, paulo poſt juniori ſcribae traditus, ut et celerius mandata exſequeretur Domini, eum velociter, quo debuerat detulit. Eques vero iſte novellus et de caballo tam egregio ſuperbe ſibi blandiens, cum veſperaſcente coelo rediens, offenderet in oppido, per quod tranſeundum erat, antiquum ſodalem in priſtinae honorem amicitiae aliquot libavit pocula Bacchi, confiſus et equi et viae regiae bonitate, quam ſibi in reditu non minus quam exitu, patere non dubitabat. Cum autem nox inſtaret, tandem in viam ſe dedit, vix album a nigro valens diſtinguere. Dum autem feſtinandum ſibi putabat, equo

calcaria ſubdidit, haud procul a loco, ubi via regia aut principalis a communi abit; tum vero vel vino, vel tenebris, aut rapido equi curſu occoecatus non obſervat cataractam ſeu peſſulum ex trabe abiegna pedes quadraginta longum et duos fere craſſum; in eum ergo pleno curſu dum allidit fronte ſua equus, medium diffringit tanta vi, ut eques, longiori trabis parte, ob aequilibrium jam ſublatum, altius ſurgente, et in ſynciput ejus impacta citius, ex equo ſublatus, pone dorſum ejus proſterneretur, et aliquamdiu in deliquio jaceret, quam ſe alliſurum putaret. Paulo poſt viribus recollectis, et de equo ſollicitus, in pedes ſe dat, manibus, quod oculi nequibant, equum quaeſiturus. Vix autem paſſus decem confecerat, cum in eum impingeret, pauliſper adhuc palpitantem, et vix ſpatium ad ſellam habenasque detrahendas, ne pro jure ſuo (vero an ficto?) eas ſibi vindicaret excoriator, concedentem, quin ſub manibus expiraret. Altero die in excoriatione equus cranium in plura contudiſſe fruſta, cerebrumque ſanguine ſuffuſum monſtravit.

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. Johannis Davidis Marchardi.

Impetus equi currentis fere fidem ſuperans.

SI fidem vel tandem invenit prior mea Obſervatio, gratulor veritati non minus quam mihi; ſed, an et haec quae ſequitur, eadem poſſit gaudere fortuna, ipſe dubito. Homines, qui rem viderunt, adhuc in vivis ſunt plurimi, et qui perticam ſua manu tenuit, monſtratam a generoſiſſimo Barone, pridie mecum eſt locutus, actaque ſunt omnia haud ita diu, teſte non uno concurrente ad ſpectaculum plane inſolitum. Interim quod mihi in aliorum licuit obſervationibus, ἐπέχειν (nam proterve oculatis contradicere teſtibus foret impudicum nimis) nemini tantisper denegavero, dum vel inquirat ipſe, aut, ut ego rem non factam modo, ſed et a generoſiſſimo D. Barone depingi juſſam, plenius inqui-

inquiram, poſtulaverit. Habuit ſcilicet Generoſus ille, equum non caſtratum, nec tamen e generoſioribus, ſed currui alias trahendo deſtinatum, qui vero nec nimio labore ſolebat exhauriri, nec avena carere debita. Non ineptus ſimul equitationi traditur, abhinc biennio, uni ex ejus miniſtris, ut neſcio quae in proximo tranſigeret pago. Is, dum redit ad Dominum, ambages viae ſolitae longioris lucrifacturus, per prata facit iter, rivulum tamen mediocrem objectum habens, cumque ab eo non longe abeſſet, calcaribus equum concitat, ut ſaltu eo majori foſſam ſuperaret; id quod etiam feliciter contigit, ſed impetus ab equo conceptus ſimul cum foſſa non finitus, ſed adeo infauſte continuatus eſt, ut ille pectore in perticam ex juniori abiete, longam et acuminatam, qualibus ruſtici prata ſolent contra tranſeuntes defendere, et hos in via coërcere, illiſo, tranſigeretur et pertica non jugulum modo, ſed, quod praefiſcini dixerim! totum tranſiret equum, et per interfemineum ad trium (plures dixere nonnulli) pedum longitudinem promineret, ille vero non aliter, quam veru transfixus nolens volens gradum ſiſtens, paulo poſt expiraret.

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Fractura et luxatio vertebrae lumbaris anno demum exacto letbalis et ſectione deprebenſa.

VIx auderem hanc in apricum deducere obſervationem, niſi eam aequaret imo ſuperaret Obſerv. I. Cent. I. Ephemer. noſtrarum, certe fidem faceret, alias forte incredibili viſae.

Puer opificis egeni, ann. 14. ſed nanus fere et vix octennem aequans, macilentus, duro ſemper vitae genere uſus eſt, et diaeta tenui, dyſpepta et abſtemia, ut mirum non ſit juſtam aequalium ſtaturam non attigiſſe, ſat tamen ſanus, et, ut ſolent pueri, alacris. Is a ſodalibus in locum ſtramentis conſitum, adeoque

adeoque non durum, ex petulantia non malitia projectus, reliquisque inſultantibus ſat male eſt habitus, ut in lachrymas quoque ſolveretur, nihil tamen ſpeciatim vel in dorſo vel abdomine ſe paſſum poſtea teſtatus eſt; nec parentibus quicquam de illa laeſione retulit, multo minus dies, a quibus contigerit, in numerato habuit, cum nullibi poſtea doleret. Aliquibus autem diebus an ſeptimanis neſcio intercedentibus, dum ſolis die induit recens induſium, nudus a matre viſus, obſervatur habere in dextro inguine tumorem, ovi fere anſerini magnitudine. Ea territa mox chirurgo monſtrat, qui et mihi de eo refert, contendens eſſe herniam, me tamen contradicente, quod primo nulla herniis tantis alias communia oſtenderet phoenomena. 2. oblique verſus oſilium protenderetur tumor, non verſus proceſſum peritonei vaſa continentem ſpermatica; 3. quod ſuperne acutior, inferne latior eſſet, contra naturam herniae inguinalis, 4. nulla ſubeſſent inibi latitantium ſigna inteſtinorum etc. Interim nec tumor erat glandulae inguinalis, mollior quippe, diutius jam durans, et absque ſolitis phoenomenis; Eſſe denique tumorem anomalum, aliquando in pus abiturum, contendi, invito licet chirurgo, qui diagnoſi ſuae inhaerens per trimeſtre varia impoſuit emplaſtra, ligaturas applicuit, et alia herniis competentia fecit, ſed incaſſum, tumore nequaquam ſcilicet imminuto, ſed potius nonnihil aucto, verum adhuc ſine ſpe ſuppurationis. Interea puer plane nullos querebatur dolores, praeterquam quos ex decubitu imperato et ligaturis capiebat, illius quoque tandem pertaeſus in hypocauſto non ſolum, ſed et extra illud obibat, ſolus tamen nunquam deſcendit. Quartus agebatur menſis, cum ſtentor circumforaneus, medicus, chirurgus, celetomus (et omnia) huc accedens, audito ſolum caſu, et inſpecta urina, mox herniam eſſe, a ſe facile curandam, nugatus eſt, et viſo puero contendit eſſe herniam ilii, (novo ſane et inaudito mihi nomine,) ein Wamppenbruch.) Quicquid ego contradicerem, creditum eſt ſtentori, qui mercedem pactus, et dimidio ejus accepto, dedit tria vitra, quorum unam tincturam bezoard.

ab

ab ipſo ſtentore *frivole* confectam, aut certe evanidam, alterum eſſent. hyperic. tertium Elix. propriet. me judice ex viſu, olfactu et guſtu, continebant; cum pulvere ex abſorbentibus, fixis, oſſibus calcinatis, et forte tantillo ant. diaph. et emplaſtro quodam bolari. Hinc ſe alio conferens, ſuo tempore ſectione promiſſa, rem noſtrati cuidam chirurgo abſolvendam interim commiſit, arcana tamen ſua, non minus quam ille Hiſpanus in Epiſt amoeb. p. m. 28. ſtudioſe celans. Puer primum bene videbatur habere, ſed altera nondum hebdomade praeterita tumor in ſuperiori parte coepit molleſcere, rubeſcere, cutisque teneraſcere, et biduo poſt ſubito cum aliquali fragoris ſono ruptus eſt abſceſſus, et per foramen, majus piſum admittens, puris bene cocti, nec male olentis ultra libram eructavit. Ab eo tempore deprehenſum eſt, ſubeſſe ulcus ſinuoſum, quod tamen ſtylum explorantem, non niſi verſus pubem deſcendentem admiſit ſine magno patientis dolore. Ut prolixitate, ad rem ipſam non faciente lectori taedioſus non ſim, multa tranſiliens non neceſſaria, dico ſolum, menſe aut quod excedit, elapſo nihil mutatum, tandem chirurgus cum turunda extracto piſiformi oſſis fragmento non carioſo, ſed recenti obſtupuit non minus quam ego, cui extemplo monſtrabat. Cogitatum hinc de fractura vel fiſſura oſſis pubis, hincque facta inciſio ſucceſſive terna, usque ad os pubis, quod ſcabrum aſſerebat chirurgus, ſed illaeſum id deprehendebatur. Ab eo tempore nec parentes nec puer ulteriorem chirurgicam admittere voluerunt operationem, ulcusque palliative tractatum hectica ſenſim eſt conſecuta, puerque ultra annum clinicus tandem hecticus expiravit, nunquam vel minimum de lumbis, ſed interdum de cruris ſiniſtri dolore lancinante conqueſtus. Obtinui ut ad cauſam accuratius detegendam cultrum admitterent anatomicum; apertumque quaquaverſum ulcus, ſinum monſtravit verſus os ilii tendentem, quem ſtylo prius plumbeo hinc cultello aſſecutus, deprehendi vix calamum olorinum ſuperantem, pergere interne per oſſis ilii concavitatem, tribus infra marginem pollicibus, ſine illius carie

ſub cute os inveſtiente verſus vertebram lumbarem ultimam; eousque cum penetraret culter, aliquot ejus vertebrae fragmenta minora extraxi attonitus, at cum et illam vertebram in medio, utut non penitus, diffractam, ſed verſus ſiniſtrum latus adhuc cohaerentem, eodemque modo a prima oſſis ſacri vertebra luxatam, et utrinque ad dimidii pollicis latitudinem hiantem, non carioſam, ſed ita recentem, ac ſi proxime fracta eſſet cernerem, ſteterunt comae et vox faucibus haeſit; perpendenti ſcilicet morbi gravitatem, cauſae levitatem, phoenomenorum tam ſontico malo convenientium abſentiam, puerum poſt talem fracturam et luxationem trimeſtri adhuc ambulantem et gibbi denique, inflammationis, ſuppurationis, doloris, cariei in lumbis abſentiam, malo ultra ſedecim menſes durante.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. Johannis Davidis Maucharti.

Pes ſponte deciduus.

NEſcio an poſt Obſerv. 53. Cent. 6. Ephemeridum noſtrarum hanc meam proponere conſultum ſit; cum tamen aliquantum ifferant caſus et cauſae, judicium ſit penes Illuſtr. D. D. Praeſidem et Directorem. Foemina in pago haud longe a nobis abſente, ferebatur d. 7. Januarii 1716. ita fregiſſe tibiam, ut pes a trunco ſimul ſeparatus eſſet. Miratus rei novitatem mox eo excurri, et inveni eſſe uxorem viri alias mihi non ignoti, quique ſeptimanis aliquot antea me conveniens, conſilium pro uxore in dextra tibia gangraena detenta petierat. Juſſus autem adhibere chirurgum, ut per eum informarer accuratius, diſceſſerat abſque reditu aut facta relatione, proteſtatus tum contra uſum internorum. Inveni autem ſedentem in ſella, prope fornacem, vultu primum alacri, oculis tamen mox lachrymantibus, truncum dextri pedis protendentem, ne deligatum quidem (nam chirurgus, me citius accedens, faſcias ruditer obductas ſolverat) et ne guttam ſanguinis fundentem. Fractura erat in oſſe tibiae oblique, in fibula recte transverſa, extremitatibus cutis et muſcu-

lorum

lorum ne quaquam gangraenoſis, verum utrisque ad ſanationem ſe adaptantibus, labiis intro verſis, ſed inaequalibus, trium aut quatuor digitorum latitudine infra genu. Pes ſeparatus jacebat in ſcamno, niger, cadaveris inſtar foetens, emaciatus, durus et quaſi ligneus, in ſolo tarſo adhuc nonnihil mobilis oſſaque tibiae eundem cum trunco fracturae modum exhibebant, ita tamen ut tibiae fractura vetuſtior et pure jam ſiccato ſanguinolento foeda, fibulae vero recens et illibata manifeſte appareret. Os neutrum erat carioſum aut fragile, tibia concava, omni medulla caſſa, ſura diſparuerat, omnia quaſi fumo indurata. Inquirenti in mali occaſionem refert miſera: Sexagenariam ſe eſſe, plerumque ſanam et alacrem, (addebant alii, iracundam, rixoſam, in maritum iniquam) quatuor liberorum matrem. Sub finem Auguſti anno 1715. adhuc, bidui ſpatio, iter ſex milliarium confeciſſe peditem, poſt triduum reverſam eſſe ſanam. Biduo poſt ſub veſperam ſenſiſſe horripilationem, quaſi ex conſveto eryſipelate, unde lectum petierit, ſumto rob ſambuci. Mane ſubſequo, circa tertiam obortam eſſe diarrhoeam torminoſam, unde brevi quinquies dejecerit cum criſi et euphoria, ut circa ſeptimam ſurgens, munia ex ſolito faceret domeſtica, inſtar ſaniſſimae. Bihorio poſt offam ſibi paratura ſentit anorexiam et laſſitudinem, cumque ſola eſſet domi, integra familia in piſis demetendis occupata, lectum repetiit et impranſa in eo manſit ad veſperam usque, modo dormiens modo vigilans, absque notabili morboſo phoenomeno. Tandem ſurrectura, aſt linteo implicata, cecidit ex lecto quatuor prope pedes alto in pavimentum aſſeribus ſtratum, cum lecti integumento, itaque jacuit, quantum recordari poteſt, ad horae quadrantem, in deliquio. Quo diſſipato ſenſit dolores infra genu dextrum enormes, et hinc totum pedem occupantes, prae quibus nec jacere diutius, nec pedi valeret inſiſtere aut corpus erigere. Profuſa hinc in ejulatus, excitavit vicinas; quae accurrentes eam in pedes ſiſtere non poterant, ob dolorem infra genu dextrum. Inſpecto hinc loco inventam ſugillationem in

medio genu ſupra patellam putant eſſe culpam, reclamante licet aegra et locum dictum accuſante, ubi tamen, ut nec in reliquo pede vel minimum laeſionis erat veſtigium. Inunctionibus et fumigationibus hinc livor ille tractatus euporiſtis, nox tamen erat inſomnis, ob continuum illum dolorem lancinantem. Altero mane obſervatur rubor liveſcens totius pedis infra genu, terminatus in loco doloris;hinc ſenſim nigreſcebant pollex, deinde et reliqui ex ordine digiti, inde metatarſus, tarſusque absque notabili dolore, qui perſiſtebat ſemper infra genu. Adhibitus excoriator empiricus, certam non minus quam citam ſpondet opem, ſed,ut ſolent iſti homines, non praeſtat,pede toto ſenſim ad primum doloris locum nigricante, et, ut brevis ſim, apoſtemate ſub genu collecto et rupto, tandem plurimum puris ad ſeptimanas aliquot fundente, unde tota ſura fuit exhauſta, pes atrophia conſumptus et adeo frigidus eſt factus, ut ejus attactum pes ſanus horruerit, gangraena vero in ſaepius dicto primi doloris loco, ubi et ulcus ab apoſtemate relictum erat, ſubſtitit, et licet ſugillatio in genu difficulter fuerit diſcuſſa, eo tamen nunquam aſcendit. Patienter, utcunque licuit, vivam mortem in pede ſuo toleravit, imo circumtulit aegra,didicit enim tandem grallae adjumento in hypocauſto claudicando circumire, et mortuum pedem ſecum trahere. At quarto Januarii 1716. ſola domi ſedili pone fornacem inſidens, et extincto igne frigeſcere incipiens, iterum grallae ſubſidio lectum, parum inde diſtantem petitura, dum illam apprehendit, ſella eſt everſa, ipſaque cecidit denuo in pavimentum, nunc ſine deliquio, ſed eo majori cum clamore, quod praefractum a trunco pedem mox percipiens, lethalem metueret haemorrhagiam, miſerrima, ſub tantis adhuc mortem reformidans aerumnis. Accurrentes vicinae, conantur allevare, continuo vociferantem, ſeparatum eſſe a trunco pedem, quem inſpicerent. Ab illae rem inauditam et abſurdam reputantes, noluere diu. Reportatae autem in lectum faſcias ſolvunt, et rem uti dictum inveniunt, absque ulla vel minimae ſanguinis guttae profuſione.Sanatus etiam nunc truncus,ipſaque vivit

adhuc,

adhuc, jam fere biennio poſt pedis amiſſionem, relicta ſolum fiſtula, forſan propter oſſa inaequalia; Et, ſi bene conjicio, in primo caſu os tibiae, in altero fibulam fregit, unde primum gangraena; deinde pedis caſus.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. Johan. Davidis Maucharti.

Fungus enormis lethifer ex levi contuſione.

ANno ſalutis per Jeſum noſtrum reparatae 1712. Julio menſe accedit ad me chirurgus pagi vicini, ducens ſecum ruſticum pallentem, facie ſubtumida, ſcabrioſum, et, ut videbatur, cacochymia ſcorbutica multos per annos detentum. Is vero ſe inde pernegat affligi, ſed monſtrat pedem dextrum et tumorem in eo magnum ſub ſura (ut hanc duplicem putaret aliquis) ad calcaneum usque protenſum, durum, foveas imprimi non concedentem, non dolentem, reliquae cuti concolorem, nec mobilem, nec calentem aut rubentem: Aeger quadragenarius de prima occaſione interrogatus, refert ſe abhinc triennio vectum equo refractario, in via dubia et ſalebroſa, coactum deſcendere, et habenis illum ducere. Vix autem iter facere coeperat, cum equus gradiens velocius anterioris pedis ferrea ipſum tangeret ſolea, in loco, ubi tendo ille validus ex muſculis gaſtrocnemiis et ſoleo, chorda Hippocratis, oritur, ita quidem ruditer, ut per jugeri ſpatium cogeretur claudicare. Perfecit nihilominus iter, domumque reverſus nec doluit ulterius in loco laeſo, nec mali quidpiam et ne livorem quidem animadvertere potuit. Trimeſtri autem poſtea ſenſim enatum ibi percepit tuberculum, primo fabam, deinde avellanam, hinc malum aemulans perſicum, ſine dolore quidem notabili, at durum et immobile. Neglectim habitum intra biennium in eam, qua tunc erat, excrevit magnitudinem, et varia impoſita, ipſam picem, ruſticorum catagmaticum et abſceſſuum ſimul ruptorium ſprevit. Tandem forte incidens in hunc chirurgum, ad me, uti ſupra dictum, eſt adductus. Nullum abſceſſus latentis erat

 ſignum,

ſignum, nec conſtabat de oſſis pedis alterutrius vel fiſſura; (de qua tamen ſubdubitaveram) multo minus fractura; ganglion aſſerere non poteram, fungum negabat durities; uno verbo: mecum de tumoris eſſentia, nomine et curatione dubitabant chirurgi duo. Tentaturis emplaſtra ſua diſcutientia et alia reſolventia non reſtiti, pro corrigenda vero cacochymia ſcorbutica vinum praeſcripſi medicatum, quod tamen aeger neglexit. Omnibus diu in vanum adhibitis, chirurgi de apertione cogitarunt, nec, omni latentis vel puris vel alius materiae fluidae ſigno carere nos mihi cauſanti, obedivere. Facta hinc inciſione in medio tumore trium pollicum longitudine, et vix ultra cutem profunda, multum ſanguinis ex cute laeſa et tantillum materiae cineritiae ex tumore, cerebrum conquaſſatum aemulantis promanavit, aegro altum clamante et infantis inſtar vagiente; molliſſimus enim erat et impatientiſſimus. Facta hinc deligatione, dum chirurgi expectant ſuppurationem, altero die ex vulnere prominentem vident fungoſam carnem, nigrofuſcam, mali magnitudine, indolentem, et nec cultro quidem reſectam ſanguinis multum fundentem; mirati, ſubſequo die reperiunt altero tanto majorem, et ita indies auctum, ut caput pueri tandem ſuperaret; Multis denique libris fungoſae carnis ejusmodi reſectis, et ſummo foetore, ruſtici impatientiam, ob chronicam curationem, augente, cogitatum eſt de uſtione, quae adeo felix fuit, ut et foetor abigeretur, et fungus deſineret ſuccreſcere, jamque viva caro detegeretur. Tum iterum cogitatum de ſectione in tumoris lateribus, ne chorda illa tendinoſa laederetur. At ruſticus doloris impatiens ultra ſecundam aut tertiam vicem non toleravit. Propoſita hinc ſeptica, cum aeque dolorem afferrent, mox rejecta ſunt ab aegro. Hinc relictus prognoſtico in tertium tandem et plures incidit chirurgos et empiricos, carne fungoſa ſaepius recrudeſcente, aliquoties iterum deleta, tandem atrophia ſcorbutica exhauſtus moriebatur, me dolente, quod mortis ejus neſcius, ſectionem non potuerim inſtituere, et veram fungi iſtius rebellis et enormis indagare cauſam.

OBSER-

OBSERVATIO C.
Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.
Hydropis pectoris anatome.

REtulit mihi chirurgus quidam ex melioribus, et qui Auctores etiam practicos legere ſolet, (quod inter noſtros rarum) de ruſtico fiſtuloſis ulceribus in antico pectore afflicto, cum inſigni et cancrum minitante tumore. Quem biduo poſt illuc tranſiens cum inſpicerem, nihil equidem cancroſi, ſed toti ſterno inſtratum tumorem aequalem, venis nigris non diſtinctum et indolentem, ſed durum tamen, et ſcutum quaſi, pollices in medio ſeptem et plures craſſum, a jugulo ad praecordia demiſſum, et ab una ad alteram extenſum mamillam, ita ut ſenſim remitteret craſſities, et in margine extenuaretur, totum vero cavernoſum et foraminibus ſeu ſinubus, non aliter quam caſeum a vermibus exeſum, plurimis pertuſum, qua communicare invicem partim ſtylus hic immiſſus illuc tranſiens, partim decocta vulneraria per unum foramen injecta, per tria aut plura promanare ſolita, demonſtrabant. Interrogatus de prima occaſione, reſpondit ſe ante biennium equum juvenem et petulantem, capiſtro ſolum alligatum equitando ad fluenta deducentem, et cum iſte equum conſpiciens ad hunc omni tenderet vi, retinere volentem, excuſſum eſſe, cumque lorum manu adhuc firmiter teneret, per ducentos et plures paſſus in via ſaxoſa tractum eſſe pronum. Unde in pectore excoriatio et tumor inflammatorius, poſt dies autem aliquot repreſſus euporiſtis. Ab eo tempore ſenſim ortum eſſe hunc tumorem, nullis hactenus per varios chirurgos adhibitis curabilem. Succeſſiſſe ſenſim dyſpnoeam, quam, famoſis tunc maxime, aquis Zeiſenhauſenſibus interne et externe in magna copia uſurpatis correcturus indies pejus habuit, ita ut ſine ulla fere expectoratione, illaque ſolum aquea et parum mucoſa paucis diebus perveniret ad orthopnoeam, cum tuſſicula, agrypnia, anorexia, ſiti immoderata, cordis frequenti palpitatione, quibus adhibita ex lege methodi auxilio plane

non

non erant. Autem ipſi vellicaverat chirurgus poſſe ſuccuri tanquam ultimo remedio, paracenteſi pectoris, ego autem ut agonizantem verius, quam aegrotantem prognoſtico potius relinquendum duxi. Sed vicit aegri pertinacia et chirurgi perſuaſio, accedente neceſſariorum quoque ipſius conſenſu, ut invitus quaſi truderer, ad praeſentiam potius quam aſſenſum operationi, quam forte levamen, ſed breve et morte piandum allaturam praedixi, largiendum. Inſtituitur itaque pectoris paracenteſis in dextro latere, ubi ſe impenſius gravari, et corpore inclinato aquae latitantis motum ſentire contendebat aeger; omnibus rite obſervatis, quae Auctores in hac obſervatione praecipiunt, prodibant aquae ſeroſae ſubcruentae non foetentis, et absque ullo pure, librae propemodum duae, una vaſculo excepta, altera fere per corpus defluente, cum manifeſto aegri levamine, ita ut expeditius mox reſpiraret, et poſt ſumtum juſculum vinique cyathum, capite in pulvinar reclinato, quod multis diebus non licuerat, ſomnum caperet. Altero autem mane ſummo accurrit nuncius, expiraſſe miſellum paucis poſt operationem horis, et agnatos, ut cultro traderetur anatomico, non repugnare afferens. In ſectione mox inſtituta deprehendi 1. Tumorem iſtum ſterno incumbentem eſſe vere glanduloſum, palma lata in medio craſſiorem, ſterno annexum, cum mamillis utrinque confuſum, carnem illam in bobus ſucculentam in pectore aut jugulo reperiundum, noſtratibus der Bruſtkern / aemulantem, absque inſignioribus vaſis ſanguivehis, nec fungoſum ſed potius ſcrophuloſum. 2. Paracenteſin recte inſtitutam, dextrumque thoracis latus ab omni fere aqua evacuatum, pulmones in eo pallidos, ſero glutinoſo maximam partem farctos, alias illaeſos, et bis terve adnatos pleurae. 3. in ſiniſtro autem latere thoracis pulmonem fere penitus conſumtum, nigrum, pleurae agglutinatum, non tamen ulceroſum, aut pure ſcatentem, cum vero thoracis cavitatem ſero ſubnigro, craſſo, non tamen foetente ad menſuras noſtrates duas ſeu ℔ viij. plenum, cum tamen aeger de nullo inibi dolore, aut aquae ſub motu corporis, labentis ſenſu eſſet queſtus. Ut adeo et hic pateret, inutilem futuram fuiſſe paracenteſin, ſi vel tandem ex ullo ſigno aquam ibi latere, cognoſci potuiſſet.

OBSERVATIONVM PHYSICO-MEDICARVM ACADEMIAE CAESAREAE CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM

CENTVRIA VIII.

Ad Virum Excellentiſſimum
D. JOSEPHVM LANZONVM,
Proto - Medicum Ferrarienſem,

Dn. D. MICH. FRIDERICI LOCHNERI.

OBSERVATIO I.

De

Phthiriaſi Cordis Plinii Valeriani.

OTio literato ex praxeos taediis, Muſisque meis Humelſteinenſibus aliquantisper vacantem, adiit amicorum par ingenio et moribus chariſſimum, partim ut praeſentes praeſenti ſalutem dicerent, partim ut loci genio perquam amoeno tantiſper mecum fruerentur.

Invenerunt adhuc in menſa frugalis pran-

dioli reliquias, interque has raphani ſive potius radicis vel radiculae Columellae portiunculas ſale conſperſas, ori gratius quam naribus obſonium. Hiſcine dapibus, amicorum alter inquit, prandium claudis an incipis? priſcis enim temporibus, cum pane ante cibum urbani homines illo veſcebantur, Galeno Pergameno teſte, alvi ſubducendi gratia: Dioſcorides autem credidit, a cibo aſſumtum concoctioni conferre; praeſumptum vero, cibum in ſtomacho ſuſpendere, quod a Galeno tamen refellitur. In quam Graecorum Medicorum litem digitum intendit Joh. Bapt. Fiera Mantuanus in Coena, niſi memoria me fallit, haec canens:

Hinc eat aut raphanus poſtremo accumbat in orbe,
Menſa magis ſapida ſi ſit onuſta dape.

Et poſt illum Khuenius in Zodiac. Medicinae:

- - - - - ſumenda peracto
Illa cibo eſt, ut eum melius per membra, per artus
diſtribuat; praeſumta cibum ſuſpendit et angit.

Regeſſit ad haec alter: Sepoſita omni hac veterum Medicorum de raphani comedendi tempore controverſia, ſemper miſſum faciendum reputo, tanquam cibum illiberalem, ſtomacho gravem, cruditatis nutritium, flatuum genitorem fertiliſſimum. In ſubſidium voco, quem modo laudaſti Fieram:

In caput et dentes, limoſaque igne in ocellos
ſaevit, et hinc ſtomachus nauſeat aſſidue.

Peſtis eſt inſuper narium ſpirans mephitim, ut in veriverbium abierit. Sic enim Diodorus Synopenſis foedam paraſitorum adulationem taxans locutus eſt:

- - Οἷς ἐπειδὴ προσερεύγοι
Ῥαφανίδα, καὶ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν
Ἴα καὶ Ῥόδ᾽ ἔφασαν αὐτὴν ἠρισικέναι.

Quibus in faciem ſi quis ructet, radicula, (ſive raphano) *vorata, aut ſiluro putri, violam ipſam vel roſam dicent pranſum eſſe,* quibus teterrimum hujus edulii odorem Poëta ſuggillat. Vt taceam infamem illam τοῦ ῥαφανισμοῦ poenam, turpibus cinoedis et adulteris decretam, ob vim raphani aphrodiſiacam.

Et cum hinc inde adhuc plura, ut inter amicos fieri ſolet, diſputaſſent, meam tandem ambo ſententiam expoſcunt.

Tum ego in raphani effuſus laudes, tanto apud antiquos honore fuiſſe affirmo, ut Moſchion, Graecus Auctor, integrum *de raphano* volumen ſcripſiſſe dicatur; qui Moſchion, an idem ſit, cujus ſcriptum *inter Gynaeciorum ſcriptores* a Spachio relatum, vel ille, qui *de Hieroclis Syracuſii nave* apud Athenaeum ſcripſit, ſub judice lis eſt. Nec capio, cur vir quidam eruditiſſimus, contra omnem codicum lectionem, Marcionem Smyrnaeum, qui *de ſimplicium effectibus* ſcripta reliquit, ſubſtituat. Dicebatur veteribus Medicis ῥαφανὶς, quod ex Dioſcoride, Theophraſto et Galeno patet; poſteriores raphanon vocarunt. Attici braſſicam pariter ῥάφανον nominarunt; unde Plinio erroris creberrima anſa; quippe qui variis in locis raphanum cum braſſica confudit, illi tribuens, quae veteres de braſſica credidere. Quod vice verſa ab aliis factum, qui ad raphanum pertinentia braſſicae vendicarunt.

Contra fungorum et boletorum venenum aſſumtum, ſalutarem raphani uſum commendat

- - - fungi cui cura Nicander

in Alexipharmacis, cujus haec ſunt verba:

Ἀλλὰ ἢ ῥαφάνοιο πόροις σπειρώδεα κόρσην
Ἢ ῥυτῆς κλώθοντα περὶ σπάδικα κολούσας.

Quae Anonymus ſic vertit:

Tu contra raphani ſinuoſum corpus, et acris
Concede exciſum rutae de ceſpite ramum.

Ad quem locum Scholiaſtes pro ῥαφάνῳ, braſſicam accipiendam eſſe notat: δίδου τὸν καυλὸν, ἤτοι τὴν κεφαλὴν τῆς κράμβης, τουτέστι τὸν ἀσφάραγον. ἐπειδὴ ῥαφάνας τὴν κράμβην φησίν. Εὔχρηστον γὰρ πρὸς ἀντιπάθειαν. *Exhibe caulem, ſeu cymam, i. e. turionem braſſicae. Quippe raphanum braſſicam dicunt: utilis enim ex antipathia.* Fallitur tamen et fallit bonus vir, et dum nimium Atticus videri vult, in errorem non levem impingere videtur Clar. Avantio Not. in Fierae Coenam p. 146. id quod pluribus probat, oſtendens, proprium

prium et ſpecificum fungorum antidotum non braſſicam, ſed raphanum revera eſſe. Dioſcorides τοῖς ὑπὸ μυκήτων πνιγομένοις, *iis qui a fungis ſtrangulantur*, auxiliari ſcribit. Galenus quoque adverſus malos fungos ῥαφάνυς ὠμὰς, *radices crudas*, copioſe dari jubet. Vt Celſum omittamus L. 5. c. 17. Scrib. Largum cap. 198. Avicennam libr. 4. Fen. 6. Tract. 1. cap. 10. aliosque plurimos, qui in dictorum confirmationem adduci poſſent. Caeterum et hic meminiſſe juvabit ῥαφανοίδον κάταγμα, ſive facturam *raphani modo factam*, quae fit oblique ſecundum craſſitiem oſſis tantum, quam Paulus a patria Aegineta dictus alicubi deſcribit.

Ex Androcydis mente contra ebrietatem praeſumptus, optimus ejus evadit averruncus. Et quod omnia hactenus dicta ſuperat, in templo Apollinis Delphico adeo caeteris cibis praelatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum e plumbo, ut Auctor eſt *Plinius libr. XIX. cap. V.* Et ſequiori pariter ſexui, venuſtatis et elegantiae ſemper ſtudioſiſſimo, gratiſſimus raphanus non equidem ob odorem, quo caſtoreum, aſam foetidam, aliaque virulenta, foeminis tamen grata vincit effluvia, ſed quod ex divini Coi noſtri effato *libr. 2. de morb. mulier.* capillorum defluxum cohibeat: Et Poëta huic raphanum amicum eſſe canit, quae

- - - amat aeternas foemina pulcra comas.

Hiſtoriae naturalis promus condus modo a nobis laudatus, ab Aegypti regibus edoctus, *Phthiriaſin cordis* hoc raphani remedio abigi poſſe ſcribit.

Repoſuit amicus, quale nobis producis incognitum hucusque morbi monſtrum: nec enim hoc de malo audivi unquam, nil apud Plinium legi, ac praecipui clinicorum hujus dememinere morbi, nec pediculi cordis a quoquam, niſi forte per ſomniorum deliria, obſervati. Forte eodem ſenſu dicitur *phthiriaſis cordis*, quo *ſcabiem cordis* appellavit prudentiſſimus Prudentius Periſteph. Hymn. 2.

Quisquis tacendi intemperans
ſilenda prurit pandere,

vexa-

vexatur et ſcalpit jecur
ſcabiemque cordis ſuſtinet.

Quae verba poſt plures vanas conjecturas interpretatur Veſontinus Archiater in *Daedalmat*, de illis, qui tacere nequeunt, ſed veluti pruriunt, ut ſilenda prodant, hocque ipſo ſimiles mala ſcabie laborantibus, qui vix ſe continere poſſunt, quin univerſum corpus ſcalpant.

Cui tum ego per jocum, nonne reperta hominum corda ſuperficietenus pilorum foetura obvelata, quale in Ariſtomene Meſſenio obſervatum teſtatur Plin. libr. XI. cap. 37. et Val. Maximus libr. VIII. qui cor ejus hirtum ab Atbenienſibus viventi adhuc exſectum tradit, quod ab Lacedaemoniis factum fuiſſe Pauſan. in Meſſen. Stephanus Byzantinus verbo Ἀνδανία ex Herodoto, Plutarcho et Rhiano unanimi conſenſu pronuntiant. Firmat hoc in Hermogene Graeco Cael. Rhodigin. libr. IV. cap. 16. Hirſuta veterum corda ſtabiliunt noſtris ſeculis propiora exempla. In latronibus inſignibus ſe vidiſſe teſtatur Anton. Muret. Var. Lect. libr. XII. cap. X. Beniven. de abd. rer. cauſſ. 83. Amat. Cent. VI. c. 65. Bonet. Sepulchret. lib. II. ſect. VIII. obſerv. 37. et tandem Ephem. N. C. Dec. III. Ann. V. et VI. p. 251. Quis abſurdum quid protulerit, ſi pediculos pariter in hac piloſa cordis ſylva nidulari crediderit? Cum ex riſu jocum judicarent, quomodo revera ſe res cum phthiriaſi cordis habeat, urgent ſenſaque animi expoſcunt. Ajo igitur, quid revera de morbo hoc paucis cognito, ſentiam, plane quae de illo nota mihi et notata aperiam. Si vos capiat veterum Medicorum, qui morborum condiderunt Hiſtorias, auctoritas, Plinium vobis produco Valerianum dictum, Empiricum Marcello adhuc vetuſtiorem, quippe a quo inter Medicos antiquos recenſitus. Comenſem alii faciunt, quos inter Fumanellus libr. de Morb. in urin. viis: alii familiae illuſtriſſimae Pliniorum Caeciliorum in Veronenſi et Novo-Comenſi agro vendicant: alii Gallum credidere, aliam alii tribuere patriam. Doctiſſimus Medicorum Reineſius credit, nil quicquam prohibere, ſi Inſcriptio Gruteriana huic tribuatur:

D. M. C.
PLINII VALERIANI
MEDICI
QVI VIXIT ANN. XXII.
M. VI. D. V. PARENTES.

Operis ab ipſo conſcripti titulus eſt: *de re medica lib. V.* ſeu ut alii legunt: Ευποριςῶν ſive *facile parabilium medicamentorum opus.* Ejus de Febribus liber, qui collectioni Venetae de febribus inſertus, e pentateucho volumine excerptus. Nimis in hunc ſcriptorem iniquus Mercurialis *de art. Gymnaſt.* qui futilem et barbarum ſcriptorem Plinii nomine ſuperbire indignatur; adverſus quem Valeriani cauſam egit Nobiliſſimus Barthius Adverſ. p. 283. et Reineſius Var. Lect. libr. II. cap. VIII. qui multa in illis libris imputata eſſe ait, quae ſuorum ſeculorum ſtribliginem ornatiſſimae et caſtigatae ſatis latinitatis ſcriptori adfricuerint, et interpolatores ex Arabum medicina et linguis popularibus plurima huic Auctori, ejectis interdum melioribus, infarſiſſe putat.

Ethnicum hunc Auctorem profitenti Barthio, contradixit primo Reineſius: mox tamen mutata ſententia, cum nec vola nec veſtigium χριςιανισμȣ̃ in toto opere extet, ſuperſtitioſorum autem plurima, Barthii opinioni pariter acceſſit, quod etiam probat Leydenſis Academiae doctiſſimus quondam Praeco le Moine in erudit. diſſ. *Jehova Juſtitia noſtra.* p. 47.

Neque hoc diffitendum, Plinii Majoris libros, Valerianum ſtrenue exſcripſiſſe; unde nomen forſan ſortitus, et eo magis plagiarii titulum (inter quos optimo jure ab Excellentiſſ. Fabricio in Decad. Decad. Plag. refertur) mereri videtur, quod cum non paucos a Plinio majore indicatos Auctores alleget, ejus tamen tanquam fontis, ex quo hauſerat, plane dememinerit, nec verbulo unquam mentionem ejus fecerit. Aliquid tamen utilitatis in Majorem Plinium, ex hoc minoris ſive Valeriani plagio redundare,

dare, ex hac ipſa cordis phthiriaſi probabimus; exhibito prius loco ipſo ex ejus libr. IV. de re medic. c. 1. Edition. Colon.

Nam de raphani virtutibus diſputans: *Contra phthiriaſin*, inquit, *ſuccus ejus adhibetur, qui ſolus poteſt tenuitate ſubtili ad imi corporis liniamenta cor penetrare. Aegyptii enim reges, quibus erat ſtudium, ſcrutari corpora mortuorum, et cauſas valetudinum, occulta fide recognoſcere, in corde ipſo naſci ejusmodi vitium prodiderunt.*

Jungimus huic Plinii Majoris textum libr. XIX. Hiſtor. natur. ſect. XXVI. p. 588. Edic. Harduin. *Tradunt et praecordiis neceſſarium hunc* (nempe raphani) *ſuccum, quando phthiſin cordi intus inhaerentem, non alio potuiſſe depelli compertum ſit in Aegypto, regibus corda mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus.* Patet inde in omnibus editis Plinii libris legi *phthiſin cordis*, hoc eſt, ut Harduinus pariter interpretabatur, *tabem*, quippe qui morbus huic loco aptius congruere videretur. Tandem ingenue fateri coactus eſt eruditiſſimus Plinii Editor, ultra citatum a nobis Plinii Valeriani locum in MSt. Reg. I. *tiriaſin*, in Reg. MSct. 2. *phthiriaſin* diſerte legi, ut de vera reſtitutione loci, ope plagiarii non ſit ulterius dubitandum.

Maximus ſcrupulus haeret circa cordis pediculos, nulla ſcriptorum auctoritate firmatos, nuſpiam unquam repertos, ac deſcriptos. Sed ſciendum, turpiſſimum illum affectum, quem φθειρίασιν Graeci appellant, quantum, teſte incomparabili *Welſchio de Ven. Medinenſ. cap.* 2. ex hiſtoriis colligitur, videri duplicem. Vnus quidem ſi magna pediculorum copia in corpore vel ejus parte aliqua prognata, et cutem depaſcitur et carnem. Alter ſi animalcula inuſitatae formae, et vermibus proprie dictis ſimillima, aut etiam veri vermes in corpore generantur, qui affectus in genere phthiriaſis, ſi totum corpus occupet, pariter vocatur, vel ſi tantum in ejus parte aliqua propullulent, e. gr. in corde, tunc *Cordis* dicitur *phthiriaſis*. Quippe φθεῖρες non ſolum pediculos, ſed et alia denotant reptilia et animalcula; et φθεὶρ pro θὴρ apud Euſtachium. Hinc Pherecydis mor-

morbus, quem phthiriaſi periiſſe plurimi volunt, ab *Aeliano var. Hiſtor. libr. V. cap.* 2. per vocem θηριώδη *ſudorem beluinum* exprimitur, cum potius vertendum eſſet, *vermiculoſum* ſive *vermibus ſcatentem.* Sic in Strabonis de Acridophagis loco Geogr. libr. XVI. ἀπὸ θηριουμένης αὐτῶν τῆς σαρκὸς, a Xylandro aliisque vertitur: *eorum carne in ferina mutata*: rectius vertit Cl. Welſchius: *carne ipſorum in vermiculos ſive animalcula mutata.* Nec aliud quid ἀποθηρίωσις Acridophagorum apud Diodor. Sicul. L. III. c. 3. Θήρια enim apud Hippocratem non uno in loco vermes ſive interaneorum animalcula ſignificant. Et Dioſcorides, libr. III. 163. λεπτὰ θήρια vocat inſecta, Sarracenus vertit, *minutas beſtiolas*, et jam ante illum Janus Cornarius. Ad haec reſpiciens Plinius libr. VII. 52. Edit. Harduin. p. 84. ſtatuit: *Morborum tam infinita eſt multitudo, ut Pherecydes Syrius copia ſerpentum e corpore ejus erumpente exſpiraverit.* Conſentit Apulejus Florid. XV. *Eum Pythagoras magiſtrum coluit et infandi morbi putredine in ſerpentium ſcabiem ſolutum religioſe humavit.* Serenus Sammonicus ſerpentes hos Pherecydis *animalia tetra* vocat:

Sed quis non paveat Pherecydis facta Tragoedi,
Qui nimio ſudore fluens animalia tetra
Eduxit, turpi miſerum quae morte tulerunt.

Vel ut eundem morbum in Monarcha, cujus nomini parco, per *vermiculorum gregem* expreſſit feſtiviſſimus Belgarum Poëta:

Occidit a foeto roſus grege vermiculorum,
Carnificesque ſuos miſerando corpore pavit.

Dalechampius ut Plinium cum reliquis Graecis ſcriptoribus, qui Pherecydem phthiriaſi periiſſe ſcripſerant, conciliet, non vulgares pediculos, ſed ignotum genus latius, quos pediculos communiter ferales eſſe vult, et ex Graeca vocula ἑρπετὰ Plinii ſerpentes detortos eſſe; et quidem videntur ipſi hoc pediculo-

culorum genus, ab Ariſtotele jam deſcriptum *Hiſt. Animal. libr. V. cap.* 31 ἔστι γένος φθειρῶν, οἳ καλοῦνται ἄγριοι καὶ σκληρότεροι τῶν ἐν τοῖς πολλοῖς γιγνομένων. εἰσὶ δὲ οὗτοι δυσαφαίρετοι ἀπὸ τοῦ σώματος. *In pediculorum genere ſunt, qui vocantur feri; vulgaribus duriores, quique difficilius e corpore eximuntur.* Caelius Aurelianus, qui ſolus e methodicorum ſecta nobis ſupereſt, *Chronic. morb. libr. IV. cap. II. p.* 497. Edit. noviſſ. *naſci credit pediculos in partibus, quae capillatura conceptae ſunt* (Clar. Ammann. in margine legit *coopertae*, ſed in Edit. Lugdunenſ. quam poſſideo, vir quidam doctus, neſcio, utrum e MSt. an ex ingenio, adſcripſit, *conſeptae*) *ac nunc* conſueti *atque ſimplicis formae, nunc* ignoti, *hoc eſt, latioris, et duri magis, ac ſaevientes morſibus vehementer, quos quidem ferales appellant.* Tormentorum genus Aegyptiis ab Omnipotente immiſſum, hos pediculos extitiſſe reor. Si enim pediculorum nomen כנים *Cinnim*, a firmitate et ſtabilitate deſumptum eſt, (כון *Cun* quippe in Niphal נכון *nacon*, *ſtabile* et *firmum* eſſe ſignificat) כנים *cinnim*, ſtabile et firmum animalculum, et ut modo ex Stagyrita didicimus, δυσαφαίρετον ἀπὸ τοῦ σώματος, *quod a corpore non facile eximitur*, denotat. Hoc autem in pediculos vulgares capitis non quadrat, Proinde pediculi hi ferales vocantur Arabice *filiae durouz*, id eſt, *ſuturarum* aut *commiſſurarum*, propterea quod firmiſſime adhaereant corpori per ſuturas et commiſſuras conjuncti, ſic ſentiente incomparabili Bocharto. Vt veroſimile plane ſit, Aegyptios potius feralibus quam vulgaribus infeſtatos, inconſueto quippe malo. Plinius, quem jam citavimus, Valerianus, hoc pediculorum genus, quod ſint latiores et ricinis ſimiliores *feſſas ovium* vocavit; quas per abbreviationem vocis *ferales* factas eſſe credidit doctiſſimus Barthius, illuſtris non minus literis quam proſapia; notatus hinc ab eruditiſſimo Reineſio, qui ex Arabico *Feſſeſis*, quod apud Avicennam l. 2. Canon. tetr. 2. c. 277. *cimicem* ſignificat, detortum eſſe vult, ut lingua Latino-Barbarorum ejusmodi hybridis abundat. Fortaſſe fuit apud La-

tinos nulla propria inſecti hujus appellatio; κεοτώνας igitur ovibus innaſcentes ob ſimilitudinem vocavit inguinalium pediculorum genus. Diverſa apud varias nationes obtinuit nomina. *Piatolae* ſive *platulae* apud Valeſc. de Tarant. libr. 16. cap. 36. Arabes vocant *Zeccam*, et cimicem uno nomine vocant *alcorad*, quod forte a Graeco Κόρις, *cimex*, corruptum. *Zecca* ſecundum Italorum acutiſſimum Etymologum, a *ſugendo* quaſi *ſugica*, *zicca*, *zecca*. *Ferrar. Origin. L. Ital. p.* 318. Magnus Scaliger per jocum quaſi *caecam* vocat, Exercit. CXCIV. ad Cardan. Nobiliſſ. *Menagius nell' origini della Lingua Italiana*, quod mireris, a *ricino* deducit, *ricinius*, *cinius*, *cinicus*, *cicus*, *ciccus*, *ceccus*. Vel a voce τζιβίκιον, quo vetus in Homeri Odyſſ. Scholiaſtes utitur. Melius *platolae* vel *piatolae* nomen, quo Itali illud inſectum indigitant, a *blatta*, *blattola* deducit, quod tamen Ferrario diſplicet. Vaſcones *pezzoladas* vocant, Galli *morbions*, quo nomine deſcripſit Illuſtr. Tulpius Obſerv. L. IV. Germani, Filtzläuſe oder Blattläuſe. Deſcriptionem per microſcopium nobis dedit ſumme induſtrius Redi Fig. XLII. Nec in inguine tantum nidulatur hoc pediculorum genus, ſed in omnibus illis partibus, quae capillatura conſeptae. Sic *palpebrarum phthiriaſin* Galenus inter ſpecies ſcabiei recenſet: φθειρίασίς ἐςι περὶ τὰς ῥίζας τῶν βλεφαρίδων ψώρα, λεπίδας πιτυρώδεις ἀποβάλλουσα. *Phthiriaſis palpebrarum eſt ſcabies, quae ciliorum radices obſidet*. Galen. in defin. medic. Conf. Actuar. L. 2. περὶ διαγν. παθ. c. 7.

Alia quoque inſecta φθειρῶν nomine veniunt, plane a pediculis diverſa. Curculio in Gloſſ. Cyrill. vocatur φθεὶρ σίτου. Sic φθεὶρ θαλάσσιος dicitur ſcarabaeo terreſtri ſimilis vermis, plane a pediculo abludens; non ſecus ac apud Latinos ſcarabaeus, qui et taurus, *pediculus terrae* vocatur. Ita Diodorus Siculus libr. III. Acridophagorum morbum deſcribens, nunc ἑρπετὰ, nunc φθεῖρες appellat. Sic φθεῖρες pariter dicuntur τὰ τῶν πιτύων ἐξανθήματα, *picearum tubercula*, a ſimilitudine, quam ſibi quidam cum pediculis imaginati ſunt, unde Euſtathius Iliad. β. φθειρῶν, ſcri-

ſcribit, ὄρος Καρίας περὶ Μίλητον, πολλὰς ἔχων πίτυς, ὧν τὰ ἐξανθήματα ἔτω καλεῖται ὡς ὅμοια Φθειρσὶν. οἱ δὲ δίρκοι λέγονται, ὡς δηλοῖ Παυσανίας ἐν τῷ κατ᾽ αὐτὸ Λεξικῷ εἰπών. Δίρκοι οἱ Φθεῖρες. *Phthiron mons Cariae circa Miletum, multas pinus habens, unde quae effloreſcunt ſic appellantur, quia ſunt pediculis ſimilia; qui etiam dirci dicuntur, ut* in Lexico *ſuo dicit* Pauſanias. Vermes ſunt vites depaſcentes, ſi Cteſiae credimus, qui ad Hyparchi fluvii fontes animalcula deſcribit, quae arbores electriferas depaſcunt et corrumpunt; ὥσπερ ἐν τοῖς Ἕλλησι οἱ Φθεῖρες τοὺς ἀμπέλους, *ut pediculi in Graecia vites*. Quis vermes hos pediculis ſimiles pronunciet, niſi Arabicam Bibliorum verſionem in ſubſidium vocare velit, ubi Pſal. 77. v. 51. (Hebraeis 78. 46.) legitur: *Cibavit pediculum fructibus eorum*; cum Hebraea habeat: *et dedit bruchο proventum eorum*. Syrus *locuſtas* ſubſtituit. Itaque judicat maximus Bochartus, Arabicum *Alkamla*, pediculum, mutandum in *Alkamſa*, locuſtam. Et ſic patet φθειρῶν nomine venire pariter locuſtas aliosque terrae fructus depaſcentes vermes, qualia quoque animalcula viridia exiguo admodum corpore, pedibus ſex inſtructa, et in capite binis antennis, quae e rubigine produci ruſticorum vulgus credit. Sed et *pediculi roſarum*, quos acutiſſimi viſus Loewenhoekius in roſis deprehendit, coloris praſini, alis triplicitur complicatis inſtructos, potius ad vites depaſcentes vermes, quam ad pediculos referendi. Vid. ejus Contin. Arcan. Epiſt. 94. p. 9. ſeqq. Σκώληκας et Φθεῖρας pariter promiſcue dicunt Auctores. Sic 2. *Maccab. cap. 9. v. 9.* Antiochus Epiphanes, et *Actor.* XII. v. 23. Herodes Agrippa, foedis hiſce animalculis exeſi σκωληκόβρωτοι dicuntur, quos pediculari morbo ſive φθειρίασι, periiſſe fere omnes credunt. Stupendae orientalium linguarum eruditionis abyſſus, Bochartus Hierozoic. P. II. Lib. IV. c. 19. equidem non ſine magno errore eorum morbos ad phthiriaſin referri credit, cum potius a veris vermibus eroſos velit. Sed nec pediculi e vermium numero eximi queunt, quippe *Iſidoro Orig. libr. XII. cap. 7. pediculi, vermes cutis, a pedibus ſic dicti.* Hactenus

allata permoverunt doctiſſ. Kuhn. Not. in Aelian. Var. Hiſtor. ut σκωληκόβρωτος tantundem ipſi valeat, ac apud Heſychium in Vit. Philoſoph. φθειρόβρωτος. Et verbum φθείρω, a quo φθεὶρ deſcendit, indigitat omne illud vermiculorum et animalculorum genus, quod ex corruptione ſive putredine et generatione ſpontanea, absque praevio ſeminio, provenire credidit cana antiquitas.

Imo putredinem et cordis corruptionem ipſam a verbo φθείρω vel φθέρω dici poſſe, me perſuadet interpretatio loci Jerem. 43. v. 12. ex mente maximi Bocharti. Verſio Graeca legit: φθειριεῖ γῆν Αἰγύπτου, ὥσπερ φθειρίζει ποιμὴν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. *Excutiet pediculos terrae Aegypti, ut paſtor excutit pediculos veſtis ſuae.* Neque enim ſatisfaciunt haec Theodoreti: ut doceret, non perfunctorie bellum in Aegyptum geſturum, ſed illam exacte deleturum, ἀπεικάζει αὐτὸν ποιμένι τοὺς φθεῖρας συλλέγοντι, *eum cum paſtore confert, qui pediculos ſuos colligit*: nempe id accurate faciunt paſtores, quia otio maxime abundant. Haec, inquam, non ſatisfaciunt, quia in Hebraeo textu nihil ſimile habetur. Nec Prophetam veriſimile eſt, egregium bellatorem cum paſtore comparaſſe, qui pediculos ſuos eximit. Verum enimvero probat laudatiſſimus Bochartus latius, Graecos non ſcripſiſſe φθειριεῖ et φθειρίζει, ſed φθειρεῖ et φθερεῖ. ut ſenſus ſit, fore, ut Aegyptum deſtruat Nebucadnezar, quomodo paſtor deterit veſtem ſuam. Sic cordis corruptio et putredo a verbo φθέρω pariter *cordis phthiriaſis* hoc ſenſu dici poſſet. Tales autem cordis putredines et corruptiones per abſceſſus et ulcera dari, exemplis confirmat diligentiſſimus Sachſius in Ocean. macro- microcoſm. pag. 32. Sed prius ex probatis Auctoribus probandum firmandumque eſſet, phthiriaſeos vocabulo ipſam putredinem deſignari, quod nondum factum.

Demonſtravi hactenus, uti ſpero, ſatis, partem corporis vermibus quibuscunque afflictam indeque morboſam, phthiriaſi affectam absque medicorum ſcandalo dici poſſe. Nunc probandum mihi ulterius incumbit, an phthiriaſis cordis, ſive cor

vermi-

verminoſum detur? Maxima equidem Obſervationum caterva id probare ſatagunt, modo omnes αὐτοψίας debita, firmaque munitae eſſent veritate. Multae enim inter illas plane fabuloſae, plures fugitivis oculis obſervatae, ideoque fallaces, in plurimis illa ἀκρίβεια deeſt, quam hodiernum ſeculum in obſervationibus requirit, ut cor verminoſum inter pura puta mendacia retulerit Lucianus Germanorum, **Georg Rollenhagen in ſeinen warhafftigen Lügen** / c. 14. p. 198.

Teſte Ruffo Epheſio lib. 1. c. 33. δρακοντίδας ſive vermiculos in corde notavit divinus ſenex noſter, Hippocrates; ſed per ſimilitudinem, et, uti in ſcholis loqui amant, improprie hoc nomine deſignavit et comparavit venas, e corde ilico naſcentes, non aliam ob cauſam, quam quatergeminam reflexionem et implicationem aortae utriusque cum vena arterioſa, et arteria venoſa, teſte doctiſſ. Welſch. *de Ven. M.* p. 82. Ebn Maſvia Damaſcenus, vulgo *Meſue* dictus, de cordis vermibus mortem inferentibus meminit: ſed iſtorum temporum nimia credulitas, neglectumque Anatomiae practicae ſtudium ſive cadaverum rara inſpectio, dubias reddit ab Arabibus notatas hiſtorias; hinc propius ad tempora noſtra accedendum.

Plurimas vermium cordis obſervationes congeſſit χαλκέντερος Paullinus *in Append. Dec. II. Ann. VI. Ephem. Nat. Curioſ.* inter alia narrans: Luchteringae ad Viſurgim praepinguem prius ſuem, motibus convulſivis ſubinde emaciatam, cum mactaretur, in corde exhibuiſſe nidum vermium alatorum inibi ſtabulantium, qui totam cordis ſubſtantiam exederunt. Nolo ſtructuram horum vermiculorum latius deſcribere: vereor enim, ne relegentur ad Palaephatum περὶ Ἀπίστων et Agatarchidis apud Photium Patriarcham pediculos Acridophagorum alatos, magno cum pruritu et acerbiſſimo dolore e corpore erumpentes. Ad ſimilem ἱστορίαν ἐψευσμένην pertinet pariter vermis ille alatus in corpore pueri Confluentiae repertus, cujus Cl. Horſtius meminit *in Manuductione ad Medicin.* et vermis e Schenkio *in Obſerv.*

et Cl. Boneto *in Sepulchret. P. I. libr. II. Sect. VIII. Obſerv.* XXV. pag. 652. memoratus, albus nempe praeacuto roſtello, eoque corneo praeditus, Principis cujusdam cordi adhaereſcens. Ejusdem farinae cor bovinum, Glukſtadii recens extractum, cui utrimque firmiter adhaerebant bini ſcarabaei cornuti, viſcere non amplius integro. Sic Antigoni παραδόξαις ἱϛορίαις illud quoque accenſendum, quod publicae relationes Ann. 1676. d. 31. Decembr. nuntiarunt, nempe e Principis cujusdam Galli corde prorepſiſſe ſerpentem, et adhuc in eodem viſcere multos alios vermes repertos eſſe.

Londini pariter A. 1637. Edoardus May in Johannis Penant cordis laevo ſinu anguem bifidum flagelloſum obſervavit, qui et depictus et deſcriptus a M. Aurel. Severin. *de rar. Abſceſſ. libr. IV. p.* 281. quin et eundem anguem bifidum Britannica lingua deſcripſit memoratus Edoardus May, latine vero Riccardus London Londinenſis; ejusque pariter meminit Petrus Servius Pontif. Summ. Vrban. VIII. Archiatorum Comes, in Tr. *de Nat. artisque miraculis* p. 534. Omnia haec recenſente Excell. Sachſio *in Ocean. macro-microcoſm.* p. 38.

Abſit, ut his viris medica in arte omni exceptione majoribus, contradicam, ut potius hanc hiſtoriam θαυμασίαις adſcribam, vel cum eruditiſſimo Clerico in exaſciatiſſima *de lumbricorum latorum hiſtoria* cap. XIII. Polypos cordis nunc magis ac olim Medicorum choro notos fuiſſe, firmiter mihi perſuadeam; praecipue cum non minima polyporum cordis ſit differentia, et alii congrumatum ſanguinem, alii carnoſum, et membranaceum corpus, alii et vero utplurimum referant adipem, figurarumque inde conſiſtentiaeque conformitate differant, vermiformesque concretiones mentiantur. Forte illi vermes, quorum Obſervatio XIII. Decur. I. Ann. X. meminit, coloris albi, mortui tamen in ventriculis cordis obvii concreti adipis, polypoſi vermes etiam extitere. Vt hac ratione, improprie licet, polypus *phthiriaſis cordis* dici queat.

Plurimae igitur cum vermium cordis hiſtoriae ſint revera ſuſpectae; nolim tamen omnem omnibus denegare fidem, quippe ve-

pe veritati et oculis meis contradicerem, accuratiorique, quae omne dubium excludit, inſpectioni, huicque anſam dedit, longiori, quam par eſt, de Phthiriaſi cordis disquiſitioni:

Anno ſeculi hujus currentis ſeptimo vocabar in ſuburbium *Goſtenhof*, ad filiolam tredecim annorum, elegantioris formae. Corripiebatur haec tremore et palpitatione cordis in ſenſus incurrente. Sudor profluebat frigidus, eoque nimium ingruente, ex cordis tenſione nimia, mox Lipothymiae, motibus convulſivis ſtipatae eam infeſtabant; erratica ſemper febris, inſtantis paroxyſmi praenuntia, comite roſione circa praecordia intenſiſſima, pulſus remiſſio et intermiſſio. Hariolabar ſtatim vermes tragoediae hujus auctores, nidumque eorum quidem in recondito, minime tamen in corde, tam ſancte ſub umbone naturae cuſtodito, credebam. Fruſtra exhibitis medicamentis omnibus, debitis indicationibus ſatisfacientibus, ſelectiſſimisque ſemper immixtis anthelminticis, in pejus omnia ruunt. Solatium exinde nullum, paroxyſmi potius exacerbatio ſymptomatumque exaltatio. Ingruit pedetentim tabes, forma perit, vires labaſcunt, febris exaſperatur, deſperata omnia, denique nil niſi mortis imago

- - - - tetra cor occupat umbra;
Excutitur primum miſera, atque horrore rigeſcit
Spiritus: hinc ſubito langueſcens opprimitur cor,
ipſaque mors

poſt bimeſtres cruciatus tandem ingruit. Aperto, renitentibus primo parentibus, quod ut plurimum apud nos fieri ſolet, pectore, cordisque penetralibus nudatis, inſpectoque ejus domicilio, quaerimus diri morbi auctores, et in ſiniſtro cordis ventriculo invenimus vermiculorum nidum, tenuiorum, rubicundulorum, mire ſe moventium reptantiumque, haud equidem abſimilium illis, ſi colorem exceperis, quos in cordis ciconiae ventriculo in Academia Julia a D. I Kelnero obſervatos, ſcribit Paullini loco jam cit. Quis hunc affectum cordis phthiriaſin fuiſſe neget? Plures autem caſus ſimiles dari et cauſas, frequentior Anatomiae practicae uſus et crebrior cadaverum inſpectio evincet.

Poſi-

Poſita ſic extra omnem dubitationis aleam hypotheſi, vermium in corde nidulantem gregem phthiriaſin producere cordis, rationem nunc ſuppeditat, quem modo laudavimus, Excell. Clericus Tract. de *lator. Lumbricorum Hiſtoria* c. XIII. Si cujuscunque generis vermes, aut vermium ſemina in ſanorum ſanguine contineantur, (id quod ex vermibus in venis vaſisque ſanguineis repertis patet;) facillime quoque hac ratione intelligere poterimus, cur in corde ipſo, in cerebro, aliisque omnibus corporis partibus, hujusmodi inſecta inveniri potuerint, quandoquidem nulla non corporis pars ſanguine alluatur, ac proinde vermes cum ſanguine advectos eorumque ova recipere interdum poſſit. Verum vermes iſtos omnes re ipſa exiſtere, exemplis factisque, quorum veritas per ſe pateat, prius demonſtret aliquis, eorumque formam accuratius, quam adhuc factum eſt, tradat, ut rem eſſe certi ſimus, antequam, cur ita ſit, disquiramus. Aurea certe viri prudentiſſimi et cautiſſimi clauſula, omnibus obſervationum collectoribus imprimenda.

Praeter *cordis phthiriaſin* datur etiam *pericardii phthiriaſis.* Riolanus haud poſtremus Anatomicorum Pariſienſium *in Enchirid. Anatom. et Pathol. l. 3. cap. 4.* intra pericardium vermes gigni affirmat, et hoc de affectu Salium ſcripſiſſe prodit; nec intra cordis ventriculos vermes reperiri negat, qui tamen cavam intra venam geniti eo pervenere. Jam olim Alexius Pedemontanus *libr. I. Secret.* proponendo remedia contra vermes cordis et capſulae, in morbo, quem *lunaticum* ipſe vocat, ſigna ponit palpitationem cordis, totius corporis tremorem lipothymiam et ſyncopen, totius corporis pallorem et refrigerationem, ſudoris eruptionem circa thoracis et cervicis partes. Cenſet autem de lunatica paſſione Witebergenſium AEſculapius Dan. Sennertus, rem non ex vermibus in pericardio naſci, ſed ex inteſtinis in orificium ventriculi aſcendentibus, quod καρδία appellatur. Et haec quidem conſentiente antiquitate Sennertus judicat: ſtomachum quippe pro corde Lucretium, ut καρδίαν pro ſtomacho Thucydidem dixiſſe, doctiſſime animadvertit *Mercurialis libr. I. variar. lect. I. cap. 1.* Egre-

1. Egregius huc collineat Tralliani locus libr. 7. c. 9. p. 142. quo demonſtrat a vermibus repentinam mortem aeque ac ſyncopen oriri poſſe. οὕτω γὰρ καὶ τὰ θηρία ταῦτα θανάτους αἰφνιδίους ἐργάζονται καὶ συγκοπὰς οὐδὲν ἧττον τῶν ὀλεθρίων χυμῶν. *Nam haec animalcula adeo repentinam mortem et ſyncopas non minus quam pernicioſi humores inferunt.*

Sed firmanda erit pluribus adhuc exemplis phthiriaſis pericardii. Hartmann. in *Prax. Chymiatric.* c. 30. in capſula et corde gigni pariter vermes credit, et cognoſci ex puncturis et doloribus cordis, et diagnoſticon eſſe convulſionem. Similem caſum recenſet e MSt. Stockeri Bonetus *in Sepulchr. P. I. L. V. Sect. VIII. Obſerv. 25. p. 652.* et ex Petri Sphererii Archiatr. Moguntin. Obſerv. refert, ſubitaneae mortis cauſam fuiſſe vermem vivum in cordis capſula. Vid. quoque Zacutus *Luſit. Prax. med. admirab. L. 2. Obſerv. 39.*

In Epidemiali conſtitutione, ubi aegri cum convulſione et continua cordis palpitatione moriebantur, in ſingulis capſulis cordis affixos invenit vermes, magnitudine minimum digitum aequantes, Petrus a Caſtro Archiater Mantuanus, id quod ex ejusdem Praxi MSt. excerpſit laudatiſſimus Sachſius a Löwenheim *in Ocean. Micr. Macr. p.* 89. Sic illuſtr. Baglivius Excell. Dno. Andry obſervationem communicavit, quam Tractatui Gallice inſcripto, *de la generation des vers* Chap. 14. edit. del Ann. 1714. inſeruit, de verme palmam unam longo, nigro et piloſo in pericardio viri cujusdam reperto. Vir iſte poſt atroces ventriculi et partium adjacentium dolores, motus convulſivos, cum pallore faciei et proſtratione virium toto corpore, octies in hora diu paſſus fuerat. Quibus exemplis jure meritoque addimus illum, qui de corde eruditiſſime ſcripſit, ejusque penetralia accuratiſſime rimatus eſt, Lowerum innuo, *Tr. de Corde* cap. 2. *Saepenumero*, inquientem, *vermes intra capſulam cordis geniti arroſione ſua, magnas cordi aliquando moleſtias faciunt, atque cordis tremore, anxietate, pulſu ſaepe intermittente, dolore pungente et ſyncope ſe produnt.* Quo in caſu vir fidiſſimus reme-

dium promit ad debellandam ſymptomatum ab his noxiis animalculis catervam; cataplaſma nempe e foliis Cinarae, Tanaceti et Abſynthii vulgaris, aceto vini albi acerrimo incoctis, et cum Mithridatio mixtis. Hoc remedio regioni cordis bis applicato palpitationem cordis, et pericardii phthiriaſin penitus diſſipatam vidit; id quod adductum Lovverianum facto experimento confirmat Excell. Helwichius *Obſerv.* 188. *Ann. V. et VI. Dec. III. Ephem. noſtr. Nat. Curioſ.*

Jungimus huic externo remedio, quod nobis in phthiriaſi cordis ſuggeſſit, uterque Plinius in locis a nobis jam adductis, internum illud raphani pharmacum. Scilicet hoc ipſo remedio eruditiſſimus quondam Borrichius *in Hermet. AEgypt. et Chemic. Sapient. c. V.* doctiſſimum Conringium, qui cum editis omnibus exemplaribus *phthiſin* cordis legit, convincere conatus eſt, *phthiriaſin* legendum eſſe. Noverat quippe Plinius probe phthiſicos offendi acribus, eoque mel Atticum, reſinam laricis, et cochleas Africanas iisdem commendat Libr. XXVIII. et L. XXX. eoque docere hic inſtituerat, per phthiriaſin cordis vermes in ſinubus cordis haerentes intelligendos, quibus enecandis tollendisque convenientiſſime ſervit raphanus.

Haec Danorum gloria Borrichius, qui ad firmanda ea, quae de raphani praeſtantia in phthiriaſi cordis dixerat, ſequentia e viri in praxi medica expertiſſimi Gabelchoveri Cent. III. c. 1. ſubjungit: *Quando generantur vermes ſub corde, vel ſub capſula cordis, et faciunt puncturas et dolores, et medicamenta dantur cordialia, nihil proficiunt, et aeger moritur. Sed vera cura eſt talis. Recipe ſucci allii, raphani et naſturtii, detur et ſtatim curabitur. Credo experto, quia verum eſt. E MSt. Joh. Stokkeri, illuſtris ſuo tempore Medici, experimentorum libro depromtum, cujus veſtigiis volui inſiſtere, et curatio, Deo ſit laus, bene ſucceſſit, ita ut cito convaluerit, et jam optime ſe habet in conjugio vivens aliquot liberorum parens.* Ad expellendos hos pariter vermes in cordis penetralibus nidulantes et phthiriaſin cordis producentes in praxi ſua, quae feliciſſima erat, eosdem raphani,

ni, allii et naſturtii ſuccos commendat tempore ſuo Germaniae noſtrae in arte medica praeceptor communis, Sennertus. Eadem mens erat jam Hartmanno, qui animadvertens, prae coeteris virgines huic malo praecipue obnoxias eſſe, talem curationis inſtituit methodum. Sepoſitis cordialibus, ad quae medicorum vulgus in omnibus ſic vulgo dictis cordis affectibus tanquam ad ſacram confugere ſolent anchoram, hoc tamen in caſu, ſi non noxia, inutilia certe deprehendit; Mercurio vivo purgato et cum ſaliva jejuni mortificato vel ſucco limonum temperato ad ℈j. cum conſerva Roſarum ℥ß et Benz. gr. iij. vermes abigere ſatagit. Sed cum ſuboluerit ſagaciſſimo alias Chemico, et renaſcentis tunc in Germania noſtra artis hujus Camillo, hoc remedii genus nonnullis fore ſuſpectum, mox ad Mercurii infuſionem in ▽ frig. vel aquam ex alliis caepisque deſtillatam ad uncias duas vel tres delabitur; tandem malo pertinaciori inhaerente convulſionumque paroxyſmis recurrentibus, (quod pathognomonicum vermiculi cordialis credit,) in extractis ſpecificis allii, raphani, naſturtii aquatici ſecurum quaerit refugium, quae ad ℈j ex brodio vel jusculo praemacerato raphano exhibet. Extractorum autem penuria ſuccos harum ſpecierum omni mane ſvadet, et eorum parata ſalia pariter ſalutaria praedicat.

Illud denique, ut brevibus me expediam, in artis noſtrae divinae gloriam vergit, hoc remedii contra cordis et pericardii phthiriaſin ab Aegypti regibus ſuppeditatum fuiſſe genus, illosque Anatomiae practicae in ſecandis cadaveribus, ſi non manus, operam certe admoviſſe, ambobus teſtibus Pliniis. Siccine, inquies, hoc regium exercitium, interiora corporis noſſe? Vtique. Manethonem apud Euſebium Pamphil. in Chronic. in ſubſidium voco, qui Athoſtin antiquiſſimum Aegypti regem, artem Medicam exercuiſſe non tantum teſtatur, ſed et libros Anatomicos conſcripſiſſe. Idem Euſebius memorat, ſe pariter Nechepſus Aegypti regis ſcripta medicinalia vidiſſe. Meminit etiam regis hujus Aëtius Amidenus Tetrabibl. I. Serm. 1. quo loco de Anthemo ſive Chamaemelo diſſerit, et idem ejusdem Tetrabibl.

Serm 2. c. 19. et 25. ubi eum Regem appellat; et iterum cap. 47. et Tetrabibl. 2. Serm. 2. cap. 92. et Tetrab. 4. Serm. 3. c. 12. Hujus quoque mentionem injecit Vectius Valens Antiochenus in libris, quos inſcripſit, *Antilogias*, et Galenus *libr. ſimpl. medicam.* 9. ubi de Jaſpide viridi tractat, eumque citat ex libr. VI. atque X. Sic Julius Firmicus Maternus *Aſtronom. libr. IV. c.* 16. illum vocat juſtiſſimum Aegypti Imperatorem, et illum pariter fuiſſe optimum Aſtronomum, omniaque vitia et valetudines collegiſſe atque omnium aegritudinum medelas divinae rationis magiſteriis adinveniſſe. Et libr. VIII. cap. 3. adhuc illum divinum facit. Magicae artis peritum fuiſſe Euſebius Chronographus vult. Hinc Auſonius Epiſt. 19.

Quique magos docuit myſteria vana Necepſus,

vel ut alii legunt, *Necbepſi*. Tiraquellus credidit, hunc regem fuiſſe, quem *Necbephien* vocabat Artabanus; ſcilicet illum Aegypti regem, qui Moſem carceri tradidit, quod populum liberare ex Aegyptiaca ſervitute conaretur: ſed optime Notis ad Auſonium judicat Vinetus, hujus nominis plures Aegypti fuiſſe reges, ut nil certi, qualis fuerit, ſtatui poſſit.

Jungimus binis his Aegypti regibus, artis noſtrae ſcientiſſimis, tertium, ab antiquis jam Auctoribus Necepſo junctum. Sic utriusque meminit Plinius *Hiſt. natural. libr.* 2. *c.* 23. *et libr.* 7. *c.* 49. Julius Firmicus autem elegantiſſimo mactat elogio libr. IV. *Aſtronom. in Praefat.* p. 45. *Quare illi divini viri*, ſcribens, *atque omni admiratione digni, Petoſiris Necepſoque, quorum prudentia ad ipſa ſecreta divinitatis acceſſit, etiam mundi genituram divino nobis ſcientiae magiſterio tradiderunt &c.* et iterum libr. 4. c. 5. illos vocat *divinos viros et ſanctiſſimae religionis antiſtites.* Aſtrologica ſcripſiſſe Suidas auctor eſt; Petoſiris epiſtolam Aſtrologicam ad Necepſum regem ſcripſiſſe, de ratione praeſciendi futura, ex literis nominis cujusque, quibus numeri deſignari ſolent, Vinetus teſtatur. Extare in Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi MSS. auctor eſt Excell. P. Lambecius L. VII. p. 118. et Neſſel. in Catal. MSS. Bibl. Vindob. In Bibliotheca MSS. Medici

dici Pariſini doctiſſimi, Renati Moraei Ph. Labbeus in nov. Bibliotheca MSS. p. 213. Ejusdem Petoſiris ad Nechepſum regem organum Aſtrologicum aſſervari, teſtatur quem modo laudavimus Lambecius loc. cit. Praeter hoc Aſtronomiae ſtudium medicam pariter artem calluiſſe Petoſirin, teſtis eſt Juvenalis ſatyr. VI. v. 378.

Aegra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

Petoſiris ſcripta pluribus expoſuit et illuſtravit Manetho in libr. VI. Ἀποτελεσματικῶν, ut ipſe fatetur libr. I. v. 11. ſeq.

Ὄφρά κεν ὅσσαπερ αὐτὸς ἐπιτροχάδην Πετόσιρις
Εἴρηκεν, τάδε πάντα μάλ' ἀρεκέως καταλέξω
Ῥυθμοῖς ἡρωικοῖσι καὶ ἑξαμέτροις ἔπε' ἔσσιν.
Vt quae ipſe obiter et curſim Petoſiris
Dixit, ea omnia certe clareque memorarem
Rythmis heroïcis et Hexametris cantibus.

Vid. inſuper Excell. Gronovius Not. in Maneth. p. 266. Vt nil de Apide Serapideque primis Aegypti regibus, Medicinae omnis inſtauratoribus dicam, de quibus pluribus in Serapiade et Mythologia Serapidis Medica. Aegyptiorum haec regum in artem hominibus ſaluberrimam propenſio quod immenſum creverit; et reliquas nationes excitavit, ut Aegyptum adierint, Medicinae diſcendae gratia. Maxima in veneratione prae reliquis erant Alexandrini, ut ex Ammiani Marcellini elogio Hiſt. libr. XX. cap. XVI. p. 267. Edit. Gronov. *ſuffecerit medico, ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum.* Hinc Juliani Auguſti νόμος περὶ τῶν Ἰατρῶν, *lex de Medicis*, qua immunitates medicis Alexandrinis datas confirmat, et a ſenatoriis muneribus liberos vivere juſſit, ut arti σωτηριώδη eo melius vacare poſſint. Libanius in libr. IV. epiſt. 95. ad Marium de Chryſogono Phoenice diſcipulo ſuo loquens, ait, eum relicta ſchola ſua navigaſſe in Aegyptum, ut medicinam ibi cito diſce-

ret ſub profeſſore magno. Idem teſtatur etiam Theodoritus in Epiſt. 224. Et Galenus ipſe pronior in gloriam Graecorum quam Barbarorum, ingenue confitetur peritiam Anatomicam Aegyptiorum et praeſertim Alexandrinorum. De Adminiſtr. Anatom. L. I. *Hoc autem ſit opus tuum*, ſcribit, *hoc ſtudium, ut non librorum modo lectura, verum ſedula etiam inſpectione, fideque oculata, cujusque oſſis humani ſpeciem accurate perdiſcas. Quod quidem Alexandriae multo facilius facies, ubi Medici oſſium diſciplinam auditoribus ante oculos exponunt.* Imo πολυτρύλλητον dogma, hominem microcoſmum eſſe, et macrocoſmo analogum, Aegyptiis originem debere, luculento ſermone expoſuit Julius Firmicus Maternus Matheſ. libr. 3. E quibus locis clare patet, anatomen Aegyptiorum non inſtitutam fuiſſe in uſum tantum condiendorum cadaverum, quod celeberrimo cuidam viro placuit, quod diſertiſſimis verbis confutatum a Plinio ſeniore et juniore pariter, quorum loca adduximus pro ulteriori confirmatione cordis phthiraſeos.

Quo ipſo recitandi finem faciens, cum ilico ad me, Non eſt, quod nos amplius morbo hoc Pliniano vexes: eſt enim res ſatis expoſita, et dilucide explicata. Quippe cum veſpera appeteret, et campanae in urbe noſtra ſonus zephyro flante finem diei adeſſe indicaret, valedicentes lentis in urbem redeunt paſſibus, relinquentes me otio meo literario et receſſui optatiſſimo.

OBSERVATIO II.

Dn. D. Michaelis Friderici Lochneri.

De Conyza majori flore pleno, et Orabanche hypopyti flore puniceo.

PLantae exoticae, Conyza Peruviana fruteſcens foliis anguſtioribus nervoſis a R. P. Feuillee, in libro: *Journal des Obſervations Phyſiques Mathematiques et Botaniques &c.* delinea-

ta,


Conyza major fl. plen.
Orobanche fl.
Hypogtis punico.

ta, aeque ac Conyza Africana humilis foliis anguſtioribus nervoſis, floribus umbellatis, ab immortalis gloriae Botanico Tournefortio *Inſtit. Botanic.* ſive *Rei herbar.* 455. deſcripta, revocant in memoriam conyzam majorem noſtratem flore pleno, quam Ratisbona mihi delineatam transmiſit Botanophilus et Artis Pharmacevticae callentiſſimus, Johannes Guilelmus Weinmannus. Reperit illam non in hortis cultam, ſed ſponte a polydaedala natura productam flore pleno elegantiſſimo ad Danubii ripas et vinearum ſepta, infra *Donauſtauf* ad *locum Bach* dictum, ſesquimilliari Ratisbona diſtante: nec unicam tantum plantam, ut luſum crederes naturae, ſed plures cum aliis amicis Florae amore captis communicatas, ulterius in hortos inter elegantiores pulvillorum flores propagandas. An haec pariter Conyza major flore pleno vim illam ſtomachum roborandi poſſideat, quam in decocto exoticarum modo memoratarum adeo praedicant, experientia docebit magiſtra. Certe conyza vulgaris in Germania Inferiore ob virtutes ſingulares vocatur Neumanns Krafft.

Excell. Menzelius in Pugill. rarior. plantar. ejus Indici polyonymo affixo, Orobanchen hypopytin luteam depinxit; Weinmannus noſter in udoſo ſolo ſylvae Paintenſis, non procul ab officina vitris parandis deſtinata, orobanchen hanc detexit, non luteo ſed puniceo flore, plantam ipſam vero coloris ad fungos accedentis, cum capſula ſeminali cucurbitiformi, ſemina fuſcula minutula includente, quibus ſe multiplicat, ſi ſolo inferatur uliginoſo, cum ſiccius abhorreat. Spithamam planta longitudine aequat extra terram, radice in filamenta abeunte.

OBSERVATIO III.

Dn. D. Michaelis Friderici Lochneri.

De ferali quadam melancholiae uterinae cauſa.

Quod de Mileſiis virginibus libidinis oeſtro percitis, exindeque ob denegatum venereum congreſſum, violentam ſibi mor-

mortem inferentibus prodidere veteres, proh! dolor hodie recrudeſcit malum, eo certe execrabilius, quod a Chriſtianis patretur illud crimen, paganis ipſis olim deteſtatum et abominatum.

Horret animus meminiſſe aliquot juvencularum, quae Melancholia hyſterica eo adactae fuere, ut puteis profundiſſimis ſe immerſerint ad flammas illas infelices extinguendas, utinam aeterno gehennae igne non luendas. Juſſu illuſtr. Magiſtratus aperta cadavera ob impraegnationis non levem ſuſpicionem, eandem oſtenderunt tragoediae feralem cauſam. Ovaria nempe turgidiſſima ruptionem, ſi poſſibile foret, minitabantur; quibus diſſectis in oculos ſtatim incurrebant ovula, vix alias conſpicua, ex libidinoſo orgaſmo in tantum diſtenta, ut magnitudinem mediocrium piſorum aequarent. Id quod in juvencula hyſteromaniaca, ob commiſſum e vitae taedio homicidium capitis ſupplicio affecta et Altdorffii cultro Anatomico ſubjecta, obtigiſſe pariter recordor. Firmant haec thema meum inauguralis quondam diſputationis *de virgine gallica nymphomaniaca*, et quae in ſimili caſu et cauſa retulit Cl. Blancardus in Collectaneis Medico-Phyſicis.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. Marci Gerbezii.

De Haemorrhoidibus Caecis.

DE haemorrhoidibus, circaque eas frequenter accidere ſolitis incommodis plurima quidem hactenus annotata leguntur apud Hippocratem, Galenum et alios, praeſertim apud Frommannum in tractatu ſpeciali *de haemorrhoidibus*: nondum tamen adeo exacta omnia, ut eis adhuc quidpiam ſuperaddi non poſſit: et quidem illud ipſum, quod Ego elapſae aeſtatis Julio menſe ad finem vergente in memet ipſo expertus ſum: nempe ſingularis effectus *ſuffitus terebinthinae* ano excepti, appli-

applicationis *unguenti albi camphorati*, et *pulveris Cochlearum oeſtrearum calcinatarum*, *nec non potus decocti rad. et herb. ſcrophul. et chelidonii min* praenotatum vero velim me haemorrhoidum fluxui jam a plus quam 20. annis fuiſſe ſaepius per annum obnoxium, et quidem primis aliquot annis absque notabili moleſtia, poſtea vero ſubinde cum aliquali intumeſcentia et dolore, praeſertim poſt violentiorem in itineribus motum, corporis incaleſcentiam, meracioris vini hauſtum, et caſu ſubinde intercurrentes knioſas diarrhaeas. Vtcunque vero me ſive fluxus copia, ſive dolorum vehementia cruciarint, eis ſemper tempeſtivum, et opportunum remedium adinveniendi ſortem habui, excepta ſola elapſa aeſtate, dum poſt triduanam, ceraſorum eſu, uti reor, excitatam diarrhaeam me tantus haemorrhoidum caecarum dolor inceſſerat, ut ei ſufferendo fere impar factus fuerim, dum tamen aliis vicibus, quoties in ſimilem diarrhaeam me incidere contingeret, eae ſemper ſponte ſua aperiri, et fluere ſolitae ſunt, dolore, ſi quis ſupervenerat, paulo poſt ſponte ſua, vel remediis conſopito. Hac vice vero, quidquid adhibui, adhibui fruſtra: quin imo pinguia, et oleoſa quaecunque, inter quae erat etiam famoſum illud unguentum *de Linaria*; item quaecunque actu calida notavi mihi notabiliter dolorem exacerbaſſe: excepta ſola *caepa aſſa*, et ſacculis paregoricis ex herba, et floribus *linariae*, *verbaſci*, *et hyoſcyami cum farina ſem. lini*, *faenugr. et phyllii* in lacte decoctis, et tepide applicatis, quae ſucceſſive tamen utcunque conducere videbantur. Purgare non auſus fueram, eo quod ad quaslibet vel ſolis clyſteribus emollientibus cum ungv. clysmatico, et populeo paratis promotas ſubinde ſedes dolores maxime exacerbari experirer. Hinc ad applicandas haemorrhoidibus ſanguiſugas recurrendum eſſe rebar, tanquam ad remedium alias etiam, praeſertim in ſuppreſſis haemorrhoidibus, ſingulare. Etiamſi vero quatuor earum externis nonnihil tumentibus venis fuiſſent applicitae, duae internis; tamen vix una ſanguinis uncia fuit prolicita. Neſcio quare? dum ex eis alias ſponte apertis ſubinde

plures librae effluere ſolebant. Hiſce tamen rem eo redegeram, ut non niſi ante, poſt, et ſub alui exonerationibus ſolitos dolores perciperem. Hinc cogitandum mihi ſupererat, qualiternam quoque alvum mihi redderem indolentem? cumque conjicerem ad id neceſſarium fore, ut faeces aluinae redderentur molles, ſique ſponte non ſecederent ſaltem alternis, vel ternis diebus, eae leni aliquo laxativo ſubducerentur: determinaveram prunis aliquid fol. ſennae incoquere, et de eis una cum eorum jure, quoties neceſſe eſſe videretur, aliquot ſemper ante paſtum deglutire. Secundo quod praeterea adverterem, in excretionibus ſemper inteſtinum rectum mihi inſolentius protrudi ſolere, et inde dolores tanto magis exacerbari; ſolicitus eram, qualiter et his opportunum repagulum opponerem? Et fortunate mihi inciderat uſus terebinthinae, cujus ſuffitus ano exceptus in tenebris, et ani procidentiis ſolet eſſe proficuus, nec non pulvis oſtrearum calcinatarum, qui bombace exceptus inque ani procidentiis applicitus, ſolet eſſe perefficax; quibus poſtquam aliquoties fuiſſem uſus, deprehendi, quod revera et dejectiones inde redditae fuerint molliores, et liberiores, et protruſio ani minor, ac minus dolorifica, quod tamen adhuc in externis haemorrhoidibus ſupereſſet tumor quidam dolorificus; huic quoque remedium erat reperiendum: et occurrebat unguentum illud, quod vulgo camphoratum album nominatur; propterea illud in linteolo molli extenſum, quoties ſedere dabatur, et veſperi, dum lectum ingrederer, aliquoties tumentibus, et dolentibus venis ſedalibus admoveram: cum tanto effectu, ut intra paucos dies univerſus tumor et dolor penitus evanuerit: adeo ut in tam acri, tamque pertinaci haemorrhoidalium venarum malo nulli ex uſurpatis remedio tantam efficaciam adſcribere valuerim, quam *prunis laxativis, ſuffitui terebinthinae ano excepto, pulveri oſtrearum calcinatarum cum goſſypio excepto et admoto*, et *unguento illi album camphoratum* dicto, ſed cum adjectione liſtargyrii prius in aceto cocti, praeparato. Quamvis mihi paulo poſt ſancte retulerit certus presbyter, ſe a ſuis dolenter tumentibus

bus haemorrhoidibus *ſola ceruſſa alba pulu. in aceto per noctem macerata, et mane abjecto aceto cum ſ. q. olei olivarum in linimenti formam commiſta*, dicto modo aliquoties admota optatiſſime reſanaſſe.

Ne vero ex taliter ſemel ſuppreſſis, et forte a ſexagenaria mea aetate nunquam amplius fluxuris, haemorrhoidibus mihi ea, quae 6. *Aph.* 12. praedicit Hipp. obveniant; obviandum fore rebar fonticulo tibiae pedis internae inurendo, idonea diaeta, et geſtatione in dorſo radicis telephii, et ſcrophulariae adeo decantatarum in hujusmodi doloribus; quin et in potu per modum thee ſaltem vere, et autumno vel etiam ſanguiſugarum applicatione.

OBSERVATIO V.

Dn. D. Marci Gerbezii.

De

Fertilitate nimia ſibi ipſi exitiali.

VT in Ephemeridibus noſtris quoque horti cultoribus quid curioſi proponatur, enarrare placet, quid uni mearum pomiferarum arborum, vulgo Spitzling dictae, elapſianni vere inexpectato acciderit. Erat iſta autem mediae circiter aetatis, et propterea acceptiſſimae vegetationis, elapſo autumno fructibus arboreis quibusvis ditiſſimo pomis adeo numeroſis obſita, ut ſimilem in mea vita non conſpexerim. Siquidem ea ramos geſtavit pomis adeo gravatos, ut non obſtantibus ſuſtentaculis illi fuerint undique ad terram usque incurvati, quidam etiam plane diffracti: fructus econtra, qui alias, ſi rariores ſunt, facile palmum ſuperabant, glandium inſtar minuti, in minimo ramuſculo numero 15. 20. 30. ſpectaculum profecto intuentibus jucundiſſimum. Sed ecce! Mox ſub poſtremi Martii initium illa quoad truncum a radicibus usque ad ramos cortice alias recentiſſimo, laeviſſimoque undique adeo denudata conſpecta fuit, ut nec veſtigium corticis in toto truncoupereſſet;

 procul

procul dubio ob vitalitatem eam, quae a praegreſſa dicta illa exceſſiva fertilitate ei adhuc exiliis ſupererat, a ſuperveniente hyemali rigore penitus extinctam. Curioſus eram, num ea corticce taliter denudata ab interitu tamen vindicari poſſet: et propterea eam ſtercore vaccino oblinitam muſco undique, qua nuda apparebat, involui curaveram. Et procuraveram quidem, ut illa rurſus conſveta folia protruſerit, amoeniſſime etiam floruerit; impedire tamen non valui, quin ea, priusquam flores in fructus adoleſcerent, interierit. Supra quod curioſum phoenomenon cogitationes expertioribus horti cultoribus committo, praeſertim ratione foliorum, et florum. Num illi nimirum ex ſolo eo ſucco, qui ab antecedenti adhuc in ramis ſupererat, ſuum nutrimentum hauſerint, vel eis per trunci medullam, vel trunci ipſius fibras ſeu poros, quid ejusdem ex radicibus acceſſerit? dum alias communiter exiſtimatur vegetabilia ſaltem per ſibi a radicibus mediantibus corticibus communicatum nutrimentum vegetari. Item num ſuperſit aliquod certius remedium, ſimilem arborem ab aridura praeſervare? Coeterum omnino conduxiſſet eidem ſimul mox omnes ramos detruncaſſe.

Ante aliquot annos recordor, me inter reliquas arbores etiam unam pomiferam tapffet apffel dictam 4. circiter vel 5. annorum in pomario meo transplantaſſe, et animadvertiſſe, quod ea fuerit mox ad radices ad ſpithamae altitudinem a muribus undique decorticata. Vnde ferme deſperaveram eam ulterius vegetatum iri: quod ea vero tamen adhuc juvenis eſſet, reſolveram eam profundius transplantare, cum ſpe fore, ut ea forte altius radices novas exerat, conſerveturque: id quod etiam factum eſt. Illa ſiquidem nunc laetiſſime adoleſcit.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. Marci Gerbezii,

De

Podagra non podagra.

VOco podagram non podagram, eo, quod illa ſui quaſi oblita ab aliquot annis eo tyrannidis devenerit, ut articulis pedum, manuumque etc. quos illa alias ſolos antehac infeſtare ſolita erat, non contenta, perſaepe etiam alias corporis partes, et quidem etiam interiores ferociſſime adoriatur. Sic uxor mea dilectiſſima jam a ſexennio ejus atrocitati haereditario jure a parentibus contractae obnoxia, primo elapſo vere in eos ventriculi dolores, et pectoris oppreſſiones inciderat, ut eis ſufferendis fere impar eſſe videretur, inceſſanter aſſeverando talem atrocitatem aliud non eſſe, quam veram podagram. Id quod vero ego quidem pro tunc capere non poteram, dolores illos potius flatibus a quotidiano ceraſorum, et perfrequenti piſorum recentium eſu oriundis imputando; coeperam vero paulo poſt, poſtquam nimirum vidi, quod ad applicatum unicum clyſterem, et inde cauſatas tres alui dejectiones, dolor ille ſalvó relicto ventriculo, et pectore, extemplo genua, et ſucceſſive reliquos pedum articulos non minori ferocia apprehenderit.

Similiter ſub dimidium nuperrime elapſi Novembris eadem mea uxor, priusquam in articulis, genubus puro, malleolis, carpis manuum, cubitis, et clavicula dextra vel minimum moleſtiae perciperet, in eos ventriculi dolores, et pectoris diſtenſiones plane reſpirium ipſi intercipientes inciderat, ut per quatuor integras hebdomadas fere omnia, quae aſſumeret, vomitu rejicere cogeretur. Si vero ventriculus nihil eſculenti contineret, rejicere cogebatur tenaciſſima phlegmata ſubinde bile nunc flava, nunc porracea, nunc etiam acidiſſima lympha, imo quandoque et ſanguineis ſtriis infecta. Quis igitur talem

 poda-

podagram non podagram non vocitabit? dum illa ex natura ſua alias ſolis articulis infeſta, ſub larva aliorum affectuum etiam interiora viſcera adeo truculente adoriri aſſveuit, omnem fere curationem eousque eludendo, usque dum ad connaturalem ſuam ſtationem, nempe ad articulorum tendines, et membranas, praeſertim ad perioſtia praecipitetur. Praecipitatur vero prae aliis remediis tempeſtive propinatis idoneis purgantibus, et clyſteribus: quae vero quia nullatenus admiſit uxor mea, eam propterea tanto diutius interius torqueri accidit. Cum tandem admiſiſſet uſum clyſterum, et ad cohibendas vomitiones aquam maſtichinam Auguſtanorum, tandem cohibitis vomitionibus ſerum illud acre podagricum fuit ad artus praecipitatum, illa vero quoad interiora ſublevata. Videatur alias, ſi lubet, ad propoſitum Exc. D. D. Michaël Ern. Ettmullerus *in Eph. N. C. Cent.* 2. *obſerv. CLXVII.* qui ſimiliter varia dolorifica accidentia ſuo patri in poſtremo morbo infeſta ſimili podagricae materiae in interioribus retentae adſcribit, malumque illud ejus podagram anomalam, ſeu internam vocat.

Caeterum, qui tali podagrae obnoxius ejus truculentiae praevenire vellet, exiſtimo eum nullo remedio certius praeventurum, quam jam olim ab *Hipp.* 6. *Aph.* 49. ſuaſa, et a Galeno in Commentario approbata curatione verna, vel etiam atumnali, utpote qua teſtatur Galenus ſe plurimos tales affectus per anni decurſum alias ſuis aegris accidere conſuetos feliciter avertiſſe. *Nos*, inquit, *plurimos ſervavimus ſanos, qui longo ante tempore ſingulis annis morbis corripiebantur, ſed et podagram, et articularem morbum, ſed adhuc incipientem ex tali evacuatione multis annis fieri prohibuimus.* Quidquid ſatis praeſumptuoſe obloquatur D. Joh. Baptiſta Werloſchnigg in tractatu ſpeciali contra curas vernas nuperrimis annis promulgato, Galenum hoc in paſſu impoſturae, et mendacii arguens, eo quod ſibi tales curae nunquam cum eo effectu ſucceſſiſſent: quaſi vero nec propterea Galeno ſucceſſiſſe, credere eſſet neceſſe. Curatio illa vero de-

ro deberet inſtitui non ſaltem decenti corporis expurgatione, ſed et, ſi videretur, venae inciſione, diſcutientibus, et dulcificantibus v. g. decocto illo, quod *in Eph. N. C. Dec.* 4. *An.* 1. *et* 2. *Obſerv. LXXXI.* pro genuino, et certo arthritidis remedio communicavit Excell. D. D. Conradus Bartholdus Behrens, etc.

(*Labaco Auguſtam Vind. d.* 10. *Decembr. An.* 1717. *miſſae.*)

OBSERVATIO VII.

Dn. D. Hermanni Werneri Engelberti de Weſthoven.

Mulier, inteſtino ileo in regione hypogaſtrica lumbricorum immanitate perforato, plane perfecteque ſanata.

MVlier annorum 50. ultimae fere ſortis, die Tapſchülzge nominata, habitans in agro Marcano ad dimidium lapidem ab urbe Hammona, victu vario promiſcue utens, lacticiniis, caſeis aliisque cibis crudis diu delectata, ſe acres doloris intolerabilis morſus in abdomine ſentire conqueritur. Inſuper ore foetente, ſalivae tenuis copioſo profluvio, narium pruritu, inteſtinis quaſi diſtentis, ac rugientibus, ſomno inquieto, febri aliqua, anxietatibusque vexabatur. Quid tandem fit? paucis elapſis diebus, quum Curtii verbis l. 7. c. 1. ſpecies inanes morborum variorum animo anxio figuraret, lumbrici albicantes, ſpithamae unius, et dimidiae longitudinis, anſerinaeque pennae latitudinis efferata immanitate tertium inteſtinorum tenuium nempe ileum, parteſque infimi ventris continentes proprias, ac communes in regione hypogaſtrica perforant. AEgra igitur diris affecta cruciatibus, videnſque materiam reſtitantem in ulcera ſordes multas fundentia exonerari, atque gangraenam imminere, auxilium petiit, et plane perfecteque ſanata eſt, ac ex malo convaluit.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. Hermanni Werneri Engelberti de Weſthoven.

Cor duplex.

MEmores praecepti Ariſtotelis l. 3. metaph. c. 1. ἔστι τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς, et verborum Carteſii princ. Phil. part. 1. §. 1. in vita de iis omnibus ſtudeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus, in dubium vocavimus veritatem Theophraſti aſſerti, quod apud Athenaeum l. 9. c. 10. legitur, nempe τοὺς περὶ παφλαγονίαν γιγνομένους πέρδικας δύο ἔχειν καρδίας. Dubitationem noſtram adaugebat clariſſimus Joh. Anton. van der Linden in Medicin. Phyſiolog. c. 6. artic. 12. p. 164. ſtatuens, effatum iſtud haud aliter accipi poſſe, quam dextri ventriculi minus commodam agglutinationem praebuiſſe ſpeciem cordis bicipitis, ſeu δύο κορυφὰς ἔχοντος, quemadmodum de galli alicujus corde teſtatur Galenus l. 7. adm. anat. c. 11. Nunc autem injectus nobis ſcrupulus plane evulſus eſt, dum tranſactis nonnullis diebus Hammonae Gueſtphalorum gallina quaedam mactata, et exenterata non ſolum geminum cor, ſed etiam hepar habuit ἄλλοβον, ſive diviſum in lobos, fibrasque, ut Celſus vocat l. 4. c. 1. atque hic obiter monemus, quod tali in caſu prodigioſo ſemper duo appareant jecora.

(*Hammona Auguſtam Vind. d. 14. Decembr. An. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO IX.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

De *Innoxio eſu carnis boum lue peſſima contagioſa denatorum.*

IN contagioſa ac pene peſtilenti conſtitutione annorum 1713. et 1714. qua tota pene Italia vexata fuit in bovino genere, cujus

jus memini in Cent 4. Ephem. curios. pag. 347. inter alia decreta a prudenti noſtro Magiſtratu emanata, ad avertendam peſſimam hanc luem, unum fuit, ne aliquis auderet ſub vitae poena comedere carnes bovinas ex lue peſtilentiali emortuas, ne forte peſſimus ille morbus corpora hominum invaderet, et ſic fieret tranſitus a peſte boum ad contagium hominum: Verum licet talia decreta ſingulatim ruſticis fuerint inſinuata, attamen nonnulli longe ab Vrbe noſtra degentes, antequam boum e tali morbo mortuorum corpora ſepelirent, non tantum lucri cauſa excoriarunt, ob pelles eorum exſiccandas atque vendendas, verum quoque coxarum muſculos ſale conditos atque fumo induratos ſervarunt, et hyeme ſuccedente ſuaviter et ſine ulla noxa, elixatos comederunt, nec unquam febrem, et neque exiguam, paſſi fuere, mihique faſſi ſunt, ſe toto hyemali tempore talem carnem comediſſe, ſine nauſea et vomitu.

OBSERVATIO X.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

De

Febre octana et ſextana.

Militem anno elapſo curavi, qui quavis hebdomada die veneris dolore capitis absque febri vexabatur, quae accedente die ſabbati evaneſcebat, talisque affectio ad menſes aliquot perduravit. Anno vero praeſenti 1717. feminam obſervavi viduam, annorum 33. ſterilem, quae qualibet ſexta die febrem patiebatur frigore incipientem, et ſudore terminantem; haec autem a me curata fuit ſola chinaechinae exhibitione, iterata per plures dies, imo die paroxyſmi bis corticem hunc Peruvianum in vino Malvatico aſſumebat, quod aliis diebus ſemel tantum faciebat.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

De

Odontalgia venaeſectione curata.

MErcator quidam noſtras Ferrarienſis, alioquin ſanus, ſaepe dentium dolore afficiebatur, qui nullum ſentiebat levamen niſi a ſanguinis miſſione, ad quam ſtatim recurrebat, cum eam pateretur. Et cujusdam Monialis recordor, quae ſtomachi ardorem quovis fere menſe ſentiebat, et ſola venae ſectione ab eo liberabatur, quae in pede celebrabatur.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

Mors ex ſtomachi percuſſione.

DE fullone narrat Anton. Benivenius, qui unico pugno, ſtomacho cujusdam juvenis violentius impetito, eum interemit: ego etiam Ann. 1712 vidi piſtorem, qui itidem percuſſit puellum in regione ventriculi, a quo illico concidit veluti apoplecticus, et licet multae artes adhibitae fuerint ad revocandam in puero vitam, ex illo tamen ictu mortuus eſt.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. Joſephi Lanzoni.

Lachrymae ſanguineae.

MEnſtruas purgationes per oculos quovis menſe veluti lachrymas ſanguineas excretas vidit Remb. Dodonaeus. Ego vero fletum ſanguineum in adoleſcente obſervavi, quotiescunque data cauſa ad fletum incitabatur, rubore inſigni oculi turgebant, et inde ſanguineae guttulae, veluti cruoris rivus, exibant.

bant: is vero An. 1709. M. julio febri maligna correptus vitam cum morte commutabat.

(Ferraria Auguſtam Vind. d. 18. Dec. An. 1717. miſſae.)

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. Joh. Davidis Maucharti.

Hydrops Ovarii ſive Saccatus, ſectione detectus.

NOn rari nobis ſunt hydropici, maxime aſcitici: viros plerumque ex vini nonnunquam et ejus ſpiritus (de quo forſan aliquando plenius) abuſu fieri aſciticos notavi ſaepius; foeminas plerumque ex menſium vitiis aut etiam difficili, maleve obſervato puerperio, imprimis ſi pauperculae citius lectum deſerant, aut labores etiam ſubeant domeſticos, in hanc malorum Lernam conjici, non uno didici exemplo. Cachexia plerumque praecedit, quae neglecta non ſolum, ſed et immoderato rerum n. n. quin et medicamentorum empiricorum uſu aucta, veloci crebro pede ad hydropem tendit. Phoenomena quaevis ut recenſeam opus non eſt, potiſſima vero ſunt pallor, pedum oedematoſus, abdominis tympaniticus tumor, dyſpnoea, laſſitudo, difficilis per acclivia aſcenſus. Dantur tamen, quae nec palleant, ſed roſeum potius genarum ſervent decorem, nec pedes habeant tumidos, ut potius, aucto licet indies abdomine gracileſcant cum reliquis artubus, et corpore. Hae, ſi diu absque notabili actionum laeſione, ſarcinam hanc circumferant, appetitum habeant bonum, non admodum ſitiant, nec tuſſiant, alvus autem faciat officium, urina naturalis ſit, et moles abdominis nec purgantibus nec diureticis obediat, et praecipue malum, quod ſupra indigitavi a partu difficili, puerperio infelici, molae geſtatione aut abortu ducat originem, nec ſigna cachexiae concurrant, hydrope ovarii ſeu ſaccato vel cyſtico dicto, ſemper tenentur. Quarum duas mihi cum poſt fata ſecare contigerit, unam earum paucis adumbrabo, cum altera huic ex aſſe fuerit ſimilis,

niſi quod inſuper tantillum aquae in cavo uteri et abdominis una continuerit, quod in priori plane aberat. Ultra ſeptennium ſcilicet, ſi prima mali initia numeres, aerumnis onuſta ſuis inceſſit, ad ultimas fere ante mortem ſeptimanas orthoſtadia. Uſa tam meis, quam alterius medici celeberrimi conſiliis, hisque ne hilum juvantibus, utut tam purgantibus quam fortibus diureticis nihil intentatum omitteretur; incidit in manus empiricorum, qui eam nummis citius, quam feralibus aquis exhauſere, ut tandem fatis cederet, poſt febrim quandam ſymptomaticam, a me inflammationi internae adſcriptam, nec ſolitis alexipharmacis, antipyreticis aut diaphoreticis obedientem. Secanda poſt mortem, ne fruſtra ſim prolixus, ad amuſſim ſimilis fuit foeminae Argentoratenſi, quam depinxit, et hiſtoriae de illa Exercitationibus Medicis adjunctae ſub finem p. m. 941. addidit, praeterquam quod ibi pedes videantur tumere, qui in utraque mea fuere gracillimi; dixiſſes ſceleton cute membranea veſtitum et ſalis tonnam in abdomine latentem te videre. Cutis erat extenuatiſſima et decuſſatim aperta mox in rugas ſe contrahebat, ut nulla vi potuiſſet reinduci integro tumori. Muſculi abdominis in tenuiſſimas diducti membranas, umbilicus obliteratus. Abdomen pertuſum 22. menſuras noſtrates eructavit aquae ſubfuſcae, luridae non foetentis, ſeu ℔. LXXXVIII. civiles, uti mea manu menſuravi; hinc decuſſatim aperto peritonaeo nihil niſi cavitatem inanem, ſubfuſcam, rugoſam, innumeris hydatidibus, in parietibus affixis repletam conſpexi, miratus ubi eſſent viſcera, quae nullibi comparebant, abdominis. Hydatides erant diverſae magnitudinis, inſtar ovarii gallinae, a piſiformibus aſcendebant, ad ovi, quaedam ad pugni magnitudinem, tenui pleraeque membranula ſeptae, quaedam duriores et fere cartilagineae, lympham ſubluteam, ſubcruentam, melleam, et quaedamo vi vitello ſimilem continentes; d um itaque ſectionem juxta longum abdominis altius praecordia verſus, continuo, hepar non ſolum et lienem, ſed et ventriculum et inteſtina tandem video, ſed verſus diaphragma dorſumque ſublata et

com-

compreſſa, inania, et hinc inde inflammata. Saccum vero iſthunc reperio ſoli peritonaeo anterius adnatum, ſeparabilem tamen digitis, ſine ope cultelli, et hinc liberum plane, usque ad ovarium dextrum, cui radice anguſtiori unitus erat, tuba vero ibi Fallopiana craſſa, ſed ſtylo impervia. Siniſtrum ovarium erat naturale, duas vero continebat hydatides inaequali magnitudine, at tuba ejus non ad uterum usque penetrabat ſtylus. Ille erat parvus, albus, craſſus, fere cartilagineus; foemina vero erat ſexagenaria, et aliquoties pepererat. Liberatam itaque ab ovario dextro membranam, et pertuſis omnibus hydatidibus, lanci appenſam ℔viij. adhuc ponderare notavi. Erant autem in ea non adeo multa vel magna vaſa ſanguiveha, quod in tanto ejus augmento mirabar. Ventriculus erat ſatis naturaliter conſtitutus, aquam continens turbidam ad ℔j. qualem vomitu ante obitum rejecerat. Inteſtina gracilia, praeter duodenum, quod pugnum admittere potuiſſet; vena cava maxime diſtenta, varicoſa, non minus quam emulgentes dextrae. Hepar lividum, alicubi gryſeum, non adeo durum. Veſicula bilaria maxima, ſine calculis, ductus choledochus patens, bilis nigra viſcida, ductilis in fila. Pancreas conſumptum fere et lividum; Lien naturaliter conſtitutus. Ren ſiniſter maximus, lividus; dexter minor, gangraena infectus, hydatidibus et venis conſperſus varicoſis, veſica urinaria contracta. Pulmones gryſei, magni aëre tumidi. Cor parvum, aqua pericardii parca, thorax inanis. Reliqua luſtrare non licuit.

OBSERVATIO XV.

Dn. D. Joh. Davidis Mauchartii.

Calculus veſicae magnus lethalis, inſolitis ſtipatus phoenomenis.

VIR annorum 68. parvae ſtaturae et ſanae conſtitutionis, animi ſemper ſecuri et laeti, qui laute vixerat, ſobrius tamen, et

motui corporis ſatis ſtudens, genitus parente ſumme podagrico ad mortem usque, et fratrem habens eodem malo preſſum, ſororem vero iſchiade periodica ſaepius afflictam, ipſe autem nihil tale unquam ſenſit; ante quinquennium coepit fieri nephriticus, ſed ſine vehementioribus phoenomenis, ut etiam aliquando calculum amygdalae magnitudine, absque ſingulari incommodo, et in ſpecie ſine vomitu aut iſchuria praecedaneis, ſiliceum et glabrum excerneret, et poſtea plures minores eadem fere fortuna emitteret. Nihil hinc methodici oppoſuit, uſus ſolum euporiſto, per amicum communicato, ex abſorbentibus, terreis, fixis, aromaticis et diureticis, non adeo concinne miſtis; cui proinde multum tribuebat, ut calculos, antequam majores fierent ac moleſtiores, expellenti. Aliquot menſibus poſtea ſenſim ſucceſſit perpetua fere ſtranguria, ut vix per horae quadrantem poſſet urinam retinere, et cum hujus excretione ſemper tenesmus concurreret, ita ut raro eam matula poſſet excipere, ſed ſimul alvum depoſiturus quaſi, laſanum petere cogeretur, licet raro ſimul feces alvinae; ſed interdum muci albi aut fuſci, non cruenti, ſperma ranarum referentis una exprimeretur. Jam ultra biennium vero nullum amplius excrevit calculum, imo ne ſabulum quoque, aſt e contrario per annum fere ſingulis quinque aut ſex hebdomadibus ſubito et absque cauſa manifeſta, maxime ſine diaetae vitio, invaſit eum anorexia, ſeu potius nauſea talis, ut, licet cibum petat et deſideret, eum tamen ſive communem ſive delicatum, tam ex propria quam aliena ſuppeditatum culina deglutire non valeat etiam ori ingeſtum, ſed eximere aut expuere cogatur rurſus non ſine magno taedio, verum absque ullo in faucibus impedimento. Hanc ſtatim ſequitur incontinentia urinae, nocte dieque moleſta, ut ne per horae quadrantem, urinam continere queat, et licet ejus excretionem imminere ſentiat, imo et noctu crebrius e ſomno hinc excitetur, excretio tamen tam pone ſequitur, ut matulam cito ſatis arripere nequeat, ſed urinam in lectum aut veſtimenta emittere cogatur, niſi ſemper linteo quodam ſe muniat, quod tamen

magnum affert incommodum, maxime ob foetorem urinoſum, ſibi et aliis gravem, ut vix tolerabile ſit malum. Urinam vero tunc ſine ullo dolore aut ſtranguria, imo inſenſibiliter quaſi prorepentem reddit, et ſi vel tandem vult et poteſt per tantillum cohibere intervallum, mox redit antiquus ille teneſmus, ad ani fere procidentiam, certe magnam protuberantiam, linteo calido reprimendam. Durant haec incommoda plerumque 4. aut 5. dies, tum redeunte ſua ſponte appetitu, eoque magno et optimo ceſſant omnia ſine uſu medicamentorum; ſed hinc moleſtae ſunt conſtipationes alvi, ut per 3. 4. 5. dies nihil excernat, niſi alvum decocto quodam eccoprotico ex fol. ſen. prunis et tantillo tartari ſollicitet. Haec et alia notatu non adeo digna jam ante ſemeſtre mihi retulerat, et conſilium petitum mox iterum recuſaverat, quod medicamenta nec poſſet ſumere, nec iis aliquid effectum iri ſperet (imo, quod in ultimis vitae diebus fatebatur, quod e vetulae divinatricis vaticinio annum vitae octuageſimum ſperaret ſe attacturum) tota tamen hyeme praeterita eadem mala patienter, percrebras periodos vagas, et raro motu corporis per deambulationem promotis, toleravit; interea ex aliis ejus neceſſariis percepi, illum non ſolum ſemper toto ſui conjugii tempore valde venereum fuiſſe (et erat proletarius) ſed et in iſta hac ſenectute; a venere ſibi non temperantem, hinc plerumque ſupra dictum accerſiſſe paroxyſmum. Vere praeterito, ante Paſcha octiduo, idem rediit, neſcio qua cauſa, anorexiae paroxyſmus, cum ſubſequa mox urinae incontinentia, intercurrente, ſine notabili ſtranguria ſaepiori teneſmo, eousque affligente, ut vix ſatis reſpirare poſſet, er muß recht ſchläh-bauchen: accedit pruritus in glande, cum aliqua excoriatione praeputii, quam dum linimento corrigere ſtudet chirurgus, et praeputium paulo imprudentius retrahit, in paraphimoſin conjecit miſellum moleſtiſſimam, et vix intra nycthemeron fomentis emollientibus et paregoricis reſtituendum. Caetera medicamenta aeger admittebat aegre, pulſus erat paulo velocior aequalis tamen, ſitis nulla, excepto ante mortem triduo, appetitus

titus

titus penitus proſtratus, nec calebat nec frigebat p. n. caput non dolebat, niſi ob agrypniam, ſomnolentus enim utcunque, dormire tamen non poterat, lacticinia nativa et artificialia nauſeabat. Quinto ante mortem die ſucceſſit blaeſitas, urina omni momento effluebat guttatim, ſupervenit deglutitionis impotentia, ex conſtrictione, ut ipſe innuebat, faucium, ubi tamen nullum inflammationis ſignum, aut apparens impedimentum. Excepit omnia tandem agon biduanus, colophonem impoſuere convulſiones breves et lethales ſeptimo die. Poſt mortem diſſectus, quantum haeredes concedebant, in abdomine monſtrabat omnia naturaliter conſtituta, praeter renes maximos, bubulos, et inaequales, cum pelvi utrinque ad ovi capacitatem extenſa, ſine calculis et ſabulo, ureteres inflatos inſtar inteſtini ilei, urinam continentes lacti ebutyrato ſimilem, veſicam contractam, rugoſam, craſſam et quaſi calloſam cum calculo ovalis depreſſae figurae, ℥ij. ʒvij. pendente, duro, ſiliceo, ſcabro; cum ſocio inſtar fabae, ſine ullo inflammationis ſigno.

(*Marbaco Norimbergam d. 21. Decembr. 1717. miſſae.*)

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerari.

Caſſis, Ribes Nigrum: Ceraſus, onagra, tetragonolobus.

RAtio, quae locum forte concedat his pagellis in hac obſervationum ſerie, ut miſcellaneorum grata omnino exhibetur varietas, non eſt una: Simplicium vegetabilium rationem habere Naturae curioſis videbatur conſultum ab ipſo inſtituti laudabilis principio; et per nuperas centurias comprobatur ſpecimibus tam jucundis quam utilibus. Accedat ergo neglectae hactenus, imo ſuſpectae, plantae praetermiſſus fere uſus medicus, celebrari modo et commendari incipiens, et augeat numerum materiae, jam dum ſatis aut forte nimis magnum, (quanquam in copia dicatur eſſe inopia) non obſtante, quod contra-

contradicere videtur, primo narium criterio; ne ſola ſuavia putemus ſalubria, aut quae primis ſenſibus non aeque arrident, ſtatim noxia, nec foetida dicta ſimpliciter horreamus, ſed caute prius inſtituto examine de uſu demum judicemus. Adde, quod novum remedium venit inde, unde nobis venit, ad imitandum exteros bene pronis, noſtrorum pars magna novorum.

Venit ad manus ex dono Amici libellus, ſub titulo: *Les proprietès admirables du Caſſis, qui a la vertu de guerir pluſieurs ſortes de maux. a Bourdeaux* 1712. Scilicet ſi quis norit ipſo recte uti, absque eo, ut quid mali ſit inde metuendum, vel ut ſapor ejus adverſus linguam offendat; inſuper, quod praeſentium conditione temporum ſe commendet pauperculis: coute rien. De *fructu* caſſis nihil ibi legitur; *cortex* quidem ramorum cum *gemmis* laudatur pariter: ſed *folia* imprimis vocantur in uſum, tam viridia recentia vino vel aquae infuſa pro hauſtu per dies uno et altero, quam ſicca, pulverem ipſorum hauriendo cum aqua, cui incoquuntur. Superadditur modus parandi inde tam ſyrupum, quam conſervam, virium non minus ibi laudatarum. Commendatur enim adverſus omnis generis venena, et febres, morbos viſcerum acutos, chronicos, et quos non? Audit remedium cephalicum, cordiale, ſtomachicum etc. appetitum reſtituit; nocuiſſe obſervatum fuit nemini. Et iſta quidem interne datum: Non minus externe imponitur capiti dolenti; inditur naribus, non ut errhinum modo, ſed et ut praeſervatorium infectionis et contagionis. Tranſeant eryſipelata, vulnera etc. famoſa podagra inde ſibi grandia promittat, tam in paroxysmis, (ſed transmiſſo biduo vel triduo, ne irritetur,) ab epithemate foliorum recentium, vel et ſiccorum, vino albo prius mollitorum, quam poſt ipſos ad nodos diſſipandos, lavando artus, ut manum manus fricat, infuſo calido foliorum caſſis, lauri, ſalviae, rosmarini, diu; inventor arcani per aliquot menſes, cum ſucceſſu.

Haec per compendium excerpta proponi merentur *medicinae* vel curioſorum aegrotorum *tentativae.* Enim vero, quid il'e *Caſſis*? Vtrum reſpicit latinorum caſſes, retia; vel capitis galeam? Nec

 in elen-

in elencho nominum gallicorum *Chabraei*, nec in lexico *Richeleti*, inveni. Rogatus autem per literas ab itinere gallico redux Ser. March. Durl. Archiater, *D. Eichrodt*, reſpondit: Eſſe *Ribes Nigrum*; quod alibi cereviſiae etiam fermentandae addatur, ſed parce, ne caput turbet. Paradoxon, quia botanicis communiter dicitur *folio olente, cujus gravi odore foetent folia.* Comparatur varie: pipirella *Italorum*; olitoribus *Gallorum* piper hortenſe, ſcilicet in baccis; ribes ſylveſtre, ſabinae fere odore, *Rajo*; odor Helenii aemulus *Elſholtio.* Vix recipi ſcribitur in uſum medicum, ſed topiarius audit ribes alter, fructu nigro, I. *Baub.* ſcilicet ſponte naſci obſervatur ad rivorum aquas, at in hortos translatus facile comprehendere. *C. Schwenkfeldo* vocatur *Gicht-baum*, quae vulgo ſuperſtitioſe ſub certis ceremoniis plantetur in gratiam arthriticorum, ſed rei hujus ignarorum. Elſholtius: Ruſtici in vino ardente macerant baccas, et contra calculum utuntur. Nonnulli, teſte *Parkinſono*, tum baccis tum foliis in intinctibus: Anginae utiles nomen anglicum argueret baccas; *ſquinancy berries.* Caeterum paucum eſt quod apud botanicos occurrit de ribes nigro: videtur odore ſuo gravi omnes quaſi offendiſſe et fugaſſe, ut foliis ipſis quoque abſtinuerint, qui tamen primo ingratus, ulteriori examine non eſt adeo abominabilis. Baccas, ait quidam, iſtas nigras edo prae rubris, cum in horto verſor, ſtupore dentium inde non afficior, et ſapore quaſi juniperorum delector, nec male unquam inde habuiſſe memini. *Infuſum* quidem foliorum ſiccatorum, diutiuſcule aſſervatorum, nec olet nec ſapit amplius graviter, ſimplicius herbaceum quid non ingratum; nec color abludit, quippe theiformis, primo luteo viridis, inde flaveſcens, tandem rubeſcens: cum fruſtulum *vitrioli* martialis ipſi injiceretur, turbabatur, nigricabat, tales demittebat floccos; cum lacinia obſcure violacei panni *tournesol* ipſi injiceretur, emerſit cito rubedo jucunda, cum tamen charta et coerulea et violacea non fuerit ab ipſo viſa mutari. Tantum de Groſſularia non ſpinoſa, fructu nigro, *C. Baub*, pſeudoamomo *Gesneri.* In catalogo

talogo tamen plantarum orientalium *Tourneforti* legitur etiam groſſularia non ſpinoſa, *foetida,* fructu recemoſo, *rubro.*

Ne tamen haec planta veniat ſola, habeat tres ſubſequas, uſus etiam necdum adeo obvii in libris botanicis, quam vulgo per patriam: quarum prima *folium* pro infuſo theiformi, altera *radicem* pro acetario, tertia *ſiliquam* menſae concedet pro olere. Scilicet *ceraſus* ſylveſtris praeter baccam nigram, dulcem, tot laudibus inclytam praebuit non paucis aegrorum noſtrorum medicinam in ſuis foliis, paſſim neglectis, unde ſatis tempeſtive in omnem caſum fuerunt decerpta et recondita ad uſum a quibusdam noſtratium, neſcio unde ſic edoctis. Laudarunt autem infuſum eorum in aqua pro potu calido experti ad *colicam* inprimis; olim quidem frequentiorem inter nos, ac hodie, certas forte notasque ob cauſas. Ratione laudis et energiae qualitates ſenſibiles vix ſingulare quid offerunt: ſed quot ſunt, quae lingua non aeque probat, modo uſus probet; Ita ſcilicet contemtum vilis et ſimplicis remedii vindicant, qui praetendunt ſibi fuiſſe proficuum, quorum utique iſta fide producuntur.

Pro acetario his terris novo radicem praebet *Onagra,* canadenſis illa quidem, facilis tamen proventus, et durabilis adeo, ſub injuriis etiam hybernis, ut in Obſerv. Eph. Nat. Cur. *cent.* 4. n. 25. curioſi non minus ac ingenioſi Botanici, *Dn. Dillenii*, inter plantas novi orbis veteri jam ſpontaneas et inquilinas recenſeatur. Haec duorum annorum herba ab autumno per hyemem in ver antequam in altum excauleſcat, dum adhuc epigeios eſt, cedit illi uſui et eſui; ex hac ratione, quae diu horti modo medici fuerat incola, jam ab olitoribus coepit coli, ſub titulo in vernacula rapunculi majoris; ipſa quidem major et minor in catalogis recenſita. *C. Bauhinus*, qui in app. Pinac. novam tunc virginianam bene locaverat et nominaverat *Lyſimachiam luteam corniculatam*, florem ejus odoratum, nonnihil ad Keiri, vel potius liliasphodeli lutei odorem accedere ſcripſit, qui nobis multo minor hactenus ſentitur; radicem autem tribuit oblongam, albam, quae digitalem craſſitiem ſuperet, paucis fibris capillatam,

nulla qualitatum et uſus facta mentione. *Tournefort* a *chamaenerio* papposo diſtinctam ſeminibus ſolidis *onagram* dixit, nomine apud *Dioſcoridem* obvio; cui botanici dederant ſpeciem lyſimachiae ſiliquoſae ipſis dictae majorem et pulcriorem, ſcilicet illud chamaenerion, quod anazarbeo potuit eſſe notum; americana planta vero ipſi non fuit viſa. Utinam vero ſuppeteret herba, praeſtans, quod de onagra Dioſcorides: *Hujus radix alba longa vini odore, et ſingulari facultate cicurandi feras.* Quam conveniens foret tempori, quo alter alteri lupus! Quanquam ergo non ſit *rapunculus*, *campanula*, nec tamen eſt *hyoſcyamus*, quod legitur inter prima ſynonyma, ex quo capite foret ſuſpecta. Meliora promittit nomen lyſimachiae ſiliquoſae (eſt etiam utraque botanice filius ante patrem,) Nam *Rajus* de latifolia hirſuta: *Foliorum paululum compreſſorum odor ſuavis poma elixa flori lactis commixta refert.* Omnino occaſionem huic uſui dediſſe videtur indigena, cujus vix eſt, qui fecerit mentionem, ac laudatus *Schwenkfeld*, qui lyſimachiam paluſtrem ſiliquoſam purpuream, tenellam vere legi; erui pro acetario, uti rapunculum, annotavit. Alias barbari vires ſuarum plantarum mirum quam bene multis ſpeciminibus declaratarum habent cognitas; ſed de *camaranbayae* hujus, uti braſilianis dicitur, uſu nec apud *Rajum* nec *Piſonem* quid proſtat: *Marggravius* autem modo non eſt ad manus.

In cibum tandem venit nobis ſiliqua alata viridis *Tetragonolobi*, coquitur ut *olus*, non ſecus ac tenerae adhuc *phaſeolorum* et *piſorum*, quae leptoloba audiunt, ſine cortice duriore, ſiliquae, quin et illae *fabarum* immaturae, bene praeparatae, comeduntur: Scilicet ut ſapiant fatuae fabrorum fercula betae, o quam ſaepe petet vina piperque coquus. Novae iſtae noſtris vocantur *ſiliquae aſparagodes*; nam ſunt ſeſcunciam circiter longae, craſſiusculae, cylindricae, angulos non tam habent, quam foliaceas appendices, ſive quatuor membranis ſinuatis appoſitis donantur, quas ſagittarum alis comparant. Placuit olim ſolo *floris colore*, qui vel holoſericum coccineum vulgo dictum ſaturum provocet, et hinc meruit coli in hortis botanophilorum: *ſemina*

na tamen jam tum perhibebantur eſculenta. Nunc plenas areolas oſtendunt horti olitorum, pro cibo praetenſo novitate et ſapore non ingrato ſe commendaturo. Patriam agnoſcere ſcribitur Siciliam: Lotus quidem quadripinnata ſimiliter ſiliqua, ex pratis ad radices alpium vicinarum in faſciculis florum ad nos deferri ſolet, ſed ipſi ſilicula eſt nimis parvula, gracilior, quam ut in iſtum uſum vocari poſſit; eſt autem *flore luteo obſcure rufo*, ſui petioli unico, qui quantum conveniat cum deſcriptione, aliorum, meum modo non eſt curare. Citatur inſuper loti creticae ſiliqua cornuta edulis, venalis in foro patrio, antequam dureſcere incipiat, pueris et foeminis grata, quia dulcis et ſuccoſa, piſi recentis guſtu: Etenim hujus quoque crudos, at teneros folliculos cum granis immaturis ſunt paſſim qui vorare amant.

Ita per aeſtatem varietas delectat, et gratiam invenit novitas; per hyemis faſtidia viridium recentium germinum penuriam vel ſpes veris vel radicum ſupellex ſupplet, temperat; tunc acetaria, et primo vere herbulae valerianellae, rapunculi cum radicula etc. ut per aeſtatem olera, ſuo quaeque modo ita praeparantur, ut ori ſapiant, quae ſibi relicta propriis qualitatibus non multum promitterent, ſed quaſi indifferentia expectant acceſſoriorum gratiam *condimentorum*, pinguium, acidorum, dulcium, ſcilicet ad palatum variorum; quanquam graece a voluptate derivari velit *lotos*, herbane vel arbor, illa tamen eſt ex bona papilionacearum familia, cognata trifoliis, quae in bonum cedunt homini, vel per ubertatem lactis, quod eſt ex hoc pabulo. Interim ut amat fieri, quae cum primam adhuc novitatis haberent gratiam, paſſim laudari ſolebant et merebantur coli a multis ob *radicem* et *ſiliquam*, paucis praeterlapſis annis cito nimis remittunt in ſua fama, multoque jam aeſtimantur minus.

(*Tubinga Auguſtam Vind. d. 27. Dec. An. 1717. miſſa.*)

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. Gothofredi Klaunig.

Clavus a Muſca meatui auditorio inhaerente.

HAud minori periculo expoſiti ſunt, quorum in capite vermes aluntur, quam quibus ſenſu morali cerebrum verminoſo ſeminio inquinatum dicitur: ſi enim ſtultitia, illi dolore, ob partes, quas inſecta arrodunt, maxime ſenſatas ad furorem usque ſaeviente laborant. Verum non ſolum inſaniam a gryllo ruſtici aurem occupante *And. Gnaeffelius Dec. I. a.* 4. *Obſerv.* 50. *Ephemeridum noſtrarum,* febrem acutam a tribus vermibus idem domicilium inhabitantibus *Valeſius de Taranta in Obſerv. Medicinal.* ut alios taceam, annotare operae pretium duxit; ſed et *Cornelius Gemma Lovanienſis l. 2. Coſmog.* ingentem cimicum copiam et *Sam. Ledelius Ephem. D.* 2. *a* 2. *obſerv.* 39. gryllum feminae aurem ſubintrantem morbi cauſam praebuiſſe affirmat. Ne dicam de tineis, araneis ejusdemque proſapiae hoſtibus, quos auribus et conſentientibus reliquis partibus toti ferme corpori fuiſſe infenſos ex celeberr. *Stalpartii van der Wiel Obſerv. Cent. poſter. part.* 1. *obſerv.* 2. diſcere licet. Muſcam tamen miras comoedias in religioſae virginis aure ludentem hac vice ab oblivione vindicare inſtituti noſtri ratio poſtulare videtur.

Invadebat praelaudatam virginem menſe Julii anni praeterlapſi horis nocturnis infra ſiniſtrum bregmatis os dolor rodens nullas concedens inducias, niſi aegra e lecto ſurgens ſe aëri exponeret liberiori. Quapropter de die cruciatuum adhuc expers noctes ſaltem trahebat inſomnes ob exquiſitiſſimum dolorem dicto loco, floreni magnitudinem non excedenti, quaſi implantatum. Praeterlapſis tali cum viciſſitudine ſex hebdomadibus praefatus dolor noctu diuque ſaevire incepit, ſimulque aurem ſiniſtram moleſtiarum reddidit participem, ut mente quaſi captam crediſſes: deerat appetitus et totum corpus con-

contabuerat. Aegra cauſae morbificae penitus ignara me quidem ſollicitum, ſed curae incertum fuit experta, nec ſolatii aliquid ab internis laxantibus atque cephalicis, aut a topicis in forma Emplaſtrorum, fotuum, linimentorum, ſpirituum &c. applicatis habuit. Caſu tandem incidebat in ſpir. vini camphoratum, quo goſſypium madefactum patienti auri intrudebat, et ecce! cum in coena illud iterum protraheret, Muſca omnium ultra duos menſes perpeſſorum malorum autor, ex eadem aure in conſpectu plurium virginum religioſarum volando volatu citius fecit finem moleſtiſſimo morbo capiti inſtar clavi infixo.

Minime itaque fugere poteſt Anatomiae peritos conſenſum inter os bregmatis et meatum auditorium deberi nervo auditorio, qui per peculiarem oſſis petroſi meatum in auditorium ſpecum penetrat, ibidemque a muſca irritatus ſenſum dolorificum illius loci meningibus et pericranio communicavit. Nec multum laboris fuiſſet ingratum hunc hoſpitem, ſi ſaltem nobis mox innotuiſſet, cito ejicere, ſtratis nimirum inſidiis per dulcia, quibus illecebris irretitam muſcam ſine mora peregrinum et amaro cerumine nauſeoſum hoſpitium deſerere nullus dubito.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 1. Januar. An. 1718. miſſa.*)

OBSERVATIO XVIII.

Dn. D. Johannis Friderici Weismanni.

Excreſcentia Carnea inteſtina referens.

FOemina cuiusdam venatoris, mater quatuor liberorum, per 4. et ultra menſes jam gravida, videns maritum aprum juniorem globulo plumbeo transfoſſum exenterantem, ſubito expaveſcit, quem terrorem firmius memoriae impreſſit, cum videret inteſtina ex abdomine exempta in labrum repoſita, et per aliquot dies in culina conſervata, et ita quidem, ut poſt quartum

tum menſem, nonum vero impraegnationis, infantem excreſcentiam magnam ultra duas libras ponderantem in abdomine habentem ederet, quae exactiſſime ratione coloris et figurae inteſtina apri referebat. Poſt partum enim advolabat venatoris ſervus equo vectus, etiam atque etiam me rogans, ut ſubito venirem, et infanti inteſtina extra abdomen poſita, reponerem. Veni et vidi, primo vero aſpectu valde deceptus, putabam eſſe vera infantis inteſtina, re vero accuratius penſitata et examinata, nihil aliud reperii, quam excreſcentiam aliquam ultra duas libras ponderantem, et circa umbilicum petiolo aliquo albicante muſculis abdominis adnatam. In medio hujus excreſcentiae conſpiciebatur meſenterium, cum vaſis meſeraicis inteſtina colligens, uti in ſtatu naturali exiſtit, nihil his inteſtinis defuit, niſi cavitas, tota enim carnea erant, pramebam digitis, nullum vero edit infans ſignum doloris. Circa funiculum umbilicalem erat foramen unius digiti latum, per quod inteſtina vera et motus periſtalticus exactiſſime potuerunt obſervari, edit infans et ſ. h. alvum depoſuit, ſuaſi parenti, ut concederet deligationem hujus excreſcentiae cum filo ſerico peragendam, quae meo judicio facile potuiſſet peragi, quia ſolo tenui petiolo adnata fuerit, aſt denegavit, hinc tertio die, diem ſupremum obiit. Volui quidem ſectionem ſuſcipere, per negotia vero practica impeditus non potui, libenter enim vidiſſem, an communicationem ratione vaſorum et fibrarum cum inteſtinis habuerit haec excreſcentia, de quo vero valde dubito.

(Windshemio Auguſtam Vind. d. 4. Januar. An. 1718. miſſa.)

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. Joh. Adami Göritzii.

Putredo bilis in phthiſico reperta, cui tribus annis ante obitum mamma ſiniſtra cancroſa feliciter abſciſſa et conſolidata fuit.

NObilis quidam, viduus, annorum LX. ſanguineo-melancholicus, ſcorbuticus et phthiſicus, in tenebris mammam ſiniſtram cum illideret aſſeri acuminato, glandulam exinde ſentit induratam, quam primis annis neglexit; accedente autem tumore, livore et dolore punctorio, unguento leniente utitur. Ex hoc topico tumor augetur, quatuor ſequuntur tubercula non unius coloris, et tandem exulceratur. Vir Illuſtr. ne excluderetur conſortio aliorum, nemini de hoc ulcere dicit, et Medicus ſui ipſius pluribus euporiſtis utitur. Quid fit? ulcus ſerpit in profundum, et, eroſis vaſis ſanguiferis, aliquoties haemorrhagiae oriuntur ad lipothymiam usque. Jam aqua haerebat. Vocor anno a laeſione quinto. Compareo. Abſentibus miniſtris et clauſis foribus ulcus mihi oſtendit, et quid de eo ſentirem, expetit. Tumor erat durus, inaequalis, pugni magnitudine, ruber et nigricans. Circumcirca dolebat, et vix tactus ſanguinem fundebat. Magnitudo et profunditas ulceris tanta erat, ut nux moſchata intrudi potuiſſet, licet in fundo adhuc aliae cavernae obſervarentur, ex quibus vel ſanguis vel ſanies effluebat cum inſigni foetore. Labia carcinomatis quaſi inverſa apparebant, albas et rubras papillulas monſtrantia. Dolorem, quem patiebatur, non aliter ſe habere dicebat, ac ſi pruna intus lateret. Cancrum exulceratum eſſe dixi, et vix curatum iri, niſi exſcindatur. Paruit, et poſt tertium menſem feliciter ulcus conſolidatum fuit a Chirurgo noſtrae civitatis Dn. Alberti. Sequente anno laetus uxorem duxit, et filium genuit. Poſt annum phthiſi ſuffocatus quaſi moritur. Aperto cadavere, in

abdomine praeter alia glandulas meſenterii induratas, et hepatis partem ſcirrhoſam offendimus. Veſicula fellea, cum juſto major videretur, eam aperire juſſi et bilem vitro excipere, erant ad minimum unciae duae: quo facto, dici non poteſt; quanto foetore hypocauſtum fuerit repletum. Color hujus bilis erat fuſcus, odor cadaveroſus, conſiſtentia viſcidior. Aperto thorace, gangraenoſi pulmones, quaſi inflati eſſent, egrediebantur, purulenta materia infarcti, quae tamen non unius coloris erat: in inferioribus partibus, materia inſtar fecum cereviſiae reperiebatur, in ſuperioribus coloris ſubviridis; bronchia autem pulmonum plurima pus album craſſum inſtar adipis offerebant.

OBSERVATIO XX.

Dn. D. Johannis Adami Göritzii.

Pylorus ſcirrhoſus, itemque inteſtinum duodenum et pancreas, loco bilis autem calculus in veſicula fellea.

MUlier XLII. annorum, cholerici temperamenti, trium liberorum mater, habitu corporis gracili, ad iram prona, hectica jam a pluribus annis, de appetitu proſtrato, cephalalgia et obſtructionibus alvi ſaepius ad quartum et plures dies durantibus, per longum tempus conqueſta fuit. Lecto tandem affixa, variis fruſtra adhibitis, me petiit. Viſitanti mihi ventriculum ſaepius ita doluiſſe dicebat, ut lipothymiae ſecutae ſint, ſudores colliquativos ſingulis noctibus adeſſe. Plane nihil appetebat, niſi aquam fontanam, ob ſitim urgentem, multum vomebat, alvus, niſi clyſteribus ſolicitata, obſtructa manebat, ardorem in ventriculo ſentiebat, cum repetito ſingultu, et prope ventriculum ad latus dextrum corpus durum tangebatur. Res conclamata mihi videbatur, ob vires penitus proſtratas, praeter clyſteres tamen ſtomachica, antiſpasmodica et confortantia ordinavi, interpoſitis laxantibus balſamicis.

His

His quidem alvus aperta tenebatur, et vomitus ſiſtebantur, ſed, ſuperveniente epilepſia, die octavo mortua eſt. Magnopere cum deſiderarem, quid proprie fuerit durities illa ad latus dextrum, a marito petii, ut permitteret mihi aperire cadaver. Quod aegre impetravimus. Fecit exenterationem, marito, me, et multis aliis praeſentibus, in talibus exercitatiſſimus Dn. Febure, Sereniſſimi ac Eminentiſſimi Ducis Cardinalis de Sachſen Zeitz, S. Caeſar. Majeſt. in Comitiis Imperii Commiſſarii Principalis &c. Chirurgus primarius. Macie confectum erat totum corpus. Inteſtina fere vacua, hinc et inde gangraenoſa obſervabantur, Veſicula fellea craſſitiem corii cervini habebat, in qua nec una gutta bilis erat, ſed lapis, qui adhuc in manibus noſtris eſt, tam arcte incluſus, ut vi debuerit extrahi. Hic lapis ab initio caeruleus fuit, cum punctulis rubris, uti trutta, poſt exſiccationem vero jam albus eſt, tactu pinguis, ex meris granulis compactus, pondere levis: licet enim magnitudinem ovi columbini fere ſuperet, pondus tamen ipſi ſaltem ʒj. eſt. Pancreas totum ſcirrhoſum et ventriculi fundus multis ſtriis gangraenoſis ſignatus erat. Pylorus et inteſtinum duodenum duritiem illam nobis offerebant, quam quaerebamus. Tumor ibi erat ad pugni magnitudinem, albus et adeo ſcirrhoſus, ut cultro acutiſſimo non niſi vi diſcindi potuerit. Ex hoc tumore ſcirrhoſo pylorus et inteſtinum duodenum adeo claudebantur, ut calamo ſcriptorio vix tranſitum permitterent. Quaerentibus nobis cauſas occaſionales externas hujus affectus, nihil indicare potuit maritus, quam quod per annum haec mulier mirum in modum delectata fuerit eſu malorum citriorum, ita ut ſaepius uno in die 6. 7. comederit. Non dubitamus, tantam aciditatem ingeſtam plurimum contuliſſe ad conſtrictionem pylori, ſcirrhos repertos et exſiccatam bilem in veſicula fellea, quod phyſice latius diduceremus, niſi Obſervatio limites ſuos transgrederetur.

(*Ratisbona Auguſtam Vind. d. 17. Januar. An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Caries oſſis bregmatis et temporum dextri cum Cerebri putrefactione.

FOeminae pauperculae, poſt ſuperatam nuper ob varia corporis ulcera venerea inſtitutam a Chirurgo non imperito ſalivationis curam convaleſcere viſae, ſupervenit ſupra os temporale dextrum tumor hinc inde durus, aliquibus in locis mollior, digitis tactus pulſans ad rythmum pulſus arteriarum, dolorificus, cum effluxu materiae purulentae ex ejusdem lateris aure, quo deficiente ſimilis fere materia, parciori tamen quantitate per os exibat. Apertus a Chirurgo tumor ob puris ſubſtrati indicia in parte decliviori primis diebus ſanguinem cum pauco pure fundebat, paulo poſt ipſa cerebri ſubſtantia in conſpectum veniente: acceſſit tandem motus lateris affecti impeditus, et non diu ante obitum ſopor ad mortem usque poſt longum ſatis pro magnitudine mali decubitum accedentem perdurans. In cadaveris examine anatomico apparuit dextrum os temporale totum cum dimidia oſſis bregmatis parte carie ita exeſum, ut non niſi fruſtula hinc inde in pure et purulenta cerebri ſubſtantia ad ventriculum usque ejusdem lateris haerentia invenirentur, cum plexus choroidei dicti lateris vaſis turgidis, craſſo muco obvelatis, et reliquis cerebri vaſis plerisque ſanguine infarctis. Foetor praeterea ingens cadaveris, licet inter mortem et ſectionem vix 2. horarum ſpatium interceſſerit, ulteriorem reliquarum cavitatum indagationem prohibuit.

OBSER-

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Calculoſi et ulcere renis afflicti anatome.

NAuta ad ſenium vergens per aliquod temporis ſpatium incontinentia urinae guttatim cum notabili dolore effluentis et collectae viſcidum in fundo albicantem mucum reliquentis, afflictus Noſocomio ſtatus Maritimi concreditus, orta non levi latentis in veſica calculi ſuſpicione, cathetere in veſicam immiſſo per chirurgum exploratus, quamvis latens inimicus tunc temporis ob veſicam nimis vacuam et conſtrictam inveniri non potuerit, illud tamen commodum inde percepit, ut per aliquot dies a facto catheteriſmo urinam diutius retinere et copioſius collectam facilius emittere potuerit.

Acceſſit autem paulo poſt, praevio horrore inſigni calor febrilis ardens cum difficili reſpiratione et raucedine, quae ſymptomata remediis mitigata quidem per paucos dies fuere, ſed brevi majori vehementia rediere ad mortem usque perſeverantia, urinae fluxu nec frequenti adeo nec dolorifico, quam a principio morbi, obſervato.

Recens diſſectum cadaver urinam ſpirans monſtrabat, praeter Pulmones inflammatos, Renem ſiniſtrum triplo majorem ſolito, ulceribus internis ubique eroſum, pelvim cum uretere valde dilatatam, renem vero dextrum atrophia correptum, ob cavitatem internam magnam burſam vacuam repraeſentantem, illius lateris uretere adhuc ampliori. Veſica urinaria craſſa valde et conſtricta ad fortiorem attactum nondum diſſecta pus fundebat ex fundo, intus vero calculos exhibebat duos, unum columbini ovi magnitudine, muco obſeſſum et friabilem, alterum articulum minimi digiti magnitudine aequantem, planum priori duriorem in orificio urethrae haerentem: reliquis viſceribus ſic ſatis naturaliter conſtitutis.

OBSERVATIO XXIII.

Dn. D. Hieronymi Laubii.

Abſceſſus Lumbaris cum carie vertebrarum dorſi et lumborum.

Miles gregarius, praeter ulcus cacoethicum in pede, abſceſſum in dextro latere lumborum monſtrans Noſocomio adſcriptus, hujus apertionem cultro factam patienter ſuſtinet, pure ab initio cocto et puro effluente, quod poſtea ſanioſum cum foetore magno per longum tempus exſtillavit, aegro de doloribus abdominis et pectoris moleſtia usque et usque conquerente, donec miſerae vitae optatum finem mors imponeret poſt 4. menſium decubitum. In cadavere praeter pulmones corruptos et ſanioſos, ſanguinem in thorace extravaſatum copioſum, cor flaccidum, hepar quaſi ſemicoctum notabile fuit, vertebras dorſales omnes et lumbares priores, quoad corpora ſua cavitatem verſus perioſtio nudatas, atras et carie fere exeſas, et inter illas ſextam imprimis dorſalem, conſpicere, proceſſus vero earundem carie intactas fuiſſe. Quamvis aeger fere ad ultimos usque vitae dies incedere quodammodo, incurvatus tamen et manum dorſo imponens valuerit.

(*Hafnia Auguſtam Vind. d. 29. Januar. An.* 1718. *miſſae.*)

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. Viti Riedlini.

Catheteris inſignis uſus.

Vir quidam veneranda ſenectute, octuagenarius ſcilicet, et praecipua dignitate conſpicuus, macrioris corporis, ſanitate tamen ſic ſat integra hactenus Dei gratia fruitus; id ſcilicet benefi-

cii

cii habens, quod quoties humores vitioſi in corpore abundant, hi alvi fluxum concitant, hocque ſponte ceſſante, non habet, de quo ulterius queratur; venationi, quantum per ardua munera licet, deditus, ſine dubio et hoc modo, ſuae ſanitati conſulit: cetera vero diaetam etiam ſic ſat ſervat. At, cum nuper in rus ſe contuliſſet, ibique vini minus conſueti non quidem nimium plus tamen ſolito bibiſſet, ſequente nocte primo evigilans, non ſolum alvum obſtructam notavit, verum et urinam non niſi cum dolore eoque ſat acerbo excrevit, licetque aliis remediis deficientibus balneum adhibuerit, hoc quidem, quam diu in eodem morabatur, levamentum quoddam attulit, at cum vix egrederetur, priſtini dolores rediere: me itaque ad ſe evocavit, urina per ſe nil mali monſtrante, miſſa; ubi ea medicamenta, quae in ſtranguria alias cum fructu commendo, laxantia ſcilicet, et temperantia, blandeque urinam moventia praeſcripſi et exhibui: verum enim vero fruſtra fere, hincque ut lectica domum deportaretur, eo magis ſolicitus fui, quo plura defuere, quibus carere vix ac ne vix quidem poteramus: Licet autem ſat feliciter hoc iter ſucceſſerit, dom que multum urinae, uti referebat, reddiderit, dolores tamen inſtabant, veſicam praecipue torquentes: nec tantum urinae excernebat, quantum quidem ejusdem in corpore ſecernebatur: licetque nunc et clyſteres fuerint applicati, et balneum diureticum adhibitum, praeterquam, quod et interna medicamenta ſedulo continuabantur, quaevis tamen mala vix parum remittebant, urinaque ſemper parcius excernebatur, hancque non tam in renibus, quam ipſa veſica retineri, haec indies magis intumeſcens, quod mane faciliime deprehendebatur, ſufficienter prodebat: muſculos itaque detruſores, uti olim in Juris conſulto quodam, cujus hiſtoriam itidem Ephemeridibus noſtris inſerui, accuſans, adſtringentibus quidem externis hos roborare tentavi, ſimul tamen in tempore de Cathetere adhibendo cogitavi; ejus vero mentionem injicere, urina ſemper adhuc licet pauciſſima ſecedens vetabat, cum ab hoc remedio plerique mirum quantum abhorreant: tanquam ſumme tamen neceſſariam tandem,

hujus

hujus inſtrumenti applicationem primo quidem adſtantibus, hinc vero illuſtriſſimo Domino aegroto commendare coepi, quin demonſtrare, quod malum, niſi haec in ſubſidium vocetur, vix ac ne vix quidem tolli poſſit: et tandem, cum prius diureticum quoddam famoſum fruſtra fuiſſet tentatum, admiſſa fuit: et ſane, cum primo chirurgus non adeo exercitatus feliciter tamen Catheterem applicaſſet, ultraque menſuram urinae ſubduxiſſet, illico ſic ceſſarunt dolores, ut jam, cum praecipue nulla plane urina nunc ſponte ſuccederet, hunc eo lubentius ſecundo admiſerit: at chirurgo nunc applicatio minus feliciter cedebat, dum ad valvulam Catheteris applicationem ſaepius difficiliorem reddentem alliſit, vique penetrare anniſus fluxum ſanguinis concitavit; unde perterriti, praeſertim Dn. aegrotus de alio chirurgo cogitavit; cum carere Catheteris applicatione minime poſſet; et invenit in Hekingio, chirurgi olim peritiſſimi filio aequali, virum, qui feliciſſime, quod deſiderabatur, praeſtitit: ſemper vero perſvaſus Dn. aegrotus ſponte redituram urinam, hac vice denuo feliciter eadem ſubducta, per quadraginta octo horas eandem retinuit, nonniſi veſicae tenſione quadam moleſtam ſcilicet; verum enim vero hac jam et dolores concitante, ipſemet petiit, ut Catheter denuo adhibeatur: quemadmodum vero ea urinae quantitas, quae adeſſe debebat, nunc non ſubducebatur: ita non omnem urinam in veſicam transferri, tumor pedum brevi augmentum non exiguum ſumens prodebat; indicans ſcilicet, ſeri partem, per vaſa ſanguiveha retrocedentem ibi demum deponi: jam ergo electuarium martiatum ordinavi, cui diuretica blandiora, Balſ. in primis Hiſpan. ſicc. addidi: et ut muſculi detruſores roborarentur, balneo adſtringentibus alterato inſedit: poſt quod urina magis quam prius ſtimulavit: adeoque ipſemet jam Catheterem lubentius admiſit, quin ut applicetur, ſubinde urſit: Et nunc urina turbida ſubducebatur, ſedimentumque muci veſicae nomen mereri, judicavi: quemadmodum vero in JurisConſulto illo, cujus ſupra memini, olim notaveram, quod, quo ſaepius Catheter

fuerat

fuerat applicatus, eo citius mictio conſueta redierit, ita et hic ſucceſſuram, totus perſuaſus, eo magis urſi, ut ſaepius admitteretur; nec tamen niſi, urgentibus doloribus hoc obtinere potui, nec id, toties quoties optaveram, ne ſcilicet unquam urgente urina diu differretur applicatio: augebatur hinc tumor pedum, unde huic et faſciatione obviam ibatur et quoniam urinae parcior quantitas aliquoties notabatur, hanc Eſſ. Balſam. c. Tinctura ♀r. parata promovi: ſemper vero nunc magis ſtimulante urina, tandem, non tamen niſi trigeſimo ſexto poſt mali invaſionem die, ut ter de die admiſſus fuerit Catheter, obtinui: et ecce! eodem adhuc die quaedam guttulae ſponte excernebantur: et biduo abhinc iterum uncia fere una urinae extillabat: hincque quotidie quantitas illius ſic augebatur, ut elapſis abhinc quatuordecim fere diebus, nulla ulterius ſubductione habuerit opus: in uſum primo ducens Pilul. ex lap. cancr. et Balſam. Hiſp. ſicc. paratas, et poſtmodum Eſſ. Catechu: ſicut ſemper vero multum muci cum urina excernebat, ita haec per trimeſtre et quod excurrit, eum ſemper adhuc ſaepius ſtimulabat; ut adeo nocte, ſingulis fere horis urinam reddere habuerit opus: Et hoc tamen malum ſponte paulatim mitigabatur, ut jam, modo diaetam ſervet, de quo queratur merito, vix habeat opus. Docet haec obſervatio, in urina in veſica retenta, non ſemper expectandum eſſe, donec illa omnino obſtruatur, ſed Catheterem interdum applicandum, ſi vel maxime quaedam adhuc ejus quantitas excernatur, ſi praecipue per quaevis indicia, ſicut hic, conſtet, veſicae ſubeſſe vitium: confirmat vero ſimul, ſi repetatur haec applicatio, multum eandem prodeſſe: caute tamen et quibusvis circumſtantiis rite perpenſis eſt procedendum.

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. Viti Riedlini.

Vomitu rejecta.

QUod Cent. V. Obſerv. LXVIII. ſub finem promitto, quod ſcilicet, exitum illius obſervationis, ſi vivam valeamque, olim communicare velim, ut ſervem, ſequentia illi ſubnectenda nunc veniunt. Illuſtris vero illa matrona, ſicut per annum et quod excurrit, per fonticulos illos naturales non parum puris ſerique profudit, ita ſic valuit, ut ſanis ſe ipſam annumerarit, interdumque et eos diaetae errores commiſerit, quos et ſani vix ſine noxa ferrent: audacior ſcilicet facta, cum hos alia mala illico non ſequerentur; magisque ſibi fidere coepit, cum aliquando et menſes ordinarii quin fere nimii ſuccederent: verum enim vero vere anni 1717. fonticuli illi parum admodum materiae cum funderent; dolorque acerbiſſimus partium vicinarum, Iſchiadis praecipue ſequeretur, ut me denuo conſuleret, opus habuit: ubi, iis, quae olim contigere, rite perpenſis, balneum hic imprimis profuturum, eo minus dubitavi, quo magis noveram, ut medicamenta, eo quo requiritur modo, in uſum duceret, ipſi difficillime perſuaderi potuiſſe: aures etiam, quod balneum attinet, mihi praebuit; nec fruſtra: rediit enim ulcerum fluxus, et dolores ſic ceſſarunt, ut citius, ac quidem ſuaſeram, balneum finierit, et domum redierit; tam ſanam ſe exiſtimans, ut et non redeuntibus menſibus, an conceperit, ſubdubitare coeperit; eoque minus continuare diaetae errores deſierit: verum enim vero, cum brevi poſt non jam ſolum abdomen ſed et pedes mirum quantum intumeſcerent, haud abs re ab hydrope ſibi metuere coepit, hincque ut huic nunc omnibus viribus medear, anxie me rogavit; dum autem initium hujus curae facio, et leniſſimum purgans eidem exhibeo, ecce! vomitus ſuccedit primo ſanguinis grumoſi hincque maſſarum majuſcula-

rum (ovum gallinaceum una fere aequabat,) membranacearum non plane nil carnis monſtrantium, tali ſanguine repletarum, ceteraque molis uterinis ſimillimarum: verum deſinente hoc vomitu, et inſtante nunc alvi fluxu fere nimio, viribus tamen non inſidiante, tumor mirum quantum imminuebatur: Nimiam autem ſibi ab alvi fluxu metuens aegrota, intempeſtive ſumtis adſtringentibus hunc inhibuit; vixque elapſo menſe rediit perverſus ille vomitus, hincque bis terve adhuc non habito certo tempore eandem infeſtavit, rejectis ſemper aliquot talibus moliformibus particulis. Servata tamen diaeta, et in uſum ductis medicamentis martiatis, ſic Dei gratia ſe denuo collegit, ut ſpem quandam convaleſcentiae praebuerit: Verum enim vero, contigit, quod communiſſimum eſt, adeo quidem, ut et medici quidam ſat celebres hos ſerio ſecundent, ut mars ſane per ſe innocentiſſimus tam infenſus illi fuerit factus, ut citius ſe mortem ſubituram, quam hunc continuaturam vel jurato fuerit teſtata: hincque alia quidem medicamenta praeſcripſi, diuretica ſcilicet mitiora, alvumque laxam ſervantia, ubi tamen Pilul. FF. omnino ſufficiebant: ſed utut haec ſedulo in uſum duxerit, tantum tamen abeſt, ut vel minimum inde perſenſiſſet levamentum, ut brevi potius temporis ſpatio abdomen denuo ſic intumuerit, ut et, ne crepet, ſibi metuerit, pedibus inprimis cum eodem correſpondentibus; hincque ut denuo martem, (qui in caſibus ubi prodeſt, in praxi quadraginta, et quod excurrit annorum, me nunquam deſeruit, nonnunquam enim intempeſtive illum commendari ipſemet expertus ſum) in uſum ducat, ſerio ſuaſi; et obtinui: ſimul vero etiam fotus partium tumidarum inſtituebatur: et ecce! tantum haec proderant, ut non ſolum detumuerit iterum, ſed et cetera tam egregium perſenſerit levamentum, ut jam ſaepius, ac ſuaſeram, ſumſerit, et ut ſedulo continuare liceat, rogarit: ſumebat autem pulverem martis ſubtiliſſ. magnete ſelectum, quem ſic praeſcribere ab experientiſſimo interea vivorum numero ſubtracto Bilgero didiceram: acceſſit etiam ſub hujus uſu alvi quidam fluxus, quem vel

ipſa pro proficuo habuit: verum enim vero, cum vires ſe niſi multis cibis ingeſtis, recuperare minime poſſe, perſuaſa eſſet, non ſolum coctu difficiles et minus congruos aliquoties ſumſit, ſed et alios conceſſos, gelatinas inprimis, in tanta copia ingeſſit, ut nec fateri quidem, quantum ingeſſerit, fuerit auſa: et quod deterrimum, utut hinc alvi fluxum augeri, vel ipſamet notarit, ut tamen ab erroribus talibus deſtitiſſet, nullo modo perſuaderi potuerat; hincque huic fluxui tandem et quaevis medicamenta fruſtra opponebantur; quin denuo intumeſcebat; illeque omnes humores ſic exhauriebat, ut ſiccitas nulli remedio cedens eandem tandem vivorum numero ſubtraxerit. Confirmat haec hiſtoria, quod ulcera antiqua, niſi ſedula illarum geratur cura, tandem graviſſima producant mala, utut fluere omnino, (quod in hac contigit, quae et ſeri hydropici, cum per alias vias copioſum ſecederet, et per haec ulcera multum excrevit) non omnino deſinant: molas ſubinde et in ventriculo gigni, (quidni enim hiſce in foemina, cum Dominicus Panarolus ejuſcemodi quida juvene quodam vomitu rejectum ſic nominaverit, imponere hoc nomen liceret?) et vomitu rejici: et tandem in hiſce ipſis molis martem ſummo cum fructu adhiberi.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. Viti Riedlini.

Icterus brevi marti cedens, hujusque medicamenti innocentia.

SUb finem fere anni praeteriti, me acceſſit mulier quaedam Erbacenſis, urinam ſororis hoſpitae ibidem afferens ſimulque referens, quod de doloribus praecordiorum atrocibus queratur, et prae his vix reſpirare poſſit, quin niſi ſubminiſtrentur praeſidia idonea, brevi ſit expiratura: ubi cum urina illico monſtraret, icterum ſubeſſe, in hujus praecipue indicia inquiſivi, quorum itidem certior factus, hoc morbo illam laborare

rare edixi; nec contradicebat ſoror, ſed ne niger ſubſit, metuere balneatorem loci, ſubjungebat; hincque eo magis urgebat, ut quantocyus remedia ſuggeram: praeſcribebam itaque laxans, et hujus uſui ſubjungendum Electuar. martiatum: recurrit vero vix biduo elapſo, quae primo me acceſſerat, et refert, laxans praeſtitiſſe quidem, quod deſideratum fuerit, at, licet Electuarium ſedulo in uſum ducat, ardorem tamen ventriculi et cordis anxietatem augeri potius, quam vel minimum imminui: ubi ego quidem ſpec. Diacret. Mynſ. quibus tamen itidem martem addidi, praeſcribo, ſed Electuar. nihilominus et quidem cum hoc alternatim continuare jubeo: et ecce! vix octiduo inde elapſo hinc Dei gratia ſic reſtituebatur, ut ipſa mihi ad loci dominum vocato gratias quam maximas egerit; et electuarium, quod inprimis profuiſſe, poſtmodum notarat, me ſuadente, lubens iterarit: Licet autem plures ejusmodi obſervationes in meis ſcriptis hinc inde narrentur, et hic tamen hanc produco, quia ſicut et antecedens obſervatio meminit, a quibusdam mars inprimis crudus indies magis ſuſpectus redditur; quod enim praecipue notandum, quod licet is in principio, uti hic in principio minus prodeſſe videatur, quin vel malum augeat, vix unquam tamen me poenituit, ſi continuare eundem nihilominus juſſi, tum enim demum ſic prodeſſe coepit, ut eo utentes eo lubentius illum continuarint: alo ipſemet tres filias morbo virgineo identidem divexatas, quarum una absque ullo incommodo martem ſumit; reliquae duae vero, primo ſemper pejuscule poſt illius uſum ſe habuere: nunc autem et eas ſic juvat, ut vel inſcio me ad ejus uſum interdum recurrant, media natu praeſertim, quae tamen ut purgantia interponat (quod et alias ſubinde requiritur) interdum opus habet: et quot quaeſo adducere poſſem virgines pallidam mortis referentes imaginem, quae in uſum ducto marte floridum acquiſivere faciei colorem? nec tum Ictericorum tum Hydropicorum, quos hic juvit, exiguus exiſtit numerus; quin et infantes atrophia laborantes juviſſe, non pauci ſuperſtites teſtantur: nec tantum ſane is adſtrin-

git, ac quidem nonnulli ſibi metuunt. Quemadmodum vero, ne apud Harvaeum ferrei Doctoris titulum obtineam, minime ſic pro univerſali medicina vendito martem, cum iis praecipue, quibus tonus viſcerum adhuc robuſtus contigit, qui bile revera abundant, non tamen tam exundat, quam in vaſis ſuis adhuc continetur, vix parum proſit, quin aliquoties noceat; ita qui in eum invehunt, minus benigne haec non interpretabuntur, cum, ſancte teſtor, non tam ut iis ſim contrarius, quam ne aliorum praecipue juniorum medicorum manibus excutiatur, hoc tam innocens quin ſalutare remedium, non potuerim non et hic publice commendare.

(*Vlma Auguſtam Vind. d. 25. Febr. An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

In extiſpicio perilluſtris cujusdam matronae febre lenta hectica defunctae habita.

MAtrona perilluſtris haemorrhagiis uteri profuſioribus et crebrioribus ſaepius graviſſime afflicta, fluore adhaec albo per intervalla tentata, poſt annum quinquageſimum, triennio abhinc, et quod excurrit, conqueri coepit de dolore in regione lumbari dextra verſus umbilicum et hypogaſtrium ſed et inguen ejus lateris protenſo, urina conſpiciebatur turbida mucoſa cum pure albo ad fundum matracii collecto manifeſte diſcernendo, ut non immerito abſceſſum in rene dextro reconditum eſſe, ego cum honoratiſſimo quopiam Dn. Collega meo in medelae conſortium veniente ſuſpicatus fuerim: praeſcriptae ideo ſunt pilulae abſtergentes et mundificantes, terebinthinato - balſamicae, eſſentiae, tincturae et cumprimis decocta vulneraria, quibus aſſumtis puris equidem excretio cum urina ceſſavit, ſed cum dolor nihilominus ſubinde ingraveſceret, per emulſiones ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus et papaveris

albi

albi aliaque anodyna et narcotica tam interna quam externa ſe mitigari paſſus, balnea autem aqueo-lactea cum mucilaginoſo nitroſis et paregoricis herbis, floribus ac ſeminibus concinnata levamen tantiſper etiam dediſſent, aegra balnei ferini Norici uſum ſibi admodum ſalutarem fore autumabat, ex quo certior facta erat, illud vitriolo martiali multaque ochra impraegnatum virtute ſua tonica et haemorrhagiis uteri ſiſtendis et cohibendo fluori albo ſalutare extitiſſe. Acceſſit ergo dictum balneum et per ſolitum tempus adhibuit, dum interea dolor aliquales habuit inducias, ſed moram acerbitate inſecuta compenſavit, quare ipſa gravius affecta medicam implorare opem cogebatur, accidit autem, ut famae credulae turbae vano rumore allecta in manus empirici incideret, a quo clyſteribus acrioribus aquis ſpirituoſis aromaticis odoriferis citra morem uſitatum intermixtis pretioſis, dein pulveribus mercurialibus, ſudoriferis interpoſitis crebrioribus, demum opiatis immodica doſi oblatis in extremam perniciem deducta eſt: ab eo ſiquidem tempore huc redux facta, noſtram equidem denuo ſummopere expetiit medelam, ſed in caſſum agebantur cuncta, uterus ſubinde ſtillabat ſanguinem, quem fluor albus mucoſo-putrilaginoſus inſequebatur, lenta febris hectica cum mollium partium atrophia vires ſimul depaſcebatur, ut arida cutis ſaltem oſſa obtegeret, appetitus erat proſtratus, alvi pertinax obſtructio per globulos ſaccharatos aut carminativos aut enemata lacteo-mucaginoſa ſollicitanda, nonnumquam repente ſuboriebatur diarrhoea ferme colliquativa, tibiae circa et ſupra utrumque malleolum prurigine ſquammoſa ſubruffa correptae in oedematoſum tumorem laetae ſubinde conſpiciebantur. Tandem diu quidem praeviſa ſed repentina mors ſupremam vitae ſcenam exegit. Inſtituta adeo defuncti corporis inſpectione, ex aperto abdomine notabilis ſeri ſubflaveſcentis copia ſtatim effluxit, omentum exiguos lobulos membranaceos, pinguedinis tantillum ſervantes, ſuſtinuit, ad uterum tamen usque inferius protenſum, hujusque prominulo fundo annexum. Epar amplum pallidi coloris ſcir-

ſcirrhoſam exſeruit duritiem. Lien in quatuor lobos diviſus, ventriculus admodum capax potu ſuffuſus notatus eſt, ilei inteſtini portio inferius dimiſſa cum coeco proximo inteſtino utero cohaeſit. Glandulae meſenterio interſperſae ſcirrhoſa duritie prominuerunt. Ren dexter dimidio minor erat ſiniſtro, pelvis autem membranoſa ſive ſinus ureteris amplus intra eundem inſtar infundibuli latius expanſus ſero urinario adimpletus, reliquae vero glanduloſo-tubuloſa ſubſtantia minus ac in ſtatu naturali compacta et denſa, quin potius mollitie putrida deperdita fuit, haud procul inde autem in conſpectum ſeſe obtulit abſceſſus pure craſſo refertus, aortae et venae cavae deſcendenti trunco conterminus: uterus ſcirrhoſa, duritie protuberans, intus pure ſimili ferme pultaceo turgidus apparuit, quo deterſo cavitas interna cavernulis et loculis plurimis interdiſtincta viſa eſt, nec minus utrumque ovarium, praeſertim dextrum, puri cum tubis ſuis Fallopianis aut ovi ductibus hoſpitium et commeatum praebuit. Pulmones obtutui ſeſe ſtiterunt pallidi punctis coeruleſcentibus exterius notati, cor naturali diſpoſitione praeditum, pericardium autem multa ſuffuſum unda conſpicuum fuit. Jam ſi, quantum conjectura mentis aſſequi valet, ſcrutinium horum phaenomenorum ſuſcipiamus, haemorrhagiis uteri crebrioribus et enormibus obnoxia erat perilluſtris matrona ob ſanguinis ſulphureo-ſalini bilioſi acrioris fluidioris et coccineo ſplendore rutilantis tum exuperantiam tum orgaſmum, vaſcula uterina et erodentem et plus aequo expandentem, ſed et propter eundem intra uterinas et vaginales glandulus flaccidiores et fibras laxiores redditas congeſtum, atque ſimul lympham ſimili acrimonia coinquinatam a reciproco ſuo commeatu interceptam, continuique ſolutionem in glandulis et fibris attentantem fluor albus comes ſubinde accedebat individuus, ſucceſſu temporis ſero urinario virulentia ſeptica quoque perfuſo renis dextri exulceratio fiebat, hac autem remediis travmaticis et balſamicis quadantenus repurgata, pure ad viciniam transmiſſo aut fortean de novo genito, et intra folliculum membrana-

ceum

ceum peculiarem collecto, abſceſſus emerſit contiguus, et quoniam non ſolum tubuli fibrae et glanduloſus contextus uteri cum ovariis ulceroſam corruptelam temporis ſucceſſu ceperant, atque ſeri nutricii ſive lymphatici peridromus interruptus fuerat, non mirum, pus partes etiam haſce inundaſſe, quin propter glandularum in abdomine aliarum conglobatarum vitium idem ſerum lymphaticum in abdominis cavum effuſum facta reſectione mox prorupiſſe, vita autem adhuc durante corpus genio ſuo nutricio defraudaſſe, atque febrem hecticam lentam ingeneraſſe, ut adeo aegra doloribus in regione lumbari et hypogaſtrica ulceroſo - ſpasmodicis interea ſaepius excruciata, poſt ſupremum nutritionis viriumque diſpendium animam ſubito ſed placide depoſuerit, quae ſit in benedictione!

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

Spaſmus muſculi pſoas et iliaci interni dextri dolorificus praenuncius arthritidis.

ARthritidem, praeſertim vagam, ſpaſticum affectum eſſe, a ſale modo bilioſo acri volatili, modo acido, modo ſalino-tartareo fixo, modo ſalſo medio, pro temperamenti aut diſpoſitionis haereditariae congenitae, aut rerum nonnaturalium quotidie obvenientium diverſitate, hinc inde ſub motu quadantenus febrili circa articulos fibrasque ibidem membranaceo - nerveo tendinoſas, perioſtio, membranis, ligamentis, tendinibus, quin et muſculis ac glandulis mucilaginoſis intertextas congeſto, easdemque rodente, lancinante, mordente, atque ad ſtricturas ſpaſticas laceſſente, vir quidam ſexagenario major in ſemetipſo deprehendit, nam cum antehac ante morbi hujus invaſionem, repentinam thoracis ſtricturam cum reſpirationis difficultate improviſa perpeſſus eſſet, anno ſuperiori poſt aequinoctium autumnale fortuito ſpasmum muſculi iliaci interni et

pſoas dextri atque illic contermini muſculi inferioris diaphragmatis tendinoſa expanſione ſenſit, qualis quidem corpore ad quietem compoſito remiſit, ſed quoties ipſe aut corpus in alterutrum latus revolvere aut erigere intendebat, repente invaleſcebat, et praeter dolorem ſpaſticum acerbum reſpirationem repente intercipiebat, nec cedebat, niſi corpore rurſus aliquandiu ad quietem denuo compoſito. Triduo exacto ſuperveniebat dolor iſchiadicus lateris afflicti, mox arthritis vaga manuum pedumque officium intercipiebat, et quo dolor plus affligere coeperat artus, eo magis ſpasmus in nominatis muſculis cum reſpirationis reddita libertate cedebat, hic ipſe autem ſolito citius mitigabatur, radice Ipecacuannae cum nitro depurato pro ſcopo emeticò aſſumta,et repurgatis per enema injectum alvinis ſordibus. Ceterum inter remedia interna levamen praecipuum dedit ſequens decoctum: Recipe Rad. ſarſaeparill. chin. a ℥j. bardan. graminis a ℥ß. polypod. hermodactyl. a ʒiij. Viſci querni ſantal. citrini a ʒij. ſemin. cochleariae, aniſi a ʒj. Inc. et contus. coq. in aq. fontan. ℔iiij. v. cl. ad dimidias, colaturae adde Julep. roſac. citrati a ℥ß. cum hoc decocto ſumebantur Liq. C. C. ſuccinat. et Tinct. ♁ ♀iſat. anatica portione mixtae guttae XXX. Nocturno tempore ingruentes dolores demulcebant pilulae ſequentes. ℞. cort. chin. chin. elect. ʒj. lumbric. terreſtr. ppt. ungul. alcis ppt. cinnab. nativ. ♁ rectif. a ʒß. ſuccin. alb. ppt. myrrh. croci a ℈j. pulveriſata miſc. cum mucilag. tragacanth. per aq. roſar. extracta. Form. e ʒj. pilul. no. XL. Dentur ad ſcatul. pulv. lycopod. reſperſae, quarum XXV. pro doſi capiebantur, addito nonnunquam ad vigilias compeſcendas pil. de cynogloſſ. cum caſtorio gr. j. aut altero: Inter externa Empl. diaſaponatum Barbette nonnihil immutatum profuit: ℞. Minii ceruſſ. ſaponis Venet. ana ℥x. Ol. olivar. ℔ij, axung. porci ℥j. opii in aceto ſoluti ℥ß. coq. l. a. addendo pro colore exaltando minii ℥vj. F. Empl. Nec minoris efficaciae comprobatum fuit ſequens: ℞. Ol. olivar. ℥vj. Ceruſſ. alb. ℥v. coq. in lebete igne lento ac probe agitando miſceantur, poſt

addan-

addantur Cerae alb. ℥iiß. Tereb. ℥iij. maſtich. Oliban. ana ʒiß. camphorae ʒiij. F. l. a. Empl. Paregoricam adhaec virtutem praeſtabat ceratum in Actis Hafnienſibus Vol. III. et IV. Obſ. 9. p. 14. deſcriptum, etſi non adeo concinna ſit compoſitio, tumoremque artuum arthriticum aliquantum diſcutiebat, etſi quoad poſteriorem uſum radix bryoniae alb. radula detrita et impoſita illi palmam praeripuerit. Motus demum poſt dolores ſuperatos reſiduam impotentiam reſtaurabat balneum aquae dulcis, cum notabili ſaponis vulgaris in eadem ſoluti quantitate, et rad. leviſtici, valeran. major. ariſtol. long. clematit. herb. ſabin. meliſſ. artemis. lavendul. origan. matricar. fl. chamaem. Roman. ſambuc. calendul. bacc. laur. junip. ſemine urticae vulgaris et cumini incoctis paratum. Auxilii ſalutaris interea non minimam ſibi partem merito vindicavit haemorrhoidum internarum fluxus ſuperveniens Criticus, cum notabili euphoria obtingens.

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. Johan. Mauricii Hoffmanni.

Infans ex fiſſura oſſis frontis epilepſia mortua.

PUella, infelici ex menſa in pavimentum capite prono lapſu, epilepſia mox correpta eſt, tametſi externe nulla continui ſolutio cruenta notari potuerit, ſed cutis cum panniculo carnoſo in tumorem oblongum longitudinis duorum digitorum transverſorum et unius transverſi minoris latitudine conſpicuum et quodammodo transparentem elevata apparuerit, certiſſimo ſeri lymphatici in reciproco commeatu intercepti, tum ex fibris membranaceo-nerveo-tendineis abruptis effuſi ſubtus collecti indicio. Medici aliquot in conſilium adhibiti antepilepticis cruoremque coagulatum reſolventibus aliisque ex methodo medendi exquiſitis praeſcriptis medicamentis miſellae medelam ferre omni ope enitebantur, nec minus chirurgi epithemate ex aq.

calcis vivae et ſambuci cum ſpiritu vini camphorato et matricali remixto, tum et ſacculis ſpeciebus cephalicis nervinis diſcutientibus et anodynis repletis poſt coctionem in vino et factam decentem expreſſionem capiti impoſitis, officia ſua adimplere allaborabant, ſed citra eventus ſalutaris ſpem, quin paroxyſmi epileptici ſubinde ingraveſcentes puellae, hinc ſopore profundo quaſi jamdum demortuae, triſte praeſagium et adſtantes et parentes animo praeſumere faciebant, quamobrem etiam apertionem tumoris ſummopere deteſtabantur et prorſus renuebant, ut adeo poſt obitum demum eo diſſecto in cranii oſſe frontis notari potuerit fiſſura per utramque laminam transmiſſa, ejusdem prorſus formae et longitudinis, prout tumor externus viſibilis conſpicuus fuerat.

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

Contuſio verticis et thoracis lateris dextri graviſſima, periculoſis ſymptomatibus ſtipata, feliciter curata.

VIr quadragenarius cum tormentum bellicum accendiſſet prope adſtans, et disjecto per pulveris pyrii impetum fulcimento ligneo, cui illud innitebatur, in tantum ſubverſus fuiſſet, ut vertice capitis in terram primum detruſo, mox in cervicem, nucham, dehinc in latus dextrum proſterneretur, ſemianimis factus domum deportatus eſt, de immenſa cephalalgia, reſpirationis ſumma difficultate et dolore cervicis tactique lateris et brachii punctorio lancinante et tenſivo conqueſtus. Advocatus ego altero die ad aegrum ſuſcepto itinere veniens, eundem cum virium diſpendio extremo, pulſu debili et interrupto, mentis quidem compotem ſed aegerrime loquentem offendi: Venae ſectione itaque revulſoria in brachio ſano citra moram, ſed ob languorem patientis, parca manu adminiſtrata, decoctum traumaticum ex rad. tuſſilag. enul. a ℥ß. liquirit. irid. florent.

florent. ana ʒij. herb. veronic. ſcabios. hyſſopi flor. bellid. min. a Mß. flor. pap. errat. P. ii. ſem. foenicul. ʒj. caric. pinguib. numer. iij. paſſul. min. ſacch. candi rubr. ana ℥iij. in ſ. q. aquae hordei decoquendis praeſcripſi: cui deinde, tuſſi et dyſpnoea urgente, aliud ſubſtitui ex ſpec. decocti pectoralis Aug. ℥i. C. C. raſp. rad. liquirit. rubiae tinctorum, chinae ſcob. ligni ſaſſafras ana ʒiij herb. ſcabios. chaerefol. a Mß. flor. papav. errat. P. ij. paſſul. minor. ℥ß, cum aq. decoctis concinnatum. Viribus proſpiciebam aq. confortativ. Aug. ſubinde propinata, admixtis pulveribus Marchion. Anglic. Cantian. ſpecif. cephalic. Mich. ♁ diaphor. ſpermat. cet. ſpec. diair. ſimpl. flor. ſulph. et g. ſang. draconis &c. Vertici pro fotu ſacculi pulv. rad. ariſtoloch. long. paeon. lil. alb. ſymphyt. irid. florent. herb. origan. betonic. alchimill. majoran. rorismarin. ſem. cumini et croco repleti interpaſſati poſt factam prius vino calido immerſionem et expresſionem decentem imponebantur. Pro inunctione verticis et cervicis ſeq. mixtura litu ſuo omne punctum ferebat: ℞. aq. anhaltin. ʒvj. ſpir. vini camphorat. ſpir. caſtorii compoſit. Londinens. a ℥ß. matricalis Sal. ammoniaci ſuccinat. a ʒiij. Ol. ſuccin. deſtill. lavendul. deſtill. rorismar. deſtill. a. gtt. vj. compoſita. Lateri contuſo cataplasma ex farina fabar. orobi hordei fl. chamaem. melilot. ſambuc. a ℥ß. ſemin. foenugraec. ʒvj. h. ſcord. abrotan. ſummit. abſinth. ana Mj. cum aq. ſambuci paratum, admixto uſus tempore ſpiritu vini camphorato crocato praeſto erat, illud autem emplaſtr. ex gum. ammoniac. heder. myrrh. ſulph. croco camphora cum terebinthin. et cera l. a. factum excipiebat. Brachium ſimul afflictum pro reſtituenda in integrum movendi potentia ungebatur lenimento ex Ol. lumbr. terreſtr. hyperic. irin. caſtor. ana ʒiij. chamaemel. deſtill. ſuccin. deſtill. a. gtt. vj. ſaſſafras deſtill. bacc. junip. deſt. a. gtt. iij. lavendul. deſt. gtt. iiij adornatum. Ceterum infuſo thee vel veronic. cum ſcob. lign. ſaſſafras et ſemine badian. quotidie mane ſorbillando epoto atque inſtillato Tincturae traumatic. Exc. Wedelii guttis XXX. ad XL. patiens, divi-

na favente gratia, et remediorum enumeratorum auxilio adjutus, cum ſanitate priſtina in gratiam rediit.

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. Joh. Mauricii Hoffmanni.

Tumor parotidis dextrae oedematoſo - ſcirrhoſus.

ILluſtriſſima quaedam matrona, plurium liberorum mater, antehac abſceſſum reconditum aluit ſub oculi dextri angulo interno, pus collectum ſtato tempore poſt ſpontaneam rupturam effundentem, qualis poſtmodum ab uſu thermarum embdenſium ſanatus creditus eſt, dum nihilominus ſucceſſu temporis per puncta duo lacrymalia in ſaccum lacrymalem et canalem naſalem extra nares ichor ſanioſus excretus eſt, cujus expurgationem illuſtriſſima matrona pulverum ſternutatoriorum naribus immiſſorum ope ſubinde et provocare et promovere ſolita erat: ſed cum utero concepiſſet, ſternutationemque ob metuendam exinde inſignem corporis concuſſionem haud tutam fore perſuaſa eſſet, adeoque ptarmicorum alias ſalutiferam opem in perniciem ſuam ceſſuram reputaſſet, ſanioſi ichoris excretione per nares prorſus ſuppreſſa tumor in parotide dextra exortus eſt oedematoſo- ſcirrhoſus, amplitudinem ulteriorem ſucceſſive nactus, loquelae articulatae, capitis circumgyrationi et cervicis flexioni incommodus, aegramque ad expetendum conſilium meum cogens; poſtquam igitur circumſtantiae modo recenſitae mihi innotuerant, et ſeri lymphatici ſanioſo- ichoroſi uberioris colluviei ſecretione et excretione aſſueta alibi ſufflaminata metaſtaſin ad parotidem vicinam dextram eveniſſe facile hariolari poteram; illuc igitur medendi ſcopum dirigendum eſſe cenſui, ut ſanioſi ichoris ad parotidem intumefactam affluxuri copia per diaphoriſin et diureſin nec non ſalivationem adauctam imminueretur, acrimonia ſalina temperaretur, et concretum inde enatum morbidum diſcuteretur. Cui fini ſequen-

ſequentes ſpecies in vicem Thee aquae ferventi infundendas et ſorbillando hauriendas deſignavi. ℞. Rad. ſarſaparill. chin. gramin. ana ℥ß. bardan. polypod. ana ʒiij. ſcob. l. ſaſſafras ʒvj. caſſiae ligneae ſem. aniſi indici ſtellati cum cortice ana ʒij. ſummit. ſerpill. P. iiij. paſſul. minor. mundat. ℥j. Inc. et contuſ. gr. modo Miſc. dentur ad chart. Sgr. Species zum Fluß-Kräuter Thee. Cum infuſo autem praedicto ſimul aſſumebantur ſequentis Mixturae guttae XXX. ℞. Eſſent. l. ſaſſafr. compoſit. Batean. ℥ß. rorismarin. compoſit. ʒiiß. ſpir. ſalis ammon. ſuccinat. ʒiß. miſc. Trochiſci porro tales pro apophlegmatismo maſticandae et in ore circumvolvendae hinc exſpuendae offerebantur. ℞. Rad. pyrethri maſtich. ol. cinam. cardam. minoris ſemin. eruc. a ʒß. caryophyll. aromat. cubeb. a ℈ij. ſacchar. ℥ß. pulveriſata excipiantur cum mucilag. tragacanth. per aquam meliſſ. extracta. F. Trochiſci. D. ad ſcatul. Sgr. Schleim- und Fluß-abziehende Zeltlein. Tumori imponendum ſuaſi emplaſtrum malacticum, cujus deſcriptionem inſerendam curavi Ephemerid. Germanicar. noſtrarum decur. III. Anni V, et VI. obſ. xcix. p. 198. eidem autem cum tumor cedere renueret, ſubſtitui Cerat. de ammoniac. Foreſti, cujus ℥iß. pulv. caſtorii ʒj. admixta erat. Sic paulatim decreſcere viſus eſt tumor, dum Illuſtriſſima matrona mola informi fibroſo- carnoſa per abortum fortuitum rejecta, pulverum ptarmicorum intra nares admiſſionem repetendam proficuam rurſus ulterius fore retur et veri ſi quid mens augurat optat.

(*Onoldo-Auguſtam Vind. d. 2. Mart. An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO XXXII.

Dn. L. Joh. Matthiae Mülleri.

De Gutta ſerena ex capitis ſcabie retropulſa, poſt hujus revocationem feliciter ſanata.

Filiolus quidam octennis honeſtis Ingelfingae parentibus natus poſt ſcabiei capitis ſubitam exſiccationem etiam ſubito gutta

gutta corripitur utriusque oculi ſerena: antequam ad ipſum acceſſebar cum internis ſudoriferis veſicatorium nuchae fuit applicatum, poſtea die 14. Dec. An. 1716. ego conſultus ſequentia praeſcripſi: ℞. MP. de ſuccin. Crat. ☿ dulc. 16ies ſublimat. ana ℈ß. extr. coloc. gr. j. f. pil. n. XI. pro una doſi. Sequenti die ℞. Rad. valer. ℥ß. irid. flor. ʒiß. flor. anth. ſalv. ana ʒß. herb. euphraſ. ʒij. ſem. aniſ. foenic. ſil. mont. rut. lign. aloës cubeb. ana ʒj. mac. nuc. moſch. ana ℈ij. cinamom. cort. culilab. ana ℈iv. pulv. cinnabarin. ʒiij. ambr. gryſ. gr. ij. ſacchar. ad p. o. de qua tragea hora 1. ante prandium et coenam ac ſub introitum in lectum cultell. cuſp. 2. propinand. ℞. Raſ. lign. ſanct. ℥iij. cort. culilab. ʒiiß. lign. ſaſſafras. rad. ſarſapar. chelid. maj. enul. ana ℥ß. valerian. ℥j. herb. ſalv. beton. chamaedr. rorismar. ana mij. euphraſ. miij. fl. ſcab. miß. ſem. ſiler. mont. rut. cinam. ac. ana ʒij. caryoph. ʒiß. M. coq. in menſ. iß. △ font. ad $\frac{1}{3}$ part. conſ. de quo decocto mane hor. 7. et pom. h 3. uncias 3. bibendas, et intra ſcapulas rad. valerian. rec. pendendam pro amuleto, id quod ſingulis 4. vel 6. diebus reiterandum, empl. item veſicatorium capiti, illoque remoto, ad fluorem per aliquot dies ſollicitandum empl. ſaturnin. cum $\frac{1}{3}$ parte empl. veſicatorii permixtum apponendum praecepi; ac fonticulum intra 2. et 3. colli vertebram inurendum curavi. Praeterea uſum aëris temperati in hypocauſto temperate calido, ciborum concoctu facilium, bene coctorum, chylum laudabilem praebentium ſuaſi, non nimis tamen pro una vice, idcirco etiam parum hor. 1. poſt aſſumtum decoctum pro jentaculo et merenda conceſſi, quia appetitu, more aetatis iſtius, inſigni gaudebat. Potus ſit cereviſia bene defaecata, vel vinum dimidia aquae parte dilutum, et cubitus elato capite, oculi interdiu et veſperi, praeſente candela, velamento muniantur; aërem vero frigidum, fumoſum, humidum, hypocauſtum nimis calidum, alimenta frigida, ſalita, acida, fumo indurata, acria, aromatibus nimis condita, dura, viſcoſa, flatulenta, concoctu difficilia, lacticinia, merum,

vigilias,

vigilias, motum nimium, iram, moeſtitiam, fletum &c. fugienda dixi. Patiens, qui magna viſum recuperandi cupiditate flagrabat, morigerus in omnibus fuit; Divina quoque clementia remediis hisce ita benedixit, ut circa finem ejusdem Dec. proritata inde iterum capitis ſcabie admodum humida, paulatim viſum denuo obtinuerit, ac literarum etiam minorum typum, ut antequam corriperetur coecitate, cognoſcere potuerit.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. L. Johannis Matthiae Mülleri.

De

Haemoptyſi vera absque tuſſi.

MEnſe praecedentis anni Junio ad honeſti hujus loci civis uxorem 30. circiter annorum, duorum liberorum matrem, fui accerſitus, quae, cum per aliquot hebdomades quandam reſpirandi antea paſſa eſſet difficultatem, nullo menſium vitio laborans, derepente ſanguinis partim floridi ac ſpumoſi, partim nigri exſpuit ultra 30. uncias, idque, uti ajebat, ſine tuſſi atque vomitu; ſanguis enim *ἀθρόως* erupit, quam ſanguinis jacturam magna ſtatim inſecuta eſt virium debilitas, et poſtea quoque febris hectica. Haemoptyſi ſequentibus obviam ivi: ℞. Extr. aloes menſtr. aqueo par. ʒß. ſolv. cum balſ. vulner. Dippel. ℥ß. add. tinct. antiphthiſ. Garm. ℈iv. de qua mixtura ſing. 8. hor. gutt. 50. exhibui in ſeq. vehiculo. ℞. ▽ fl. acac. ℥vj. extr. naſturt. ▽r. chaerefol. hed. terreſtr. aa ʒij. ſyr. pector. Mynſ. farfar. chaerefol. aa ℥ß. quibus iſta illico ſubſtitit. Vires convenientibus tam internis quam externis analepticis refocillavi, febremque hecticam viperinis, juſculis et pulveribus cum ſudorif. max. Fabr. permixtis, aliisque neceſſariis, ut et dolorem ſcapulae ſiniſtrae per empl. galb. croc. Mynſ. cicut. ran. cum ☿ aa &c. auxilio divino ſuſtuli. Sicque ad hodiernum uſque diem ſana vixit atque incolumis.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. L. Johannis Matthiae Mülleri.

De

Periculoſa hypercatharſi breviſſimo tempore ſublata.

MOlitori Ingelfingenſi anno 1706. menſe Januario chirurgus quidam purgans aſſumendum perſvaſit, et etiam pulv. jalapp. ʒj. propinavit, quod medicamentum diros abdominis dolores cum ingenti hypercatharſi, magnae ſanguinis puri quantitatis per ſeceſſum evacuatione, inſigni virium proſtratione, ſiti, aeſtu &c. movit, hoc in ſtatu circa veſperam meum imploratur conſilium. ℞. igitur ▽. tormentill. plantag. a ℥iiß. maſtich cinam. cydon. aa ℥j. diaſcord. Fracaſt. ʒß. extr. torment. pulv. pannon. rubr. g. arab. antidyſent. aa. ʒj. terr. vitriol. dulc. catech. aa ℈ij. ſyr. cydon. ℥iß. conf. alkerm. incompl. ʒij de qua mixtur. ſing. 2. vel 3. hor. cap. cochl. ℞. Empl. de cruſt. pan. ℥ß. vitrioli mart. ʒj. ol. deſt. menth. ℈j. pro empl. ad ventric. reg. et umbilic. Sequenti nocte bene quievit, doloribus abdominis cum ſiti et calore mitigatis, ſed quia mixtura pene immutata adhuc per alvum egerebatur, hinc continuavi. ℞. Conſ. menth. vitriolat. roſ. vitriolat. aa ℥ß. ther. Androm. ʒij. pulv. maſtich ʒß. terr. vitriol. dulc. catech. aa. ℈j. myv. cydon. ʒvj. olei deſtill. nuc. moſch. gutt. iv. cinam. gutt. ij. cujus electuarii doſis cult. cuſp. 2. vel 3. ſing. 3. horis, quibus divino auxilio eſt priſtinae ſanitati reſtitutus.

OBSER-

OBSERVATIO XXXV.

Dn. L. Johannis Matthiae Mülleri.

De

Inteſtinis fere omnibus per herniam monſtroſae magnitudinis umbilicalem prolapſis, et urinae per funiculum umbilicalem excretione.

ANno 1704. ruſtici cujusdam uxor in pago Forbach zimmern/ qui milliare unum Weikershemia ad Tubarim, ubi tunc Phyſici munere fungebar, diſtat, tempore graviditatis in terram aliquando lapſa poſt aliquot hebdomades, calendis nimirum Octobris, filiolum peperit, cujus inteſtina per herniam monſtroſae magnitudinis umbilicalem propenderunt fere omnia, cum ventre admodum flaccido; altera die vocatus motum inteſtinulorum periſtalticum, linteolumque, cui funiculus involvebatur umbilicalis, lotio, (quod nunquam, uti relatum mihi eſt, per penem extillabat, ſed per eundem ipſum umbilici funiculum) madidum accurate conſpicere potui, neceſſaria quidem praeſcripſi, ſed omnia fruſtra, tumor enim hernioſus liveſcere jamdum coepit, et quarta die mors ſupervenit, cujus cadaveris apertionem inſtanter quidem petii, a parentibus autem moroſis impetrare nequivi.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. L. Johannis Matthiae Mülleri.

De

Haemorrhoidibus quotidie fluentibus in puero ſexenni.

CAuponis filiolus ſexennis per ſemeſtre a convivis quotidie fere ad vinum meracius bibendum, et quidem in majori copia, quam talis tenella aetas perferre poteſt, allectus, menſe anni

anni praecedentis Majo fluxu haemorrhoidali quotidiano corripitur ſat copioſo, cum diſpoſitione hectica &c. Quod quum perterriti parentes animadverterent, meum expoſcebant conſilium; ſtatim omnem vini uſum plane diſſvaſi, adque potum ordinarie ſumendum cereviſiam utilem judicavi, in qua nodulus ex herb. chelid. min. millefol. cap. ♀. hep. nob. aa. mj. raſ. lign. ſaſſafr. ʒvj. paſſul. min. ℥j. ſuſpenſus ſit, item ℞. Extr. millefol. plantag. agrimon. aa ʒj. ♂pomat. ʒij. ▽. hep. nob. cich. aa ℥iiß. pulv. rad. ſcrophul. viperin. nitr. depur. aa ʒiß. ſyr. ſymphit. ℥j. de qua mixt. mane et pom. 2. cochl. cap. ℞. Ungu. de linar. ℥ß. ol. expr. hyoſc. ʒiß. pulv. rad. ſcrophul. ℈ij. pro ungu. ad pod. ordinavi; hisce aliquamdiu continuatis pinguior vegetiorque factus ac fluxus haemorrhoidalis imminutus fuit, quo in ſtatu ad plura medicamenta aſſumenda non amplius perſuaderi potuit, licet haemorrhoides ad hodiernum usque diem quandoque, ſine ulla tamen moleſtia, apertae ſint.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. L. Johannis Matthiae Mülleri.

De
Febre quintana.

VIr juvenis ex vicinia viginti aliquot habens annos febrem per plurimos menſes patitur intermittentem, quae aliquoties ſuppreſſa, ſubinde ſub alia recidivat ſpecie, et tandem in quintanam deſinit, poſt tres nimirum intermittentes dies certa hora a nonnullis hebdomadibus periodum obſervans, cum perpetua nauſeae, anorexiae, cephalalgiae, dorſi doloris &c. moleſtia; tandem ann. praec. die 12. Maji me adit meumque implorat auxilium, ℞. igitur pulv. rad. Ipecacuanh. ℈ij. qui aliquot cum emolumento effecit vomitus, ℞. MP. Becher. ℥ß. f. pil. pond. gr. I. in☽tentur, quarum 20. pro doſi h. 6. mat. ℞. pulv. cort. chachirill. ʒß. ☿ vitriolat. ℈viij. pro 8. doſ. mat. bihor. poſt

pil.

pil. et veſp. ℞. Extr. abſinth. gentian. card. ben. cent. min. aa ʒj. ſolv. cum ▽. menth. ℥iß. add. ſpir. ſal. amm. vol. ʒiij. gutt. 60. h. 1. ante prand. et coen. in convenienti vehiculo, quorum continuato uſu cum obſervatis diaetae regulis per Dei gratiam integre convaluit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. L. Johannis Matthiae Mülleri.

De

Excreſcentia carnea ex vetulae veſicae urinariae orificio pronata.

VIdua ſexagenaria dolores aliquandiu nephriticos cum dyſuria paſſa poſt varia per muliercularum filoſophica conſilia incaſſum uſurpata etiam meam operam tentare cupit, et cum primo ſtatim die per medicamenta a me rite praeſcripta dolores non plane remitterent, licet praedixeram, hunc dolorem jam altas in rene agentem radices tam feſtinanter minime ceſſaturum, illorum tamen uſum continuare renuit, praeſertim cum mulierculae ipſi inſuſurrarent, ſubjectum morbi non renem eſſe, ſed uterum potius in abdomine circumvolantem iſtos cauſari dolores. Gentis itaque plebejae opinioni meam medendi methodum ſpernentis cedebam, donec poſt 4. integros menſes ob ſummum vitae periculum revocarer; tunc aegrota, macilenta, hectica, viribusque exhauſta mihi narravit: dolorem circa renis ſiniſtri regionem hactenus fuiſſe admodum auctum, et ante paucas hebdomades urinam exiiſſe copioſo ſanguine atque pure permixtam, a quo tempore (poſt apertum nimirum renis ulcus) dolorem remiſſiori ibidem ſe ſentire gradu, urgentiſſimum vero ſymptoma eſſe, urinam (quae erat craſſa, turbida, foetida, cum copioſo ſedimento albo purulento) maxima et doloriosiſſima difficultate, ſaepius quidem, ſed perperum excerni, proinde neque ſedere, neque diu cubare, neque rite incedere, neque ſuaviter dormire, neque cum appetitu cibum capere poſſe; de-

nudato ſimul ſinu locum affectum mihi monſtravit, et, quamvis condito teſtamento aliisque ſe ad mortem compoſuiſſet, errorem tamen ſuum, dum mulicrcularum perſuaſionibus locum dediſſet, agnoſcens, montesque aureos promittens, meum anxie petiit auxilium. Diductis itaque, miniſtrante ancilla, alis vel nymphis (valde hic extra labia elatis) accurata inquiſitione notavi, ex ipſo veſicae orificio excreſcentiam carneam, rubram, fungoſam, fabae magnitudine prodiiſſe, orificiumque ita obturaſſe, ut urinae exitui majus ſpatium non fuerit relictum, quam filum cannabinum (dünner Bindfaden) alias occupare poteſt; tanto igitur niſu urina per ſe valde craſſa expellenda fuit. Et, ſi illa excreſcentia, quae ab eroſione veſicae ſphincteris per urinae puriſque acrimoniam (unde perpetuus quoque mingendi ſtimulus) producta, uti ego quidem opinor, originem ducebat, parum adhuc creviſſet, clauſiſſet veſicae orificium, et urinae in ejusmodi ulteriori excretionis conſtitutione ſine omni dubio obicem plane poſuiſſet, atque ita patienti miſerabilem in modum brevi tempore fuiſſet pereundum. Aſt Divinae clementiae placuit medicamenta, quae ad ſananda renum ulcera atque hecticam praeſcribere ſoleo, pulverem item pro excreſcentiae conſumtione ex ſuber. ſpong. alum. uſt. alôe, gall. tut. ppt. ☿ praecipitat. &c. hocque non ſufficiente, ſolutionem ☿♎ gr. v. cum ▽ roſ. ℥ij. et addit. ceruſſ. gr. xv. cum penicillo ſubtiliſſimo applicatam; pro ſphincteris defenſione unguentum anodynum; partium vicinarum excoriatione, ungu. de ceruſſa; doloris mitigatione ol. ovor. mucilag. ſem. cyd. &c. tanta benedictione proſequutus ſum, ut excreſcentia fruſtillatim exciderit, omniaque ſymptomata paulatim ceſſarint; nam urinae liberiorem obtinuit exitum, reliquasque functiones ſupra memoratas promtius peragere potuit; ſicque, aliquot hebdomadibus elapſis, virium atque corporis majori incremento inſtructa foras exiens ſoſtri mei popoſcit rationes, quas cum, valde etiam moderatas, exhibuiſſem, iſta tamen quanquam opulenta prolibusque carens mulier, ingratiſſimorum aliorum et proprio

con-

conſueto more hiſce admodum contradixit, et ad excreſcentiae particulae reſiduae, dimidii piſi magnitudinem non excedentis, in ipſo veſicae collo latitantis, et, nonniſi eo, quo veſica exonerari ſolet, conatu conſpicuae ſublationem, meam non amplius deſideravit directionem, idque laetabili cum mea ſublevatione, invitus enim talem inverecundum intuitus ſum locum. Attamen ab ipſa rogatus atteſtari poſſum, illam nulla alia, quam deſcripta, laboraſſe paſſione, ſicque a lue venerea contra nonnullorum rumores immunem fuiſſe.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. Lic. Joh. Matthiae Mülleri.

De Menſtruo fluxu poſt duas ſeptimanas ordinarie revertente.

VIrgo honeſtiſſimis parentibus prognata ab anno aetatis decimo quarto menſium fluxum ſentire incepit, qui poſt 14. dies ordinarie revertitur, et initio per totum octiduum, poſtea 5. vel 6. dies ſat copioſe durat, qualem periodum menſes poſt duas ſeptimanas jam ultra ſesquiannum in hac virgine alias ſana, robuſta, procera, plethorica, nihilque ſanitatis detrimenti inde patiente ſervarunt.

OBSERVATIO XL.

Dn. L. Joh. Matthiae Mülleri.

De Variolis cum intermixtis puſtulis miliariis, et periculoſiſſimis ſymptomatibus, in virgine, curatis.

DIe 30. *Maji* anni currentis ſplendidae familiae virgo 17. annorum aegrotare coepit, die tertio variolae epidemicae graſſantes in cute, ac die quarto et quinto menſes extraordinarie apparent, hinc die ſexto variolae retrocedere videntur, ſuperve-

perveniente lipothymia, qua ceſſante, iſtae ad tincturae bezoardicae uſum iterum fuere propulſae; die ſeptimo vocatus variolas non ſuperfluas, ſatis elatas, nonnullas etiam jam ſuppuratas, intra illarum interſtitia autem, praeſertim in dorſo et collo puſtulas miliarias innumerabiles adverti; ſitis erat inexplebilis, ut et aeſtus intenſiſſimus, pulſus frequentiſſimus cum tendinum ſubſultibus, urinae aqueae ſingulis 4. fere momentis excretio, locutio perpetua inconſueta, doloris ardentis in pectore ſenſus &c. hinc ſequentia propinavi medicamenta. ℞. Liquor. antivariolos. ℥ß. de quo gutt. 70. Mß. decocti pro potu ord. inſtillandae. ℞. ſem. nap. card. ben. ▽leg. ana ʒiß. f. c. ▽. fl. ſamb. card. ben. fumar. ana ℥iß. emulſ. add. pulv. marchion. bez. alb. Senn. viperin. ſimpl. ana ʒj. nerv. ʒij. ſyr. fumar. ſucc. cherm. ana ℥ß. de qua mixtura ſaepius cochl. iij. exhibenda. Sequenti nocte admodum deliravit. Die 8vo. ℞. Arcan. dupl. Mynſ. ʒiß. cult. cuſp. j. ſolv. cum M.ß. pot. ord. ℞. Emulſ. praec. ſine pulveribus, loco ſyr. et ſucc. add. ſacch. perlat. ℥ß. ℞. pulv. antiloim. bez. alb. Senn. viperin. ſimpl. ana ℈ij. nerv. ℈iv. pro 4. doſ. Die nono ex ambabus naribus ſanguinis emanarunt fere ℥xv. cum inſecuta inſigni virium proſtratione. ℞. Priap. cerv. glutin. g. arab. ana ʒj. lap. haemat. ppt. ʒij. M. f. pulv. ſubtitiſſ. naribus attrahendus. ℞. ▽. Rub. id. cort. citr. cord. temp. ana ℥j. cinam. bugl. ℥ß. margar. or. ppt. ʒj. oc. ♋. ppt. ʒj. ſacch. perlat. ℥ß. Poſt diem undecimum, tempore nimirum exſiccationis, omnia ſymptomata remiſerant, ac placide dormire potuit, urgente quoque appetitu cum viribus ſanitatem, per Dei Gratiam, recuperavit integram.

(*Cünzelſavio- Auguſtam Vind. d. 17. Martii An. 1718. miſſae.*)

OBSER-

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. Georgii Dethardingii.

Mira Salivatio.

APpello talem, qualem per octiduum obſervare nuperrime licuit in viro viginti octo circiter annorum, quando ſalivae pellucidae et clarae ultra triginta uncias ſpatio unius diei profluxit, citra quod Mercurio eadem fuerit prolecta. Non negaverim, ſuſpicionem de Mercurio aſſumpto me tenuiſſe ſuſpenſum, quandoquidem hic aeger non modo anno elapſo Gonorrhaea ex contagio laboravit, et ad hanc fugandam Medicaſtrorum opem adhibuit, ſed etiam, quando denuo ex liberaliori potuum generoſorum hauſtu in gonorrhaeam incidit, et ſimul tumore teſticuli ſiniſtri correptus Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio ſcroto circumdedit. Aſt, ut illam deponerem, non modo me juſſit confeſſio ipſius aegroti, quod olim quidem decocta lignorum hauſiſſet, ſed Salivationis Mercurialis omnino eſſet ignarus; tum quoque ſputatio haec jamdum ante inceperat, quam Emplaſtri iſtius admotio facta, nec minimum remiſit, quamvis ſubito fuerit remotum. Neque negaverim, me in conſilium vocatum per primos dies illam ſelegiſſe methodum, quae in ſalivatione Mercuriali nimia ſervari ſolet, me pugnaſſe ſudationibus, purgationibus, ſed, non modo in vanum, quam magis cum augmento fluxus, ſubitanea virium proſtratione, ac carnis muſculoſae tanta flacciditate, quam quidem nec in ſenſibiliſſimis a ſalivatione Mercuriali unquam obſervaveram. Nec eſt ut ardorem oris gargariſmatibus ex Radice Altheae, decocto raparum &c. vel minimum extinxiſſem, adeo ab his omnibus nihil levabatur aeger. Omiſſa ergo omni ſuſpicione de Mercurio aſſumpto et inſuper circumſtantias circa os obvias curatius penſitando, quando fauces erant ſalvae, lingua anterius tumida, labia praetumida, ut horum motus citra doloroſum ſenſum non fieret, et aeger

citius ſcribendo quam loquendo animi ſenſa promeret, tum quoque aurum ore detentum nihil tingebatur, ut mihi intimius oris interna perluſtrare permitteret; aegrotum rogavi, et quando hoc obtinui, interius ceteroquin omnia ſalva, ſed lingua elevata conſpexi oſcula glandularum ſublingualium, quo verſus gingivas properant, ampla ſatis et hiantia, flumen tam largum fundere. Relicta ergo methodo priori, decocto in hanc formam praeſcripto: ℞. Radic. chin. Scorzoner. ana ℥j. acetoſ. ſarſaparill. ana ℥ß. biſtort. ʒij. ſem. aniſ. ſtellat. ʒj. M. et linimento, oſculis ſub ipſa lingua patulis, penna applicando, ℞. Mucilag. ſem. pſyllii cum ∇ roſar. fact. ℥ß. lact. lun. ℈j. M. Hunc aegrum, annuente Deo, ex faucibus mortis eripere licuit, quo neminem magis illis intruſum fuiſſe unquam memini. Bulimus quidem et Gonorrhaea abhinc exercuerunt illum, ſed hi hoſtes facilius fuere temporis tractu debellati.

(*Roſtochio Auguſtam Vind. d. 18. Mart. An. 1718. miſſa.*)

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. Eliae Camerarii.

Humorum in Tumoribus Anadrome.

NIhil aeque moleſtum eſt in extirpandis Tumoribus, ac conſtanter auferendis, quam recurſus ille humorum ad priſtinam ſedem, vel potius ſucceſſio, ac collectio novi, partem, quae ſubſederat, iterum attollentis liquidi, quae evenire haud infrequenter ſolet poſt eductos manu chirurgi liquores ex tumoribus, iis maxime, qui liquida ſua peculiari clauſa folliculo continent. Maximi etiam tumores recurſus iſtius ac collecti denuo liquidi ſubminiſtrant exempla; Adminiſtrata in Hydrope Paracenteſis, ſi rariore fortuna ſphacelum mortisque accelerationem aliquibus haud inferat, funeſto tamen ſeri in priſtinas ſedes recurſu novos tumores, nova chirurgis exercitia exhibet; Hydrocele frequentiora adhuc anadromes iſtius ſuggerit exempla, cum non ſolum

ſolum aliquoties punctum in pueris ſcrotum novo iterum turgeat latice, novo vulnere educendo, ſed et virorum frequentia ſe offerant exempla, qui ad operationem iſtam pluribus etiam recurrere vicibus coacti ſunt, qualis nuper obſervatus, qui viginti circiter vicibus liquidam iſtam ſcroti ſarcinam manu chirurgi depoſuit, eduxitque, hactenus quidem felici ſucceſſu, quod vix aliis eadem toties felicitate ſucceſſerit. Maxime hinc placuit quondam operandi methodus experti in vicino Rotenburgo chirurgi, Steinii, qui plures hydrocele laborantes conſtanti ratione ab iſthoc malo metuque liberavit, facta non ſimplici ſeri eductione, ſed ampliori ſcroti inciſione, ut ipſa extillantis ſeri ſcaturigo, jacto acrioribus paulo digeſtivis mediantibus laudabili ſtabilique fundamento, conſolidato ſic intimius vulnere, penitus occluderetur. Eadem tumorum alibi in corpore occurrentium ratio eſt, redeunt facile humores novi, aeque depravati in ſedes a prioribus chirurgi manu eductis relictas: Extat in praeced. Eph. N. C. Tom. Cent. VI. Obſ. 36. exemplum tumoris colli mole ſua formidandi, qui ab exilibus glandularum intumeſcentium primordiis a majo inde ann. 1714. ad ann. 1716. Jul. in tantam tumorum vaſtiſſimorum congeriem excreverat, ut vir ea mole laborans haud amplius vel tantillum inclinare caput antrorſum, laborisve ſui objectum poſſet intueri. Adacta vi lanceola ex pluribus iſtis tumoribus eduxerat ejaculatae cum impetu fuſcam referentis cereviſiam aquae libras octo, nec deſierat octo continuis ſeptimanis effluere obſcura ejusmodi aqua largiſſima, quam exceperat fluens per quatuor hebdomadas albicans aliud fluidum ſanioſum, quo finito, decima quarta hebdomade coaluerant iſta colli vulnera, redeunte illo ad gracilitatem, ſervante tamen duriuſculas cicatrices: Uti vero ibi annotatum eſt, protractam diutius fuiſſe conſolidationem, quod iſtae colli cavitates non tulerint injectiones, quas graves mox colli ſecutae fuerint inflammationes, ita vir ille hactenus a biennio egregie valuit, ut de conſtanti ſublatione mali vix dubium ipſi ſuperfuerit ullum. Nuper vero efferri denuo coepit tumor, cumque altius indies attolleretur,

 teſtare-

teſtareturque proin de nova collectione liquidi cujuſcunque, idem chirurgus, quem cit. loco laudaveram G. W. Sturmius, menſ. Sept. ann. 1717. denuo aperuit tumorem, effluente ejuſdem generis fuſca ſanie ſeu turbido liquamine ultra librae unius quantitatem. Haud inutile exiſtimo, ſi ea quae quondam Ephemeridibus inſerta ſunt, ſuppleantur in Decuriis ſequentibus, ſi ſcilicet eveniant nova ac ulteriora quaedam circa eadem ſubjecta, morboſque, vel plane, ut videbatur, vel palliative ſublatos: Neque enim omnes morborum Hiſtoriae plenae mox completaeque haberi poſſunt. Supplere igitur licebit, quae ipſe annorum, temporiſque decurſus ſupplevit in Obſervationibus, varios monſtrando eventus. Non poſſum hinc non allegare hic ſupplementum alius quoque obſervationis, licet huic plane diſſimilis ac inſertae Eph. N. C. Cent. III. et IV. Obſ. 54. Recenſui ibi Hiſtoriam foeminae ruſticae utero gerentis, quae cum frequenter in urbem tendens indeque rediens, reperiret in via fruſta Alabaſtri, picaque ſingulari prehenſa inciperet ea avidius ori ingerere, dentibuſque conterere, ac deglutire, adeo ardenti deſiderio ſaxei hujus cibi deinceps tenebatur, ut deficiente cumprimis pauperculae mulieri pane quotidiano, inſolitum hoc edulii genus lubentiſſime avidiſſimeque ſubſtitueret, ejuſque eſui per plures menſes largiſſimo eouſque inſiſteret, ut magnas lapidum moles abſumeret, ſine moleſtia primum evidenti, poſtremis tamen graviditatis ſuae temporibus laedi coepit chylificatio, acceſſit tuſſis ferociſſima ac dyſpnoea immanis, excepit tuſſim dextri lateris dolor intolerabilis, conſtrictorius, ſub coſtis protenſus, qui eam compulit, ut Medico errores ſuos fateretur, cujus ſuaſu largiſſima infuſa theeformia, ex veronica, ſalvia, acetoſella, rad. helen. &c. ingeſſit, pulvereque uſa eſt viſcerali, abſorbenteque. Miſſa tum ad Ephemerides Obſervatione eventum rei plenum nondum poteram annectere, dixique largam alabaſtri comeſtionem, innocuam eam appellare tum nondum auſus, qualem tamen dici eam in indice omni jure agnoſcendum eſt; ſatis enim diu poſt abſolutum puerperium eadem mulier ob adverſam viri valetudinem

me

me adire coacta, ſua quoque fata grata retulit mente, proſpero ſucceſſu haud caruiſſe miniſtrata ſibi remedia, remiſiſſe, tardius tamen, dolores, ſucceſſiſſe partum aegre quidem, haud tamen infeliciter, fluxiſſe mediocriter lochia, reliquias ſymptomatum ſenſim ſenſimque evanuiſſe, puellam, quam pepererat, tam larga alabaſtrini pollinis copia paſtam, egregie auctam, poſtquam mater a dyſpnoea ſenſim fuerit liberata, priſtinoque reſtituta vigori; manſit tamen mulier ſatis macilenta, vigore tamen haud deſtituta, crebriusque hactenus et pro ſe et pro aliis opem expetiit meam, praeteritoque jam anno ſecum adduxit puellam, quam alabaſtro pene ſuffocaverat in utero adhuc haerentem, nunc pedibus teneris, at robuſtis aliquot cum matre horarum iter ſine laſſitudine conficientem, natam annos quatuor, obeſam, optimoque corporis habitu praeditam, adeo comeſta illa alabaſtri moles infanti non nocuerat! adeo τὸ θεῖον in hac gravida evidentiſſime eluceſcit, quae tam graviter, tam immani dyſpnoea, anxietate ac dolore a duriſſimo hoc cibi genere afflicta, feliciter tamen una cum foetu ſub providentiae divinae manifeſtiſſimo adjutorio eluctavit.

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. Eliae Camerarii.

Mira Vermium Foecunditas.

NUnquam majori ſtudio in geneſin, indolemque vermium inquiſitum, quam hodierna quidem die: quo plura vero circa eos detecta, eo magis attendere ad phaenomena eorundem convenit, ut certiora tandem de origine, naturaque eorum obtineamus dogmata, quam factum quidem eſt hactenus: Innumerae obſervationes loquuntur graviſſima ortum vermibus debentia ſymptomata, nec ea nunc proſequemur, id potius miramur, paucos ſaepe vermes, imo unicum obſervatum (vid. Eph. N. C. Cent. III. et IV. Obſ. 140.) tam ſtupenda producere mala, ſymptomataque immania, cum integra eorum quaſi agmina alias

vix leve pariant incommodum. Copia enim aliquando ſtupenda, numerusque eſt incredibilis. Quoties enim videmus innumerabilia aſcaridum agmina, intolerabili ſphincteris pruritu moleſtiſſima; quoties nidos, quos vocant, vermium integros, ſeu convolutos eorundem glomeres obſervamus. Superavit vero iſtorum numerum, uti mihi quidem videbatur, larga vermium progenies, quam nuper expoſuit ruſtica mulier. Haec ſcilicet nata annos 32. jam ab octo circiter menſibus quotidie excernit, nunc quindecim, nunc viginti, et plures quoque vermes. Sunt illi ultra pollicem longi, non rotundi ſed lati, compreſſi, non tres omnino lineas latitudine aequantes, utrinque latiuſculo, ut mulieri videtur, capite praediti, albicantes, vivi ac vivaces admodum, prorepentes quippe, vel invitae, ſibique viam per conſtrictum etiam ſphincterem lubricitate ſua parantes per totum diei decurſum, interque omnes mulieris labores: Reputa tecum foecunditatem vilis animalculi, ac numerum prorſus ſtupendum non minutiſſimorum aſcaridum, ſed vermium latorum, ſatis grandium, per tot menſes, quotidie tanto numero prodentium, ac proin aliquot jam millia numero excedentium. Quanta haec vermium intra hos menſes multiplicatio, quanta foecunditas! Id vero dignum admiratione mihi videtur, quod iſta mulier vix conqueratur de moleſtia, ac dubitaverit fere, an uti velit remedio aliquo contra hoſpites iſtos ſatis modeſtos, ac parum moleſtiae creantes. Fruſtra ſaepe purgantibus, anthelminticis, aliisque remediis exturbare conamur unum, alterumve vermem, immania producentem in corpore ſymptomata, quae incantationem ſubeſſe toties adſtantibus perſuaſerunt, et quantam malorum ferociam excitavit unicus ille excretus in obſervatione ſupra allegata; Hic vero ſucceſſive millia latorum vermium ſatis grandium, ſtatis quaſi numeris, periodisque ex inteſtinorum prorepunt ergaſtulo, nec multum incommodi hoſpiti ſuae inferunt. Inde enim ab anno illa ablactaverat infantem, quinquies hactenus experta menſes. Tormina quaedam frequenter ſentit,

ſed

ſed tolerabilia. Cum inciperent quaſi prorepere vermes, ciborum nauſeam aliquandiu patiebatur foemina, nunc fortiorem juſto appetitum agnoſcit; crudos fructus ſine moleſtia non fert; caetera ſine diſcrimine atque incommodo ullo aſſumit edulia. Mane aliquoties nauſeam, quaſi vomitus imminentis prodromum ſenſit. Suſurros in ventre percipit, ac ſonos peculiares, ſibi tamen non moleſtos. Ab iſto agmine vermium haud videbatur velle ſerio liberari haec mulier, adeo illis aſſueverat, ut adſtans amicus rogare eam cogeretur, ut adhibituram ſe infuſum herbarum a medico commendatum promitteret. Tam diſſimilia ſunt fata eorum, qui vermibus laborant! Non attingam hic controverſiam de Taenia, de faſcia lata, de vermibus cucurbitinis, ad quorum claſſem iſti candicantes vermes referendi ſunt. Quantam, quamque ſtupendam horum cohaeſio potuiſſet formare atque exhibere catenam; qualem aliquando nobis obtulit alia mulier ultra quindecim ulnas protenſam, excretamque, non ſine ruptione tamen, ac terrore miſellae iſtius, quae praelongam iſtam faſciam ex ano protraxerat. Iſta vero omnis de his vermibus eorumque geneſi doctrina multa adhuc inquiſitione, experimentisque etiam poſt modernas magnorum virorum curas, indiget, quo non parum quoque conferet Loewenhoekii circa iſtos in piſcibus vermes induſtria.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. Eliae Camerarii.

Contagia Boum in Homines tranſeuntia.

DE Lue Boum ſcripta proſtant innumera, nec abs re tamen erit annotare paſſim, quae ad iſtius contagiii hiſtoriam, indolemque ſpectant. Illuſtris D. Praeſes, et cum eo ampliſſimae vir doctrinae ac praxeos, D. D. Riedlinus ult. Eph. Tom. Dec. V. et VI. Obſ. 70. annotat Lue demortuorum carnem pluribus, egenis praecipue in cibum veniſſe, nec ſiniſtri quid iis inde acci-
diſſe,

diſſe, tutius tamen eſſe ab iisdem abſtinere, cum et viſcera et carnes eodem nutriantur ſucco, eodemque proin turgeant ſanguine, vi legum circulationis, quibus addit Celeb. VIR nauſeam facile hinc ſumma cum noxia capiendam. Exemplum addit viri equum lue ſubito confectum, tumulantem, brevique orto carbunculo, mortuum; quibus tres alios ſubjungit carbunculis ſuccumbentes, qui ex morbidae vaccae carnibus comederant. Erit ſane inter pecorum morbos, eorumque malignitatem diſcrimen admittendum; non omnis viſcerum particularis labes mox inficit eadem labe carnes, cujus in ovibus potiſſimum exempla ſunt quotidiana. Alia vero ratio eſt malignorum morborum et ſubitanea inflammatione necantium. Varia admodum ſunt pecorum contagia, gradibusque plurimis diſtincta malignitatis et contagii: unde et nuper cum tantam per tot terrarum tractus ſtragem ederet famoſa illa lues, non eadem ubique luis ratio, modusque fuit. Exanthemata a doctiſſimis Italiae Medicis tam graphice deſcripta alibi non ſunt obſervata, ſed internus viſcerum ſphacelus etc. Nuper in diſtrictu a nobis parum diſtante malum ſylveſtria quoque attigit animalia, adeo ut brevi ultra quinquaginta cervos et 150. variae aetatis apros invenerint mortuos venatores ſylvarumque praefecti Macilenta vero iſta animalia et conſumpta videbantur. Cauſam alii in noxium rorem, alii in alimenta prava conjecerunt. Sed et pecora eodem tempore frequentia peribant. Accuſabatur lienis vaſtitas, et facilis ruptura, ſignum putredinis, aut ſphaceli, in aliis vaccis urina cruenta, teſtis inflammationis internae et aggeſtionis ſanguinis circa renes praecedebat mortem, utrinque ſubita mors, ſummaque malignitas erat; ut tandem jacturam pellis facere, integraque terrae committere cadavera mallent ruſtici quam majora ſubire pericula. Vir enim aperiens vaccae ventrem gravi perculſus odore ac foetenti miaſmate totus exhorruit, ſimul vero exſilientes ex cavo abdominis putridae ſaniei guttae faciem ejus conſpurcaverant, intumuit mox caput, aeſtus ſequebatur intenſiſſimus, ſerpens intumeſcentia ipſa

adeo

adeo praecordia invaſit, quartoque die ſuccubuit vir alias robuſtus ac ſanitatis prius integrae: Mitiora expertus eſt fata alius ejusdem conditionis homo agreſtis, qui ſuae proſpiciens utilitati aegrotantem mactaverat vaccam, quam et domeſtici comederunt, ipſe vero eo ex capite abhorruit ab eſu illius carnis, quod, cum pellem vaccae detraheret, odore ingrato, foetidoque fuiſſet perculſus, graviterque affectus, unde et male habere coepit, et angi circum praecordia, febrili aeſtu vehementi per omnem corporis ambitum accenſo, capiteque pariter intumeſcente, tumentibusque colli glandulis, data vero doſibus inſignibus diaphoretica, pulvis pannonicus, ac roob ſambuci tantam ſudoris vim elicuerunt, ut totus diffluens largiſſimo illo ſudoris latice tandem eluctaret ex orci faucibus, praeſentaneoque periculo; ubi tamen et horroris et imaginationis vis magna in aprico eſt.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. Eliae Camerarii.

Delirium dubium.

DEliriorum indolem haud usque quaque perſpectam ac manifeſtam eſſe, is minime in dubium revocabit, qui inextricabiles, quae animae et naturam et cum corpore unionem premunt, incertitudines ac difficultates penitus perſpexit. Paradoxa circa Melancholicos paſſim eveniunt, et in ipſis quoque febribus incerta frequenter eſt deliriorum ratio. Juvat ſpectantem eo hiſtoriam recenſere. Æſtate anni 1717. cum febres malignae haud graſſarentur epidemice, 7. auguſt. conſilium petebatur pro rhedario, ab aliquot diebus aegrotante, ita tamen, ut obambularet, venam is ſibi ante triduum ſecari curaverat, ratus, eryſipelate ſe correptum, nunc degere extra lectum non valet, aeſtu ingenti urgetur, data ipſi bezoardica et praecipitantia, videtur adſtantibus delirare; 8. aug. idem aegri ſtatus,

urina multum tincta, non turbatur; 10. aug. perpetuo in ſilentio decumbit, clauſo firmius ore, varie vero diſtrahi vultum vident adſtantes, juſſi hinc convulſionum metu ad ſuras applicare veſicatoria emplaſtra, plantis vero pedum admovere fermentum cum ruta ſubactum. Acceſſit pedum durus tumor, non oedematoſus. 12. aug. ſurrexit quaſi ſanus, veſtimenta induit conſueto more, recte ſe valere affirmans, non reſiſtunt domeſtici, gaudent potius de valetudine tam cito reddita, omnia recte apteque gerit ac loquitur, donec templum aditurum impediunt liberi, quaeruntque ex me, an liceat illi egredi domo et adire templum, offerunt ſimul urinam adhuc uti prius tinctam, ajuntque pedes magis tumere; non novum eſt febricitantes ſurgere, veſtimenta poſcere, at ii, qui maligne decumbunt, vix quae conantur, perficiunt, viribus haud ſufficientibus, hic vero, nec delirabat amplius, nec querebatur, nec lectum volebat repetere, monui, ut probe ipſi attenderent, rogarentque ut decumberet, et porro alexipharmaca, nitroſis atque abſorbentibus mixta exhiberent; infuſum quoque Theeforme addidi ex veronic. acetoſell. flor. nymph. cichor. rad. liquirit. Decumbit lubens ad juſſa Medici. Altera die ſurgit denuo, induit rite veſtes, apte primum loquitur, ſtabulum petit, officium apud equos facit, abit ad ſutorem, jubet ſibi ocreas fieri, omnia decenter: paulo poſt tamen alia loquitur, eſſe ſibi tentoria figenda, paranda omnia ad expeditionem (antea enim Duci militiae inſervierat) adit vietorem, empturus vini ſpiritum, disſuadent alii, alii jubent dari, cum ſanus obtento deſiderato potu inde poſſit evadere, bibit ſpiritum vini, mox gravius blaterat, ac delirat, redit domum, detinent eum domeſtici, ipſe viam, quaecunque patet, affectat. accurrunt ad Medicum ob aeſtum ſummum, ac inſolitum ejus robur anxii de faſcinatione, ſagae praeſtigias, neſcio quas, incuſantes, jubentur ſub comitatu amici eum domi nimis furentem in plateas dimittere, diſcurrit ille, aſſumit tandem pulverem, ex pulv. pannonic. antim. diaphor. cort. peruvian. C. cerv. phil. calc. nitr. cryſt. cinnab. nat. ppt. quovis

vis bihorio; bibit infuſum praeſcriptum largiſſime, repetit dein Medici ſuaſu lectum, incipit quietus decumbere per biduum, ac urina tum ſenſim colore imminuitur, non delirat amplius ne verbulo quidem, augetur adhuc pedum tumor; utitur iisdem remediis; accedit tum tuſſis vehementior, dyſpnoea inſignis, ſed pectoralium uſu tandem et iſta et pedum tumor, tardius tamen diſparuerunt. Incertum ſane, dubiumque omnino erat 12. aug. delirium, ſola urina Medico ſuſpecta, omnia videbantur in vado; ſequens autem dies ad phreneticum usque robur delirium horis matutinis vix perceptibile evexit juvante vini ſpiritu; mirum vero tam cito aeſtum illum ſummum, ac furorem inſolitum ceſſiſſe remediis, haerente diutius circa pedes tumidos, ac praecordia malo, indeque tardius diſcuſſo.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. Eliae Camerarii.

Haemoptyſis diuturna ac pertinax.

EO periculoſiores vitae inſidias ſtruit Haemoptyſis, quo citius aliquando, faciliusque vel ipſius naturae robore, vel medicamentorum exhibitione ceſſat, ſecurumque de ſanitate ſua relinquit aegrum, dum occulto ſubdoloque ad phthiſin progreſſu in abditis pulmonum veſiculis rem ſuam agit deliteſcens in profundo hoſtis, nec jam ſputo amplius cruento ſe manifeſtans. Haec igitur rariora ſunt haemoptyſeos exempla, ubi diuturnam, ac per longa etiam frequentatam intervalla exſpuitionem, tandem tamen felix oſculorum vaſculorumque apertorum occluſio, ſanitatisque confirmatio non expectata ſequitur. Anomaliae hic ſunt frequentiſſimae, et maxima caſuum varietas, omnes vero notari exacte, attendique merentur, cum nec iſtius affectus indoles ſatis hactenus poſita ſit in aprico. Legimus in ultimo Eph. Tom. hiſtorias ſingulares Obſerv. 93. Patrem Jeſuitam 25. ann. enormi haemoptyſi intra triduum ſanguinis triginta libras,

nulla inſequente phthiſi excreviſſe. Obſerv. vero Dec. VI. 57. Haemoptyſeos periculum fortuita emeſi declinatum. Plurimorum aliorum diſſimilia admodum fata frequenter ſumus mirati: Pauci tamen phthiſeos evadunt periculum. Vidimus ſtudioſum, qui oborta ſubito tempeſtate adducturus celeri niſu feneſtrae valvam, coepit ſpuere ſanguinem, videbatur ille coercitus; ſed intra aliquot menſium ſpatium pulmonum lethalis ac plenaria ſuppuratio ſecuta eſt. Alius per intervalla multorum annorum ejiciens vim ſanguinis ingentem, non phthiſi, ſed apoplexia tandem obiit. Merebitur vero hic locum aliquem diuturna haemoptyſis, tandem tamen ſublata. Juvenis annorum 15. totus corpore animoque mobilis, agilisque vehementi exercitio equeſtri, vinique ac cereviſiae largis ampliſque hauſtibus ingurgitandis deditus, diu jam anguſtia ac gravitate praecordiorum oppreſſus, et ab aliquo tempore tuſſiens, aprili anni 1717. adeo increſcere tuſſim ſenſit, ut ferocia ejus ac truculenta vehementia vultum ejus omnino immutaret, oculosque ſua quaſi ſede emotos in torvum mutaret aſpectum, macie corporis celeriter increſcente, ac tuſſi magis magisque ad ſtupendam violentiam aucto, tandem initio Maji aliquot horis in ferarum perſecutione exactis, excitatus a ſomno inter tuſſis conſuetae conatus os ſanguine repletum advertit, quovis poſtea mane evigilans eadem ratione ore detentum ſanguinem exſpuebat, nihil per diem egerens, ferociſſima etiam urgente tuſſi, ſenſit in illo ipſo evigilandi exſcreandique actu retractam ad fauces linguam, tuſſis ſummam illam, priſtinamque violentiam non omnino ſervabat, major vero indies laſſitudo occupabat aegrotum, ſubrepebat nauſea ciborum, dejectusque appetitus, macies notabilis, oculique oſtendebant, neſcio quem languorem, imo dixeris ſtuporem. Circa vigeſimum maji coeperunt die quavis horripilationes ac rigores veſpertini aegrum corripere. Diebus ſequentibus noctu etiam coepit miſceri cum ſputo ſanguis non floridus, (cum hactenus mane ſaltim floridior ipſi eſſet conjunctus) inſignis erat dyſpnoea, ſecta tum fuit in pede vena, exhibita

bita decocta pectoralia, pulveres pectorales modice adſtringentes, queis chaquerilliae et chinae chinae portio addebatur, non neglecto uſu nitri moderato, tabuliſque diatragacanthi cum bolo; pulſus veſperi frequentior fuit, diutius extra lectum permanere non valuit, 24. maji mox poſt mediam noctem multum ſanguinis cum largo ſputo ejectum eſt, quod et obtinuit noctibus ſequentibus, tuſſi eadem hora redeunte, eademque ſequente excretione. Fortiora tum decocta vulneraria, cum balſamo celebri Dippeliano exhiberi coeperunt, uſui tamen balſami non multum temporis datum, cum et acrior fieri tuſſis, et ſputum augeri magis videretur, die enim maji 28. plus ſanguinis admixtum erat ſputo ac purulentae quoque portiones innatare phlegmati viſcido videbantur. Primis Junii diebus parcior ſubinde videbatur copia cruoris ſputo admixti, 8va atrior conſpiciebatur ille ſanguis, ſequebatur vomitus, ac creſcebat laſſitudo; inſiſtendum pectoralibus viſum eſt: diebus ſequentibus tormina, parum ſanguinis ſubinde, et laſſitudo modica obſervatur; ſemper tamen ſanguis admiſcebatur copioſo ſputo; 18va autem menſis die plus denuo ſanguinis ſputo mixti ejecit, dolore in dextro ſterni latere perſiſtente; ſecta hinc denuo vena, minus dehinc ſanguinis in ſputo comparuit. Ipſa ſolſtitii aeſtivi die largior ſanguis ejectus eſt, eratque laſſitudo major, quod uno alteroque poſt die ita duravit, 25. autem parum ſanguinis ſe obtulit, 26. Junii nihil ſanguinis ejecit; qui tamen iterum ſe monſtrabat, ſub finem menſis quidem copioſior. Julio demum menſe ſubſtitit ſanguinis ejectio, quae tamen poſtliminio rediit circa 19. Julii diem, poſtea ſenſim evaneſcens, redeunte priſtino corporis habitu ac vigore carnibusque auctis, ut per multos jam menſes priſtinis vacare exercitiis eadem violentia audeat, robuſtus, ſed exceſſivo fere faciei rubore perpetuo ſuffuſus. Adſtringentia fortiora adhibita haud fuerunt, plus abſorbentibus, demulcentibus, mucilaginoſis, gelatinoſis, pectoralibus datum eſt. Qui vero difficultatem conſolidandarum pulmonis laeſionum ipſa experientia duce agnovit, is

mirabitur tam diuturnam vaſculorum apertionem ſtipatam tanta tuſſis violentia, imo truculentia, tanta corporis macie, virium languore, calore febrili tam diuturno, non tranſiiſſe in pulmonum ulcus, veramque hecticam tam difficulter alias praecavendam, ac fere inevitabilem.

(Tubinga Auguſtam Vind. d. 24. Mart. An. 1718. miſſae.)

OBSERVATIO XLVII.

Dn. Lic. Danielis Hoffmanni.

Largiſſima Mictio purulenta curata.

QUam incerta ſit Nephritidis Diagnoſis, Prognoſisque, et quam difficile de occultis ejusmodi affectibus judicium, id quidem intricati praxeos quotidianae caſus abunde docent. Obſervamus enim graviſſima ſaepe ſymptomata a cauſa leviuſcula excitari, uti his fere diebus in viro mihi chariſſimo ſummam virium proſtrationem, omnium actionum torporem, capitis ſummam et gravitatem et debilitatem adverti, ex parva quidem origine, lapillis duobus exilibus, vix lenticulam minorem aequantibus, eorumque per ureteres tranſitu haud adeo tardo, nec diu nimis durante, illis tamen feliciter et per urethram prodeuntibus cum urina tam graves adhuc reliquiae ac tanta oeconomiae animalis impedimenta ſupererant, quae a tam exilibus lapillis vix quisquam expectaſſet, cum ex adverſo in aliis majores etiam calculi ſubinde parvis doloribus excernantur, laxitate viarum, ac fibrarum tono favente; ſunt tamen ſaepe ſymptomata acerbiſſima, quin et excretiones purulentae, ubi de calculi praeſentia incertitudo adhuc obtinet ſumma; paſſim ejus legere exempla licet, ſed libet impraeſentiarum eam in rem hiſtoriam enarrare ſequentem. Juvenis an. 17. temperamenti ſanguinei, ingenii petulantis, ante menſes circiter novem gravi lumborum, dorſi ac ventris

tris dolore,ac urinae difficultate laboraverat, lapſui in terram graviori adſcribens iſtorum ſymptomatum originem : ab eo tempore urinam perpetuo quaſi habuit craſſiorem,muco ſubſidente ſpiſſiuſculo refertum , bene tamen atque ad votum vixit, aptus ad ſervitia, quae praeſtabat Juveni cuidam generoſo, donec 14. abhinc diebus cum laſſitudine inſigni quereretur de dolore lumborum, qui dorſum dehinc, ac tandem abdomen occupavere, ſine omni tamen ſtranguria notabili, donec octiduo abhinc, vehementer increſcerent dolores, augereturque laſſitudo, ut vix ſcalarum aſcendere gradus valeret, ea tandem fuit dolorum acerbitas, ut nec decumbere ullibi quiete, nec dormire per triduum unquam ipſi licuerit, ſed perpetuis ejulatibus clamoribusque inconditis mali vim ſummam anxie nunquam non teſtaretur tremens ac gemebundus. Exhibiti ſunt ſub id tempus pulveres abſorbentes, nitroſi, ac ſimul demulcentes, infuſumque Theeforme vulnerarium ac leniens temperansque, cum dolores viderentur porro intolerabiles, exhibitae quoque ſunt aliquot balſami ſulphuris doſes, ſub atrociſſimis vero iſtis dolorum tantorum cruciatibus urina erat tenuis, citrina, fere naturalis, vix nubeculam oſtentans , donec tandem ſub mediam noctem poſcens matulam uno tractu tres fere libras urinae redderet , craſſae, turbidae, repletae muco tenaci vere purulento, cohaerente, ac in taenias quaſi per bacillum immiſſum ductili ac ſuſpendendo ; brevi poſt iterum ultra libram reddidit craſſi iſtius fluidi, minus tamen viſcidi, at aeque ſanioſi, ; ac tertia demum vice iterum ſesquilibram circiter excrevit, cum remiſſione dolorum inſigni, niſi quod ſub excretionum finem, teneſmodes ſtranguria novos pareret dolores, coepit mox iterum comedere, obambulare tantiſper, laſſitudinis obliviſci, dormire, altera die urinam craſſam turbidam pauciorem, eodem modo cum ſtranguriae niſibus in fine emiſit ; die tertia urina parum turbida erat , prodiens in fine cum dolore ; quarta die domo iterum exire, auſus eſt ; quinta urina ſtatum fere naturalem acquiſiverat, paulo tamen et pallidior et ſubviridis, ac turbidior comparens : Quae vero in fine paro-

paroxyſmi illius dolorifici ſumme excreta fuerat, ſpiſſa ac copioſa urina, vere purulenta quaſi tota fuit, ſanguinis tamen inter viſcidas iſtas quaſi lacinias vix unam alteramque guttam licuit animadvertere. Hic vero juvenis infantia uſus eſt minus proſpera, ac puer nondum bimulus rarius minxit, unde ſolicita mater obſervando accurate linteola lecti, invenit excretum lapillum piſo majorem, oblongiuſculum; aliquot menſium intervallo lividum, ſubcoeruleumque ac tumens genitale intuita advertit haerere in urethra calculum, qui et a chirurgo erat eximendus, cum echinaceus, extantibusque cuſpidibus excretu eſſet difficilior. Ab eo inde tempore nihil calculorum obſervatum eſt, nihilque eo ſpectans, nec in ultima hac morbi exacerbatione, interque purulenta haec urinae fluenta quidquam calculoſi, imo ne ſabuloſi quidem comparuit. Frater ejus natu major bis calculi ſectionem ſuſtinuit; alter natu minor pariter in aetate infantili calculis fuit obnoxius, quorum et nonnullos ſugendo ex urethra mater elicuit. Puerorum vero iſtorum vitae genus fuit inordinatum, victus pravus, crebri diaetae errores. Necdum ab iis abſtinet noſter hic, juvenis imprudens, temeritatiſque graves procul dubio daturus poenas, cum maxime dolores ſubinde ſentiat exquiſitos poſt urinae excretionem, ac nuper cum pedes Stuttgardiam proficiſceretur, reddens in via urinam, tinctam cruore eandem non ſine terrore conſpexerit. Hactenus vero per tres jam menſes egregie valet.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. Lic. Danielis Hoffmanni.

Ecbraſmata Cutis ſanguinea ſymphoreſi ſubita enata.

Quae impedito ſanguinis circulo, aut lege certa ſecernendorum ex ejus maſſa improvide facta repercuſſione, per συναθροισμὸν fieri queant συμφοραὶ et μεταςάσεις humorum, innumeris dudum innotuit exemplis, ſingulare tamen et minus quotidianum

num viſum eſt ſequens. Mulier ruſtica annor. 40. robuſta, liberorum plurium mater, ſanitate hactenus integra, firmaque gaudens, cui tamen ultra ſeptem jam hebdomadas emanſerant menſes, ipſo vitae ſuae genere, et oeconomiae pauperioris exigentia lotioni cannabis aliquot horas impendere coacta fuit, ipſa vero iſtius lotionis methodus moleſtiſſima requirit, ut lavans cannabim mulier ad medium usque et quod excurrit, corporis, aquae immerſa aliquot ibi perduret horis, ſicque aquae illius et frigore et humiditate pleniſſime imbuatur, factum hinc, ut quemadmodum generales iſtiusmodi noxiaeque corporis afflictiones aliquando tranſeunt ſine damno evidenti, ſaepius vero variis generis ſymptomatibus miſellas exponant, ita et haec rariori ac memorabili eventu, vix undis egreſſa domumque rediens, ſubito obducta fuit per omnem quaſi corporis ambitum puſtulis atris, ſubrubentibus, erant illae magnitudinis diverſae, et cum aliquae piſa mole non excederent, parvulas aliae avellanas aequabant, dolorem tamen ipſi inferebant nullum, ſecuta eſt ſimul larga narium haemorrhagia, ita tamen, ut ſanguis et ex naribus et ex ore efflueret, videreturque partim ex puſtulis his ruptis emanaſſe, cum fauces maxime earumque univerſus iſthmus adeo turgeſcerent tuberculis iſtis, ut aſſereret videri ſibi fauces ſuas ab ingenti grumo ſanguinis occupari, ac obſideri totas, in lingua cumprimis, ejus maxime apice, racematim aggeſtae ac conglomeratae puſtulae frequentiſſimae erant, ſed et totum corpus variolarum inſtar obduxerant eaedem, cumque in manibus nonnullae attritu rumperentur, oſtenderunt ſubtus carnem recentem rubentemque, modus erumpendi ſubitaneus notatu dignus erat, ſed et mora earum ſingularis, cum ultra dies duodecim pleraeque ſubſtiterint integrae, ſenſim demum ſenſimque ſubſidentes, exareſcentesque. Multum perdidit ſanguinis, cum maxime puſtulis nondum plene ceſſantibus agrum denuo adiret, cannabinque colligaret, nova hinc largiſſima haemorrhagia, nova eaque ingens laſſitudo. Non libet digredi in ratiocinia, frigus aquae ac humiditas corpus tam diu graviter afficien-

do nihil non inferre mali queunt, menſibus maxime quacunque ex cauſa tardantibus, ſanguineque aucto, aggeſtoque, et vaſis turgidis, accedit foetor iſtius aquae cannabe imbutae teter plane ac putridus, quae tamen omnia momentaneam puſtularum geneſin, ſanguinisque ſub cuticula coacervationem exanthematicam vix ſatis explicant, claramque reddunt; cum maxime lingua ejusque apex denſo eorum agmine obducta fuerit. Chirurgus venam illi mox ſecuit in brachio, exhibuitque diaphoreticos ac nitroſos quosdam pulveres; nec graviora praeter ingentem virium deperditionem ſymptomata tum acceſſere.

(*Tubinga Auguſtam Vind. per Nob. D. D. Eliam Camerarium d. 24. Mart. An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. Lucae Schröckii.

De Auro anatino.

Aurum in corpore animali generari poſſe, uti nondum ſufficienter fuit evictum, aut experimentis comprobatum, et inprimis dentis aurei Sileſiaci fabulam Dan. Sennertus lib. 2. Med. pract. part. 1. cap. 15. tandem detexit, qui ſplendore aurum Rhenanum quamvis repraeſentavit, aurichalcei tamen globuli medietatem denti fraudulenter ſubſtitutam fuiſſe adparuit: ita quae de Anatibus auriferis quondam in Suevia fama ferebatur, qua de in Ephemeridum noſtrarum Decur. 1. Ann. 6. Obſ. 194, nec non Cent. 1. pag. 383. legi poteſt, pariter jam evaneſcit. Licet autem fraudem hic ſubeſſe minus credibile ſit, Aurum tamen hocce non minus venereae proſapiae eſſe tandem compertum eſt. Cum enim unum alterumque granulum hujus crediti auri, ab Excellentiſſimis Dominis Doctoribus, Riedlino et Khunio, Phyſicis Vlmenſibus primariis, olim obtinuiſſem, primum quidem quod examini ſubjeci, maxima ex parte in aqua forti ſolutum fuerat, particulam tamen minimam nigricantem inta-

intactam inveni, quam aurum eſſe ſuſpicatus, aquam regiam ei ſuperfudi, in qua etiam ſoluta fuit; veruntamen cum duobus aliis granulis experimento repetito, illa in aqua forti penitus fuiſſe diſſoluta vidi, liquore inde caeruleſcentem colorem adquirente, ſaporem aeruginoſum exhibente, et ab infuſo alcali tartareo calcem caeruleam in fundum demittente. Vnde vero grana haec metallica in unius hujus domus aream devenerint, incertum eſt; diligenti tamen praelaudati Dn. Riedlini inveſtigatione compertum eſt, poſſediſſe eam olim aliquem, in lapidem philoſophicum qui inquiſiverat. Novimus autem, chryſopaeiae amatores aliquos, in cupro et aurichalco ſemen aureum, aut etiam ipſius auri quaedam particulae quod lateant, credere, ideoque illud ſcrutinio ſuo aurifico ſubmittere; unde fortaſſe chryſophilus ille in maſſulas iſtas aurichalcum prius redigere, pro ulteriori per ignem tractatione voluit; quae dein, quocunque demum caſu, in area illa diſperſae, et arenae permixtae fuerunt.

Similis rumor ante ſexennium in Ducatu Würtenbergico de auro in ventriculis anſerum invento ſpargebatur, in quem cum curioſus noſter Collega, D. D. Rudolph. Jacob. Camerarius inquiſiviſſet, obtinuit tandem a poſſeſſore aedium illarum, in quibus Tubingae repertum eſſe aurum fama erat, particulas aliquas, a ſuis domeſticis ex ſtomacho anſerum collectas; aſt primo mox intuitu Domino Camerario ſuſpecta chartula fuit, qua concludebantur, maculas utpote aeruginoſas ſiſtens, omniaque illa collectanea non niſi filorum venereorum gracilium parvula fruſtula eſſe judicavit, quae etiam aquae forti immiſſa cuprum eſſe, tincturamque inde coeruleſcentem prodiiſſe comperiit.

OBSERVATIO L.

Dn. D. Lucae Schröckii.

Sacculi in inteſtino ileo.

IUvenis XII. annos a Parentibus honoratis natus, d. 21. Nov. Ann. 1716. repentina morte, incertum quo caſu, circa meridiem

ridiem obierat, poſtquam ultra quadriennium, ſaepius, modo frequentioribus, modo cum intermiſſione per aliquot dies, doloribus abdominis non procul ab umbilico correptus fuiſſet, cum ſubſequentibus protractu temporis jam levioribus, jam vehementioribus capitis artuumque convulſionibus, a quibus tamen paulo poſt utplurimum melius iterum ſe habuerat, et raro de aliquo graviori ſymptomate, aut debilitate conqueſtus fuerat; ciborum interim adpetitu non tantum bono, ſed paulo majore exſiſtente; medicamenta autem, quamvis ſaepe odore, ſapore et copia ingrata, ſine faſtidio ingerebat, imo avide ſatis expetebat.

Cum diverſorum Medicorum judicia de cauſa morbifica occurrerint, quae tamen de vermium in inteſtinorum aliquo latitantium praeſentia fovebantur, prae reliquis veriſimilia magis videbantur, quia ab uſu medicamentorum anthelminticorum, inprimis mercurialium, una alteraque vice, in duobus primis morbi annis minores nonnulli vermiculi, aliquando etiam unus majusculus, digiti fere longitudinem aequans, excretus fuerat.

In cauſam morbi per anatomen inquirere, quantum per temporis brevitatem licuit, cum eadem adhuc die, veſperi placuiſſet, viſcera in abdomine omnia ſana comparuerunt, nec quidquam verminoſi in inteſtinis occurrit, inteſtinum tamen ileum, non procul a caeco tres tumores membranoſos per longitudinem canalis inteſtinalis proxime ſe contingentes, ejusdem fere cum membranis inteſtinalibus craſſitiei, et feces liquidiuſculas continentes exhibuit, quorum primus et tertius ejus capacitatis fuerunt, quae mediocrem nucem juglandem recipere potuiſſet, medius vero paulo minor exſtitit; aperturae autem ſingulorum in cavitatem inteſtini ad pollicis amplitudinem hiabant.

Multum convenire hos tumores arbitror cum illo, quem ſub diverticuli praeternaturalis nomine adducit et delineat celeberr. D. Frider. Ruyſchius pag. 63. Muſei anatom. nec non cum cellula illa, quam in poſtico recti inteſtini pariete minoris ficus magnitudine, ex eadem atque inteſtinum ſubſtantia, et orificio reliquae cavitati ferme aequali, cum ejusdem inteſtini tubo commu-

communicantem deſcribit Clariſſ. D. Joh. Baptiſta Morgagnus in Adverſ. anatom. 3.

Vnde inſolitae illae noſtrae burſulae fuerint exortae, et quam dolores abdominis cauſam habuerint, difficile admodum eſt determinare. Ab ipſa nativitate adfuiſſe, vix mihi perſuadeo, cum ante ſextum aetatis annum puer de nullo dolore conqueſtus, morbisve obnoxius fuerit; neque herniae ſpeciem dicere licet, qualem Dn. Littre in hiſtor. Acad. reg. ſcient. Pariſ. Ann. 1700. cap. de hern. partic. recenſet. D. Joh. Theod. Schenckius in Exercit. anat. pag. 334. in canibus ſaepiſſime ſe obſervaſſe teſtatur, non ad ventriculum modo, ſed et ipſorum gracilium inteſtinorum parietes veſiculas carneas ſeu glanduloſas extrinſecus (quales etiam intrinſecus me obſervaſſe recordor) ſeriatim adnatas, in quibus vermes glomeratim ibi degentes delituerant, capitibus ſuis verſus inteſtini cavum, qua parte foraminatae erant glandulae, converſis, ut inde alimentum a praeterlabente chylo ſibi conveniens allicerent. Referri quoque huc merentur ſcirrhi in ventriculo morboſi, quorum exactam deſcriptionem obſervatio 255. in Dec. 3. Eph. noſtr. Ann. 6. exhibet. Tales obſervationes conjecturam ſuppeditare valent, in puero illo noſtro ejusmodi tumores inteſtinum ileum primo occupaſſe, qui a vermibus verſus cavum inteſtini eroſi, tranſeuntibus illic loci fecibus receptaculum praebuerint, a quibus ſenſim magis magisque in iſtam amplitudinem dilatati fuerint; ubi feces collectae, et copia ſua moleſtae redditae, ſimulque per moram diuturniorem acriores factae, cum in fiſtulam inteſtinalem violentius expellerentur, partes ibi nervoſas vellicando, in dolorificas convulſivas contractiones, ac tandem in ipſum usque caput ſeſe extendentes concitaverint.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. Michaëlis Bernhardi Valentini.

Stella marina rariſſima petrefacta et in Haſſia reperta.

PRaeter alias diluvii univerſalis reliquias in Haſſia occurrentes Excellentiſſimus Dn. *Petrus Wolfartus*, Archiater et Profeſſor Haſſo Caſſellanus nuper corpus ſtellae cujusdam marinae rariſſimum et in lapidem mutatum obtinuit, in cujus centro figura floris et roſae elegantiſſima eſt depicta: quod dum dijudicationi meae committebat, ſtatim in mentem ſubibat, me ſimilem in Iconibus plantarum *Barrelieri*, ab *Antonio* de *Juſſieu*, *Turnefortii* in Horto Regio Pariſino Succeſſore, ante triennium editis vidiſſe, cui *Stella marina ſpinoſa* λεπτόκνημος audit, vid. c. l. *num.* 1282. Corpus autem petrefactum Aſteriam mentiens hic in TAB. V. fig. 10. ob oculos ponitur.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d. 18. Apr.*
An. 1718. miſſa.)

OBSERVATIO LII.

Dn. Lic. Chriſtophori Bernhardi Valentini.

Anatome Lari cinerei majoris.

INundatio nuperrima regionum quarundam maritimarum non veteres tantum colonos cum jumentis emigrare, ſed et aves aquaticas, in litoribus nidulantes, peregre avolare juſſit. Ex illis noſtras in oras, circa idem tempus, LARVS CINEREVS MAJOR evolavit, quem grandine e ſclopeto emiſſo obruit ſtudioſus quidam juris, eumque tanquam raram ſibique ignotam avem mihi dijudicandam obtulit: ex alis longiſſimis caudamque palmi longitudine fere excedentibus, tanquam ex ungue leonem, ſtatim larum, et quidem cinereum majorem, prae reliquis ra-

rio-

riorem, eſſe cognovi: quod digiti pedum, tunica rubeſcente interſepti, et cinereus alarum color confirmabant. Exuviis, ſtuppa replendis, ſicque aſſervandis, detractis, reliquum corporis apparatum cultro ſubjeci Anatomico, pro ſupplendo Amphitheatro Anatomico (Zootomico) Dn. Parentis, ſub prelo mox ſudaturo: in quo praeter alia, quae cum caeteris volatilibus communia habet, ſequentia obſervare licuit: Ventriculus longus erat et craſſus, tunica interiore denſa et rubicunda praeditus: gula ampliſſima. Hepar flaveſcebat admodum, in duos lobos diſtinctum, quod inferiori parte ventriculum, ſuperiori vero cor attingebat. Ex eo bilis omnino viridis per ductum hepaticum inteſtinis infundebatur; lien autem eleganti rubore et colore vivido perfundebatur.

OBSERVATIO LIII.

Dn. L. Chriſtophori Bernhardi Valentini.

Anatome pici majoris nigri.

E tribus picorum ſpeciebus haec quoque rariſſime a venatoribus conſpicitur. Nuper tamen et illa mihi allata fuit, cujus externum corporis habitum nigerrimum in capite elegantiſſima macula rubicunda et ſanguinea diſtinguit. Quod vero dudum exoptavi et deſideravi, in hac quoque ſpecie apparatum illum mechanicum et hypomochlicum, quo linguis exertis arbores transfodunt, in nullo forte avium quam picorum genere occurrentem, in capite ejus pariter obſervavi, quem in reliquis picorum ſpeciebus ſiſtit Amphitheatrum Zootomicum ſupra allegatum, ac haud ita pridem integro tractatulo et in figuris aeneis elegantiſſime oſtendit *Richardus Waller*, Societatis Londinenſis Secretarius, ſub rubrica: *a deſcription of that curious natural machine, the vvood-Peckers tougne.*

Quoad viſcera interna, nil peculiaris, quod prae reliquis habeat, occurrebat.

OBSER-

OBSERVATIO LIV.

Dn. L. Chriſtophori Bernhardi Valentini.

Herbae quaedam exoticae in agro Giſſeno repertae.

IN exteris ſaepe quaerimus, quae domi et ante portam negligimus. Sic *Linum Anglorum catharticum* in pratis quoque Giſſenis occurrit, iisdem etiam viribus praeditum. *Doronicum*, cujus radices ex alpibus petunt ſimpliciſtae, in ſylva et rupe Giſſenſi, Hangeſtein dicto, copioſe propullulat. *Niſſoliam*, a Dn. *Niſſole* Botan. Monſpelienſi *Tournefortio* dictam et *Joh. Baubino* teſte agris litoribusque ſeptentrionis fere propriam, retro Schiffenbergam, Ordinis Teutonici Eq. ſedem, vix horula a Giſſa diſtantem, reperi. *Aconitum Lycoctonum* C. B. aliis Lupanaria dictum, quod *Rajus* in Genevae montibus quaerebat, menſe majo aeque florens in antedicta ſylva Hangeſtein inveni. De aliis alibi.

OBSERVATIO LV.

Dn. Lic. Chriſtophori Bernhardi Valentini.

Variolae cum petechiis et diarrhoea.

QUantum in praxi uſum habeat conſtitutionum epidemicarum obſervatio, earumque comparatio, morbi circa initium hujus anni epidemice graſſantes abunde et ad oculum teſtari poſſunt, ſimiles illis, quos *Thomas Sydenham* poſt conſtitutionem epidemicam 1681. (quae cum praecedentis anni 1717. ad amuſſim coincidit) obſervarat. *Anno enim* 1681. *aeſtatis tempore ſicciore diutius quam poſt eorum, qui tunc homines erant memoriam invaleſcente (adeo ut omnis ferme locorum herba exaruerit) ſanguinem omnis illa humiditas, quam aër alias ſolebat ſuppeditare, deſtituebat*: *unde variolas major, quam pro* morbi

morbi indole, inflammatio accendebat, atque maculae purpureae plenam exanthematum eruptionem haud raro praeveniebant, ut laudatus modo Autor *in Diſſertatione Epiſtolica ad Guilelmum Cole p. m.* 413. *fuſe refert.* Ecquis jam eſt, qui neſciat conſtitutionem epidemicam anno praeterlapſo 1717. fuiſſe huic ſimilimam. Variolas autem circa finem ejusdem et principium hujus anni graſſantes eandem tragoediam luſiſſe, triſtis adhuc plurimorum memoria recolit, cum, quod *Sydenham* quoque annotavit, maxima infantum pars, in quibus petechiae variolis ſe miſcebant, diem ſuum obierint. Maculae erant ut plurimum purpureae, et in pectore copioſius erumpebant, quae eo atrocius ſaeviebant, quod ut plurimum ſimul diarrhoea concurrebat, motum naturae criticum invertens et praepediens. Nulla hic bezoartica, nulla expellentia, alias infallibilia, juvabant. Mirum tamen abſentibus petechiis diarrhoeam fere innocuam fuiſſe, propinatis inprimis bezoartico-adſtringentibus, v. g. pulv. pannon. rubr. terr. ſigill. Laubac. quam hic conveniĕntiſſimam reperi. Erant, qui cascarillae pulvere eandem non ſine levamine coercebant, cujus uſum hac in parte maximopere commendat celeb. D. *Nebelius* in Diſſertatione peculiari ſub ejus praeſidio anno 1717. Heidelbergae de illa habita.

Utinam non major ſtrages a febribus petechialibus, forte ſubſecuturis, pertimeſcenda ſit! quae in vicinia ſuam jamdum tragoediam exordiuntur.

OBSERVATIO LVI.

Dn. Lic. Chriſtophori Bernhardi Valentini.

Pleuro-pneumonia ſuppurata et per diarrhoeam purulentam terminata.

Sutor Giſſenſis, nomine Stückrath, ſexagenario major, circa finem anni praecedentis pleuritide corripitur, qua diebus

aliquot inſuper habita, tandem me vocari juſſit. Praeſcripſi remedia antipleuritica conſueta, imperando ſudorem, adhibitis ſimul topicis externis, ſperans fore ut ſanguis in praecordiis ſtagnans reſolveretur et in priſtinum circulum vindicaretur; Aſt fruſtra. Malum ad ſuppurationem vergebat, unde pro maturatione et expectoratione decocta pectoralia ordinavi, quibus tantum abeſt ut materia per tuſſim rejiceretur, ut potius diarrhoea purulenta ſecuta fuerit: quem naturae motum per laxantia blanda pectoralibus mixta ſequendo, et ultimo traumatico-pectoralia adhibendo, aeger (qui adſtantibus alterum jam pedem in Charontis cymba habere videbatur) Dei gratia in integrum reſtitutus fuit.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d.* 18. *April*
An. 1718. *miſſae.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. Lic. Johannis Jacobi Dillenii.

De

Hirudinibus et duobus Papilionibus.

ETiamſi de Hirudinibus non pauca ſcripta proſtent, inter quae eminet Stahliana, de Sanguiſugarum utilitate diſſertatio, nemo tamen adhuc, quantum mihi quidem conſtat, interiora horum animalium perluſtravit et aptitudinem atque organiſmum, quem ad ſugendum recipiendumque ſanguinem habent, digne conſideravit, quapropter eas, quas hujus gratia feci obſervationes, cum aliis nonnullis hoc loco exhibere volui. Gaudent autem inſecta haec apoda (ni ad ſerpentinum genus cuidam referre placeat, cui, ſi vera eſt, Straboniana aſſertio favere poſſet, de hirudinibus in Mauritaniae quodam flumine ſeptenorum cubitorum, quibus perforata ſit gula, per quam ſpirent, et omnibus


Tab: V.
ad: Obſerv. LVII. Cent VIII. p. 332
Fig. 1.
2
3
4
6
7
8
9
Obſ. LI.
Cent VIII

mnibus foramen exile in medio, ab ore et alvo unus continuus ductus) aquis praecipue paluſtribus, immotis videlicet aut leniore ſaltem fluxu praeditis; cum enim ſpinnis deſtituantur hirudines, nec multam ad nandum aptitudinem habeant, ſed leni et undato, anguillarum inſtar, per aquas motu ferantur, rapidioribus aquis eas inhaerere minus commodum erat, ut non memorem rationem fundi, quod molle, ſpongioſum et limoſum requirunt, quale in piſcinis, paludibus et foſſis naſcitur. Obſervavi etiam eas loca recens effoſſa, ſi in ea aqua commode affluere queat, lubenter petere et in haec ſucco, ut videtur, terrae novo invitatas, penetrare, qualibus in locis ſaepe copioſas collegi prae aliis. De ventre maculis albo-luteſcentibus variegata eſt ea ſpecies, quae maxime familiaris et uſui medico idcirco communiſſime adhibetur, prout Tab. V. Fig. 1. apparet: in dorſo colore fuſco donatur, et utrinque linea albo-luteſcens, punctis nigricantibus plerumque diſtincta, ſecundum hoc ducitur, infra quas, de latere nimirum, utrinque linea ex maculis nigris conflata decurrit, ad ventrem vero linea utrinque albo-luteſcens iterum adeſt, quae omnes figura 4. quae hirudinem cauda ſua ſtipiti adhaerentem et ad nandum ſe protendentem repraeſentat, exhibentur. Oſſe omni deſtituitur, et tota fere venter eſt, quem nando tereti-compreſſum habet, alias, ſatura praeſertim, teres eſt, et ubi ſeſe contrahit, eminentias ſeu tubercula cuspidata acquirit, quae fig. 4. verſus caudam, licet haec non contrahatur, adpicta ſunt. Multis durant menſibus, etiam ſine pabulo, aqua dulci, pluvia nimirum, paluſtri vel fluviatili aſſervatae. In quo tamen mihi obſervatione conſtitit, ſi ſola ipſis aqua ſuppeditetur, minus eas vivaces eſſe; contigit enim mihi poſt quatuor circiter ſeptimanas, unam ex ſeptem, quae tamen paſtae erant, mortuam eſſe, ubi cum reliquis, languentibus etiam, terram ſubminiſtrarem, tanquam renatae apparuere, atque per quinque fere ſeptimanas vegetae durarunt, ubi eas anatomiae et variis experimentis ſubjeci. Apparuere tum adhuc ſatis turgidae et ſanguine plenae, quo ſe ante novem fere ſeptimanas impleverant.

Sanguis in quibusdam ſemigrumoſus et ſpiſſus alicubi haerebat, in ſacculis nempe, Fig. 2. lit. g. g. et 3. lit. f. f. depictis, qui per ventrem omnem porriguntur, in ipſa vero ventris cavitate fluidus permanſerat, cujus cauſſam aſſigno fibris et columnis carneo-tendinoſis, quae ventrem ubique, ceu in corde animalium terreſtrium, ſtipant; harum enim ope quaquaverſus moveri et invicem conquaſſari poterat, quo motu minus åfficiebatur is, qui in ſaccis, qui non niſi remotiores ſeceſſus et ſpatia inter fibras illas efformata, haerebat. Hi vero ſacculi videntur eſſe tanquam promptuaria, pro futuro animalculi uſu, reliquus autem in ventre et venulis ſanguis in praeſentaneos magis uſus impenditur; cum enim ei non quolibet tempore ſanguine paſci contingat, de iſtiusmodi penario ipſi prudenter proviſum eſt. Columnae illae carneo-tendinoſae Fig. 2. lit. h. h. deſignantur. Eſt itaque totus venter ſtructura ſua totum cor, functione autem ventriculus, aut potius ventriculi penarium. In ventre praeterea canalis quidam continetur, ſucco limoſo nigro plenus, qui lit. i. i. Fig. 2. et e. e. Fig. 3. denotatur. Hic ſine dubio ab ore incipit, quale foramen ſub cuſpidibus ad lit. c. Fig. 1. depingitur et in ano terminatur, licet ego nondum connexionem inter anum et foramen iſtud oris advertere potuerim; immo vero nullus mihi adhuc anus obſervatus, et quantumcunque prematur ſanguiſuga plena, nec ano, nec ore facile aliquid ſanguinis emiſerit, quem tamen, ſi ſale vel cinere conſpergatur, ore prompte, nunquam ano reddit. Videtur tamen probabile, anum per tuberculum illud caudatum lit. l. l. Fig. 1. 2. et g. Fig. 3. depictum exire, cum hoc in medio nonnihil cavum frequenter appareat, prout lit. g. exhibetur, licet nullus per id ſtilus adigi queat. Ubi tamen dubium iterum tenet, quod poſtea, paullo ſupra ventris medietatem in hujus medio foraminulum aliquod, Fig. 1. * deſignatum, obſervarim, quod ſane vel anus fuerit, vel, quod probabilius videtur, (ſi quidem hae partes diſtinctae et remotae ſint) ad genitalia pertinuerit: mihi prorſus de eo ſatisfacere non potui, foraminulum enim in enecatis (ob fibrarum contractionem) oblite-

obliteratur, et in vivis ſub earum contrectationem contrahitur etiam et viſum fugit. Quem porro uſum limus iſte obtineat, non magis mihi conſtat; id certum ſine terra aegre durare animalcula haec: ſive jam abſorbeant ſubtiliorem terram, ut ea cum ſanguine remixta nutriantur, ſive id eis commodi terra afferat, quo per hanc excrementa, quae iis mucoſa adhaereſcunt, commode abſtergere queant. Quanam vero via tranſeant excrementa haec mucaginea, ignoro, ni ea ortum ducant et idem ſint cum glutine iſto, quod ore et caudata appendice, quando adhaerent, emittunt. In ſummo ventre duo cerebra Fig. 2. lit. e. e. conſpiciuntur, et conſiſtentia et gyratione et venulis interſperſis aliorum animalium cerebra ſatis exacte referentia: ad lit. f. unum extractum eſt, per medium quaſi diviſum, (in cerebrum forte et cerebellum) ab altero extremo annulo quaſi cartilagineo cinctum, qui qualem uſum habeat, et an per hunc forte motus in cutis fibras deducatur, non ſcio: ex hac cerebroſa parte presſione effluebat liquor lacteus. Porro per omnem inferiorem ventrem utrinque corpora quaſi glanduloſa mollia adſunt, quae preſſa liquorem etiam lacteum effundunt, et ſimiles etiam, ac cerebra, venulas, ſed exiliores, obtinent, gyri vero nulli aderant. An uſum etiam cerebri habeant, non determino, ſaltem id non improbabile videtur, cum Hirudines transverſim diſſectas ad multas, quod mirum, ſeptimanas et menſes vivas vegetasque conſpicere licuerit, ita ut et pars ſuperior cum ore, et inferior cum cauda moverentur. Fig. 2. lit. k. k. et elegantius Fig. 3. lit. d. d. d. corpuſcula haec glanduloſa conſpectui ſiſtuntur. Eſt demum vena manifeſta ab ore ad omnem ventrem protenſa, quae Fig. 2. lit. d. d. et Fig. 3. lit. b. ob oculos ponitur; haec plerumque uno praecipuo canali, prout Fig. 2. vel in duos mox, ut Fig. 3. apparet, diviſa conſtat et initium habet poſt illud foramen, ſucci limoſi ſuctioni deſtinatum, inter ipſas cuſpides, inde vero ramificationes plures de ſe mittit, ad ſaccos praecipue et ipſum ventrem. Cuſpides aut, ſi liceat, dentes tres ſunt, quibus vulnuſculum triangulare infligit hirudo; depinguntur hi

Fig. 1. et 2. lit. b. b. et Fig. 3. lit. a. quae figura reliquis accuratior, et in hac etiam apertura oris triangularis, in qua cuſpides conduntur, notata eſt, cum in prioribus os replicatum ſit; hoc vero ore, quod lit. a. a. a. ubivis ſignatum eſt, firmiter ſe applicat hirudo, dum ſugere intendit, poſterius vero cauda ſe firmat, ventre ceteroquin libera et ſoluta. Dentes nec duri, nec omnino molles, nec etiam valde acuti et ſcindentes, ſed tantum acuminati, ut mirum ſit, qui cum tam levi dolore vulnus infligi queat; ni videatur in vivis eos acutiores reddi ex inſtinctu et voluntate animalculi naturali. Foramen illud, ſub cuſpidibus lit. c. Fig. 1. notatum, procul dubio inſervit pro limi ſuctione, qui in canali faeculento continetur, licet connexionem et communicationem inter utraque nondum adverterim; ſtilum tantum ad notabile ſpatium in ſuperiorem ventrem adigere potui. Interea probabile et notatu dignum videtur, non eſſe excrementa, quae canalis limoſus continet, cum materia, quam excernunt, mucoſa albida ſit, quae nullatenus in illo canali comparet. Ob exilitatem, faeculentiam et ſanguinolentiam, partes omnes perveſtigare et explicare non adeo facile eſt, experimento vero poſthac conſtitit, anatomiam animalculi hujus melius ſuccedere in famelicis et recens captis, quae ſanguine turgidae non ſunt, qualis Fig. 3. exhibetur, pro quo fine aqua ſalita prius interficere oportet, cum alias fruſtillatim etiam diutiſſime inter digitos moverentur. Senſoria organa nulla obviam venere; gaudent tamen tactu, ſenſu maxime univerſali, et odoratu forte etiam, cum adverterim ex aqua projectas, eidem denuo conſtanter adrepere. Cutis earum ex meris annularibus fibris conſtat, quarum beneficio moventur et nando in aqua longe protenduntur, extra aquam vero et ſi contrectentur, contrahuntur adeo, ut ſaepe unciam longitudine non multum ſuperent. Laeves undiquaque ſunt, at ſub contractionis motu eminentias et tubercula acuminata parva oſtendunt, quorum aliqua ad caudam Fig. 4. notata ſunt. Ventre liberae ore et tuberculo caudato, ut ſupra dictum eſt, adhaerent, idque firmiſſime, ut avelli fere nequeant, maxime ubi cuſpides inflixere, quas ideo, ſi vi avellantur,

lantur, in cute ſaepe relinquunt, unde inflammatio et ſuppuratio oriuntur, qua de cauſſa venenoſitatis apud quosdam (ſaltem aliquae ſpecies, quo eo melius coloretur opinio) accuſantur, ſed immerito, cum omnis noxa a cuſpidibus relictis dependeat, quae quoniam ſubmolles ſunt, in vulnere diutius haerent, et non tam prompte ſuppurationis actu emoventur. Firmiori adhaeſioni non parum contribuit glutinoſus humor, quem dilabentes relinquunt in parte, cui adhaeſerant, et hunc non tantum ore, ſed et cauda emittunt, videturque non prorſus idem eſſe cum eo humore lento, qui eorum corpora, ſi diutius aqua aſſerventur, obveſtire ſolet, cum ad vitri, cui ſeſe frequenter applicant, latera in mucum tenacem terreum vireſcentem, qualis apud Conſervas ſaepe obſervatur, abeat. Extra aquam acutius quam in aqua pungunt, ubi plaga non majorem, immo ſaepe minorem, quam culicis aut pulicis ictus, dolorem conjunctum habet; ſicuti etiam ſanguis longe diutius, illaeſis etiam vaſis majoribus, manat, ubi in aqua applicitae fuerunt. Cujus quidem cauſſa eſſe videtur emollitio fibrarum et diutina ſuctio, qua continuatum et aſſuefactum motum atque affluxum ad locum apertum nanciſcitur ſanguis; quae ratio nobis nunc magis placet, ac illa, quam quondam nobis fingebamus: animalcula nempe vel peculiarem forte liquorem attenuantem in vulnuſcula immittere, vel ex ſingulari ſenſu loca tantum arterioſa petere; cui poſteriori favebat obſervatio illa, quando non quemvis, in aqua praeſertim, occuparent locum, ſed ſaepe ſatis diu circa pedes vagantia et varios tentando uni demum ſelecto, explorato quaſi arteriarum pulſu, adhaererent. Quamvis nullas ab iis pertundi arterias, negari nequeat, videtur tamen probabilius, vaſa quaelibet, prout fors obtulerit, ab iis perforari, tanto magis, quo minus dentium ſitus, ut uni alterive tantum vaſculo infigantur, reſpondet. Id mihi etiam poſtea compertum eſt, venis turgentioribus et majoribus impoſitas ſanguiſugas, famelicas aeque ac recens captas, eas confeſtim pertundere, unde mox replentur, et poſt earum caſum ſanguis guttis frequentioribus ſtillat; quo mihi

mihi conſtitit, ipſa etiam majora vaſa, de quo antea dubitaram, ab iis perforari. Stillat inde ſanguis ad horas ſex communiter, at ſi in aqua, foras praeſertim ad paludes et foſſas, ubi motu incaleſcunt pedes, admoveantur, manat inde ſaepe ſatis pertinaciter ad viginti quatuor et plures horas, licet nulla conſpicua vaſa laeſa videantur, et licet vulnuſcula fungo igniario vel boviſta linteisque impoſitis muniantur; cujus cauſſam in emollitionem, majoremque ob motum affluxum conjicere licet. Hirudines ſingulae pendent communiter drachmam dimidiam, emaciatae etiam ſcrupulum tantum, aut non multum amplius: exſatiatae et ſanguine turgidae drachmas tres et unciam dimidiam plerumque complent, quin et ad drachmas usque ſex capere poſſe teſtatur infarctus et turgeſcentia, cum ad crepaturam fere usque, in aqua praeſertim, ubi a pondere ſanguineo minus gravantur et ideo non tam cito decidunt, ſeſe implere ſoleant, unde cum tantundem et plus etiam, ſi vas inſignius laeſum fuerit, vel ſi in aqua applicentur, poſt earum lapſum emanare ſoleat, ſex ſeptemve appoſitae juſtam et legitimae venae ſectioni reſpondentem evacuationem praeſtare poterunt. Praecipere ſolent auctores, ut, ſi copioſius evacuare animus ſit, caudam eis ſeu partem extremam praecidamus, quod nobis nec commodum ob diuturnam adhaeſionem, nec neceſſarium etiam videtur, cum poſt ſpontaneum eorum lapſum ſanguis ſatis diu profluere ſoleat. Id etiam veritati non adeo reſpondet, quando multi hirudines aſſervatas et ſuctioni aſſuetas, quaſi videlicet id natura non doctae eſſent, facilius et promptius adhaerere ſcribunt, cum contrarium potius obſervetur, nempe quod tales minime adhaereant, ſemel nimirum ſaturae ad multos menſes (ego ad ſex fere plenas aſſervavi) ſanguinem faſtidiunt, quas ſi ſale aut cinere, conſpergere volueris, quo revomant ſanguinem et eo lubentius inpoſterum appetant, nihil ages, cum ſal ſit juratus ipſarum hoſtis, ita ut plurimum ab eo langueant et poſtea moriantur, in tantum quidem, ut aquae ſalſae inditae ſanguinis, quo turgent, partem mox revomant et convulſionibus agitatae brevi temporis ſpatio

(poſt

(poſt horae quadrantem aut dimidiam ſaltem horam) intereant. Quod ipſis etiam, non tamen aeque violenter, cinere vulgari aut clavellato contingit: oleum etiam poſt haec ferre nequeunt et arenam, ſi enim huic irrepere contingat, ſanguinem etiam reddunt, quamvis alias, durius etiam contrectatae eum nullàtenus dimittant; ubi tamen obſervatione iterum dignum eſt, nullo modo laceſſitas, ſed vitro ſaltem vacuo inditas, ſanguinem ſenſim omnem eructare, quod nobis pro avertenda ariditate facere videntur, ideoque probabile, famelicas non ita diu perſtare poſſe extra aquam, quam ſaturas, quas ad decem circiter dies ita vivere poſſe, inde vero exaridas interiiſſe vidi. Tot hoſtibus obnoxiae ferrum nihilominus impune ferunt, et, quod admiratione ſingulari dignum, conſciſſa et abſciſſa animalcula haec diu vivunt et fruſtillatim per aquas vagabundo motu moventur, vulnusque ipſis conſanatur, ea tamen differentia, quod partes illae caudam verſus non ita diu ſuperſint, quam illae, quae capite adhuc gaudent, qualem, ſemipollicem tantum, in extenſione tamen aliquot fere unias longam, per quinque reſervavi menſes, (et diutius, ſi placuiſſet, aſſervare potuiſſem) cum inferior et longior pars, caudam verſus, poſt quintam ſeptimanam mortua ac putris facta fuiſſet. Ceterum an tractione, vel pulſu atque preſſione peragatur transmiſſio ſanguinis e venis in corpus hirudinis, nulla quidem Medica conſideratione dignum eſt, Phyſice animadverti deberet, quoniam circa plagam, quousque ore adhaeſit hirudo, locus ad multos dies rubet, id attractione fieri magis probabile videri, cum, ſi pulſu ab intra ad locum laeſum, (ubi tamen illud ſolum principium vivens et movens admiſerim, omnem vero aëris externi vim excluſerim) ſanguis adigi deberet, poſſet id quidem fieri ſatis facile, qui vero ab iſta via (a vaſis ſauciis) diverteret, et circa plagam, loco denſo ſpiſſoque, quo minime perrumpere poteſt, haereret ſanguis, nullatenus rationi planum videatur, cum alias ei ſatis conſonum ſit, quod ſi oris ſuctione haec actio peragatur, evacuatis et attractis tenuioribus humoribus ſeroſis ſanguis tandem ipſis ſuccedere et locus cir-

cumcirca ſatis prompte rubefieri debeat, ut non memorem illam difficultatem de iſtiusmodi pulſione, qua aër vel aqua etiam, facilius in omnem partem abire queat, quam neceſſario in iſtam partem (plurimum et immenſum quantum magis, prae circumfluo et quaquaverſus facile pellendo aëre, reſiſtentem) cui ſanguiſuga adhaeret, tantopere premere poſſit; ut modo vel illa ulterius palmaria difficultas non objiciatur, quod ſuctio non tam pulmonis et thoracis, quam oris potius, inter mediam etiam expirationem (cum in pulſione iſta operatio illa thoracis elevationi et aëris repreſſioni tribuatur) optime ſugentis, actio videatur. Et quamnam pulſionem praeſtarent animalcula haec pulmonibus deſtituta, aut ſi eos obtinerent, qui, dum in aqua adhaerent et ſugunt, reſpirare et aquam pellere poſſent? Id tamen reticendum non eſt de pulmonibus et reſpiratione ſanguiſugarum, quod quamvis his partibus deſtitui videantur, non tamen aëre omni carere queant, cum vitro aſſervatae ſuperficiem aquae ſubinde petere et extra aquam ore et collotenus aliquandiu haerere ſoleant. Atque haec mihi de vulgari Hirudinum ſpecie potiſſimum nota fuere. Reperitur et alia quandoque apud nos, quae nullis lineis punctisve interſtinguitur, ſed unius ubivis et fuſci coloris eſt: depingitur ea et aeri inciditur nans Fig. 7. qua et dorſum, et venter, quo minus fuſca eſt, conſpici poteſt. Sunt hae minores quam ſtriatae, valde ſenſibiles, nec contactum, nec aquae ſubtractionem commode ferentes, ideoque minus vivaces ſunt, et quas ego habui, ſugere, famelicae etiam, noluere, unde poſt aliquot menſes interiere. Fig. 6. eadem ſpecies eodem tempore, ſeptembri nempe capta, junior et minor exhibetur, cumque ego aliquot inde diebus has hirudines, quibus aquam puram dederam ex foſſa illa, in qua coeperam eas, contemplarer, lateribus vitri adhaerere vidi puſillam et minorem fere, ac Fig. 5. deſignatur, quae ſane modo, aut non ita diu nata videbatur, adeo puſilla erat, ut non immerito quis forte exiſtimare potuiſſet, eam ita natam et vivipara ideo eſſe animalcula haec, quae Amphibiis

phibiis potius, quam Aquaticis tantum annumeranda videntur, cum diu extra aquam viva ſupereſſe queant.

Pro implenda Tabula Papilionem Fig. 8. exhibeo, nulla quidem colorum elegantia et varietate ſpecioſum, formatione tamen et motu ſingularem prorſus et admirandum; perniciſſimo enim per aëra motu, eoque rectilineo, non, ut alii pleri-que, vagabundo fertur et floribus advolat, (nec ventris craſſities ei impedimento eſſe poteſt, quamvis, quod pennis maximam partem conſtare videatur, revera minus craſſus gravisque eſſe queat,) ſtructura vero, ut modo dictum, plumaceus eſt, maxime caudam verſus, ita ut Papilio pernix plumatus et caudatus dici mereatur. Colore eſt ex nigro fuſco, alae autem interiores luteſcunt, et juxta ventrem utrinque maculas (ſi tales dicere liceat) albas habet. Pedibus inſiſtit ſex, et pro ore corniculum, ut alii, longum habet, quo florum ſuccum ſugit. Octobri ad flores Delphinii, in horto ſerius florentis, alias tamen etiam aeſtate nobis obviam factus eſt.

Huic contrarius eſt alter, Fig. 9. conſpicuus, qui ſegnis valde lentusque eſt, ut facillime ideo capi queat, colore vero elegantiore ſuperbit; alae exteriores ex violaceo nigreſcunt et maculis ſanguineis diſtinguuntur, interiores vero prorſus ſanguineae ſunt, limbo extremo nigro-violaceo, qua vero alis externis proteguntur, elegantiſſime auratae ſunt, venter totus niger eſt, craſſus, ideoque ob gravitatem ejus difficilius movetur. Paſſim graminibus adhaeret Majo et Junio menſibus, Julio moritur.

(*Giſſa Auguſtam Vind. d. 27. April. An. 1718. miſſa.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. Chriſtiani Gottlieb Reusneri.

Cingulum Lithontripticum.

Multa et praeclara extare remedia in Nephritide, et duris calculi doloribus, quae veterum multis paraſangis poſt ſe relinqunt, Ephemerides noſtrae Nat. Curioſor. abunde teſtantur. Inauditum autem appello cingulum lithontripticum, quod lumbis applicatur, et praeterito anno prima vice Wratislaviae videre contigit. Paratum erat ex linteo duplicato, cui radix quaedam exotica inſuta, coloris flavi, odoris paululum virulenti, dum recens eſt, ſaporis autem nullius: radix digiti minoris craſſitiem vix aequat, ejusdemque eſt longitudinis, illa autem parte, qua dorſum attingit, nulla radix eſt ſubſtrata, pro majori geſtandi commoditate. Aſportatur ad nos Lincio Metropoli Auſtriae ſuperioris. Tenore ſchedulae cujusdam (Anonymi tamen) idiomate Germanico conſcriptae, laudatur praeſervative et curative in calculo renum et veſicae, calculum inſenſibiliter e corpore expellere dicitur. Hoc tamen obſervandum: ut cingulum hoc ad minimum per 6. menſes indeſinenter ſcilicet diu noctuque geſtetur, deinde ad 4. vel 6. hebdomadas deponi poteſt. Commendatur quoque in praedicta ſchedula ſubjectis illis, quae quocunque modo diſpoſitionem ad calculum habent, quamvis adhuc libera ſint a doloribus, quod ex ſabuloſa urina vaticinari cuilibet licet. Fateor equidem me modum operandi cinguli hujus ignorare, interim tamen diffiteri non poſſum, quod 4. perſonas noverim, quae cingulum praedictum non ſine effectu laudabili geſtant, (et ab omnibus aliis remediis abſtinent,) unus per integrum annum, alter ultra 6. menſes, reliqui ad 3. menſes, geſtant, et ab illo tempore immunes a doloribus calculi imprimis renum, in dies autem ſabuloſam

ſam excernunt urinam, quod alias ſine dolore raro factum, nec poenitet illos ſumtuum, quos fecerunt.

SCHOLION.

INter topica remedia in calculo ex regno minerali non infimum meretur locum lapis nephriticus verus. Superat fere fidem, quod de illo Monardes Medicus Hiſpalenſis refert, de Duciſſa Bejar, quae ter brevi temporis intervallo Nephriticis doloribus afflicta, armillam ex hoc lapide ſibi fieri fecit, et ex eo tempore (quod decennium ſuperavit) eo dolore nunquam vexata; ſed roboratur idem effectus experientia Anſelmi de Boodt Tr. de Gemm. et Lap. L. 2. c. 110. p. m. 132. qui locum parallelum de Nobiliſſimo quodam Viro, Dammanno, Ordinis aurei Velleris Heroaldo, Agnato Domini de Boodt allegat. Scio equidem multos eſſe inter neotericos, qui in dubium vocant experientiam Monardis et de Boodt, prout facit Nicol. Venette in Tractatu, cujus Titulus: Traité des Pierres p. m. 264. Sed quis in dubium vocabit experientiam et authoritatem Excell. D. D. Mentzelii Ser. Elect. Brand. b. m. quondam Conſiliarii et Archiatri, cujus experientia omni exceptione major eſt; hic autem de Jaſpide quodam Nephritico ſimilem fere caſum Eph. N. C. Dec. 2. an. 7. Obſerv. 2. inſeruit. Lapidem autem nephriticum eſſe ſpeciem Jaſpidis dudum ſuboluit, praelaudatus Gemmarum ſcrutator de Boodt a Bodenſtein l. a. p. m. 131. Cubicularius enim Dominus Senningius Nephriticus, cui Elector lapidem cuſtodiendum tradidit, et libertatem geſtandi dedit, (applicabatur autem externe lumbis prout cingulum, de quo loquimur) ad Mentzelium ſcripſit: ſe geſtaſſe lapidem circa regionem renum in dorſo, et inter geſtandum, toto tempore ſenſiſſe refrigerationem renum, et per 8. annos ſe liberum a doloribus Nephriticis. Fateor, hanc obſervationem me moviſſe, cur Ephemeridibus noſtris cingulum Antinephriticum communicare volui, ut ſcilicet experientia una altera illuſtretur et to-

 pico-

picorum virtus explicetur. Modum operandi quod ſpectat, plurimi auctorum refrigerationem renum ex lapidibus externe applicatis agnoſcunt, prout faciunt Monardes, Boodt et D. D. Mentzelius, Sed quis crederet? (pace fiat tantorum virorum,) lapidem Nephriticum brachio alligatum, teſte Monarde, citante Boodt, l. a. et Weckero in Antidotar. l. 1. p. m. 40. tantam refrigerationem renibus communicare, quantam poſtulant. Quid magis refrigerat plumbo? Lamina tamen plumbea externe lumbis applicata, diuque geſtata, a calculo tamen renum non praeſervat, quamvis refrigerationem fecerit; quod propria experientia confirmat curioſus naturae ſcrutator D. D. Venette natione Gallus, loco allegato, ad imitationem Oratoris Romani Calvi, qui hoc experimentum nobis quoque reliquit. Videtur igitur alia adhuc ſubeſſe cauſa, quae ex Mechaniſmo, me judice, deducenda, ſalva tamen aliorum melius forſan ſentientium opinione.

(*Javera Auguſtam Vind. d. 28. April. An. 1718. miſſa.*)

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De
Cura tumoris oſſium.

NOn raro hactenus nobis in praxi occurrerunt protuberantiae et tumores oſſium non tantum in carpis et talis, ſed etiam in coſtarum extremitatibus. Tametſi vero hae eminentiae non ſemper conjunctae ſint cum ſpinae dorſi laxatione vel contorſione aut pectoris anguſtia ſeu, modo loquendi Gliſſoniano, acuminatione, adeoque nec gibberis nomine cenſeri queant; nihilominus tamen vitium notabile corporis figurae adferunt, quod tanto magis in oculos incurrit, ſi, quod communiter fit, oppoſitae partes extenuentur et quaſi marceſcant. Metuendam ex hac inaequali-

qualitate deformitatem parentes omni ſtudio a ſuis avertere allaborant. Chirurgi, quinimo et carnifices, quibus haec cura creditur, ut parentum deſiderio ſatisfaciant, nihil non moliuntur et interdum a ſana ratione prorſus aliena ſuſcipiunt. Probe recordamur, quantum damnum tenellis corporibus etiam compreſſione, (quae ea, *quae extant ad locum ſuum redire cogit*, verbo Hippocratis) praeſertim rudiori et ipſa quoque inepta per faſcias et ſplenia deligatione ſaepe ſit illatum. Omnis dies docet, quam frivolis de cauſis absque omni indicatione ad ferulas, modo ligneas modo aeneas proſiliatur, laminis ferreis ac plumbeis in hac flexili aetate infantes onerentur, et thoracibus lineis oſſibus ſeu ſetis balenarum interſtinctis, et qui multo nocentiores ſunt, ferreis angantur. Quam vero parum omnibus hisce, etiamſi loco et tempore debito adhibeantur, ſaepe proficiatur, Hippocrates in lib. de articulat. cap. 30. et reliquorum ſeculorum experientia affatim comprobavit. Nullum equidem ex memoratis praeſidiis abſolute proſcribendum ac damnandum eſſe cenſeo, in oſſium tamen prominentiis percurandis praeſtiterit alia via tentare remotionem mali. Gliſſonius, qui ſumma diligentia nec minori judicio in rachitidis naturam inquiſivit, optime, niſi fallimur, ab inaequali nutritione epiphyſes haſce oſſium arceſſit cap. XIII. praeclariſſimi operis de Rachitide diſerte ſcribens: *Vbi id* (ultimum alimentum) *liberalius uni parti et alteri parcius diſpenſatur, minime certo mirum eſt, ſi una pars in juſto majorem molem excreſcat, dum altera interim extenuatur.* Sed neſcio, an adeo feliciter idem celeberrimus vir rationem extenuationis evolvat, praetendens, *propter laxitatem, mollitiem, lubricitatem partium, expultricem concitatiorem eſſe debito, tranſpirationem nimis facilem ac diſſipationem circuitum ſanguinis nimis lubricum, retentricem debilem alimentum citius et facilius elabi pati, idemque pene hisce partibus accidere, quod inteſtinis in lienteria.* Profecto multo facilius nodum hunc gordium ſolviſſet doctiſſimus Gliſſonius, ſi a parciori alimenti affluxu extenuationem deduxiſſet,

quem-

quemadmodum ab uberiori ejus appulſu auctam partium magnitudinem quam rectiſſime derivavit. Totum negotium tanto facilius hodie aſſequimur, poſtquam noſtris diebus in clariſſima luce poſitum, quomodo beneficio motus tonici, laxatae partes copioſius, conſtrictus vero parcius humores quosvis, adeoque etiam alimentitium laticem, admittant et excipiant. Nam illa, quae Mechanici quidam de mira incredibilique tum ſecernentis vaſis quam ſecernendae partis forma, figura et conſtructione diſputat, merito inter commenta referimus, quae tempus jam coepit delere, et brevi poſt ex toto delebit. In hac inaequali partium nutritione et ἀλογοτροφία non aliud videtur eſſe officium Medici, quam quantum quidem ejus rei fieri poteſt, laxatas nimis partes modeſte ſtringere, atque hoc modo ad auctas partes exundantem affluxum moderari; nimium vero tenſas aliquantiſper et paulo largiorem hoc modo alimenti affluxum invitare. Et ad hunc ſcopum collimavi et metam feliciter multoties ſine operoſo medicamentorum, et chirurgicorum praeſidiorum apparatu attigi. Extenuatae partes emollienti unguento delibutae affluenti alimento magis patent, eodemque laetius recreantur; aucta vero mixtura tonica ter in dies per quatuor, aut exigente ita neceſſitate etiam per plures menſes illitae fibris ſtrictis delatum ad ſe alimentum parcius imbibunt, adeoque non amplius ita luxuriant. Uſus vero plerumque ſum unguento de Alth. Fernelii cum axung. taxi, medull. cruris vituli et oleo lumbricorum terreſtr. Stricturam fibrarum facile per ſpir. ſal. ammon. formicarum, ſerpilli, lavendulae, roriſmarini &c. impetrare licet; auſim ſpondere eximiam in medicina facienda utilitatem in multis etiam aliis morbis, ubi placuerit Medicis monita Methodicorum prudenter et cum judicio in rem ſuam vertere. Et eo magis dolere ſoleo, quod in paucorum manus verſentur quantivis pretii ſcripta Aureliani et Proſperi Alpini Maroſticenſis libri *tredecim de medicina methodica.* Interim fateor, in hac cura nec interna a me neglecta medicamenta, cum potiſſimum ii

his

his oſſium protuberantiis, deformari ſoleant, qui in infantia atrophia laborarunt. Eximie hic quoque proſunt remedia, quae primas vias a ſordibus vindicant, coctionem promovent, debitum chyli ac lymphae progreſſum adjuvant, eumque in finem tonum glandularum meſaraicarum ab infarctu mucoſitatis debilitatum roborant. Si viſcidioris lymphae praeſto ſint indicia, reſolventibus et attenuantibus ac incidentibus redeuntem nutritionis fruſtrationem, deſituram tandem in tabidam conſumptionem, ſolicite praevertere cautum, ut quivis intelligit, decet Medicum.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. Chriſtiani de Helwich.

De

Tutiſſima febris, variolas confluentes excipientis, curatione per blanda evacuantia.

NOn poteſt quemquam in medendo exercitatum latere, in quanto diſcrimine verſentur variolis confluentibus detenti, quibus juſto citius, hoc eſt, ante perfectam variolarum maturationem, facies detumeſcit ac ptyaliſmus ceſſat, nullo ſuccedente extremorum tumore; quod plerumque nono aut decimo a morbi inſultu die, rarius apud nos decimo tertio aut adhuc tardius contigiſſe hoc ſeculi decimi octavi anno decimo ſeptimo, morbillorum et variolarum feraciſſimo, perfrequenter vidimus. Quocunque vero die hoc eveniat ante maturationem; febris exardeſcit vehemens, praeſentiſſimum imminet ſuffocationis periculum, ſumma adeſt deglutitionis difficultas ac incredibilis inquietudo praecipue circa noctem, ut de inexplicabili anxietate, tremoribus aliisque horrendis ſymptomatibus nihil dicamus. In his anguſtiis aut nullum eſt aut nimis tardum, quod ſperare queas, ab alexipharmacis et cardiacis auxilium. Irritum plane negotium eſt, papillas ſalivales acidulatis ad ſub-

ſiſtentem ptyalismum revocandum ſolicitare; umbue pannum lineum, quantum libet, melle roſato colato, ſaepius friceutur ora ductuum ſalivalium ſpirit. ſulph. et oleo vitrioli et certo crede, te oleum et operam perditurum. Memini optato cum ſucceſſu ſalivationi ſubſtitutum fuiſſe a natura largius urinae profluvium, ac ſi ex micturitione divinare licet, eam renum cataractas reſeraturam, ut per eas veneni reliquias protrudat; libenter fatemur cum Mortono intract. de *febrib. inflammatoriis univerſalibus cap. IX.* Medicum oportere illi in hoc ultimo conatu manus adjutrices admovere, ac cardiacis admiſcere diuretica, quamvis prae cineribus bufonum a Mortono laudatis alia tutiora eligenda arbitremur. At vero ſi ſtimulus ad reddendam urinam abſit, ex diureticorum indole ac experientia oſtendi poteſt, quam vano nos conſilio ad infidum diureticorum in hoc caſu auxilium convolemus. Anchora ſpei omnis in hoc procelloſo mari eſt Mortono *cap. XI.* cortex peruvianus, quin imo tantopere hoc remedium hiſt. XXV. extollit, ut aſſerere nullus dubitet, unicum tantum caſum a ſe obſervatum, in quo praxin hanc infauſtus dedecorarit eventus, et cortex expectationi non reſponderit, quamvis etiam unicum hunc, quem vidit, ſiniſtrum exitum vel parco vel nimis ſero alexipharmacorum et corticis uſui malit tribuere, quam ipſi pharmaco. At vero cum uſu rerum nobis ſit compertum, corticem per tres dies exhibitum eſſe et tamen febrim ſymptomatibus multis ſtipatam circa noctem aegro gravius incubuiſſe; quilibet videt praeſentiori adhuc nos in tanta calamitate egere remedio. Sydenham, quo accuratius nemo de variolis egit, in *Schedul. monitoria* ea eſt in ſententia, quod nihil efficacius hanc febrim retundat, quam copioſa venaeſectio, hac enim omnium optime *putridas partes a puſtulis in ſanguinem reſorptas confeſtim* ex hoc *eliminari.* Ecquis vero Medicorum in pleriſque Germaniae partibus auſit vel verbo meminiſſe venaeſectionis, quotiescunque teneri infantes aut pueri vel puellae hac febri correpti languent? Ad ſolum venaeſectionis nomen parentes ac adſtantes cohor-

cohorreſcunt. Quid ergo tandem agendum? Idem ſagaciſſimus Medicus Sydenham vidit longe minus aegro periculum eſſe ab aſſumpto cathartico lenienti quam ab alvinarum faecum retentione, imo et feliciter hauſtum laxantem ſe propinaſſe narrat; nihilominus in catharſeos negotio illud notari vult, *aegrum non eſſe purgandum, niſi faceſſente jam morbo, v. g. die decimo tertio aut eorum aliquo, qui eum ſequuntur, imo nec per iſtos etiam dies, niſi ſanguis fuerit imminutus*, adeoque apud Germanos in his circumſtantiis nunquam: hisce enim ſanguinis miſſionem vix ac ne vix incurrentibus adhuc in oculos puſtulis, necdum plene exſiccatis et incruſtatis unquam perſuaſeris, adeoque ſi Sydenhamium ſequi placet, illis eo tempore nunquam alvum ſubducere licebit. Verum enim vero docuit me hoc anno quotidiana ac frequens ejusmodi aegrorum tractatio, quod ſine praemiſſa venaeſectione etiam decimo die lenientia non tantum ſine omni noxa, ſed etiam praeſenti cum utilitate, diſparente juſto citius in teneris vultus tumore ac ſalivatione ceſſante in adultis, exhibeantur. Ac certe actum eſt de teneris, niſi vel naturae, vel artis beneficio purulenta materia cum ſanguineo latice permiſta, quae febrim, reſpirationem brevem et frequentem, corporis jectigationem et anxietates excitat, blandiſſime evacuetur. Non diſſimulare poſſum, me ab initio timide in infantibus et pueris rem fuiſſe aggreſſum. Initio enematis neceſſitatem et utilitatem parentibus conatus ſum perſuadere, quod ſatis fuit arduum. Non facile quisquam crediderit, quantum Vratislaviae ad ſolam clyſteris mentionem in variolis trepidetur; conſenſere tandem cordatiores, poſtquam iis clare ob oculos poſitum, quod faeces in colo diutius torpentes acriores reddantur et inteſtinorum membranas pungendo ac vellicando miſeros reddant inquietiores. Non raro etiam fluctuantium ſuffragium erat expugnandum blanda ſpe ac promiſſo, fore nimirum, ut dempta opportune clysmatum ope ſaburra, corpus ſublevetur, periculum ſuffocationis minuatur, aeſtusque ſanguinis temperetur. Et profecto eventus fere ſemper pulchre reſpondit.

 Ubi

Ubi deinceps re ipſa compererunt, variolas enematibus ad inferiora, qui vanus illorum metus eſt, non retrahi, corpori quadantenus adferri levationem, aegritudinemque molliri; non repugnaverunt amplius, quo minus alvus enematibus duceretur. In corporibus plane exhauſtis hoc praeſidio minime uſus fui, ne calumnia clyſteris improbitati fatalem imputaret eventum, quem a morbi vehementia brevi inductum iri conſtabat. Majori cum ſolicitudine et circumſpectione in exhibendis lenientibus verſatus ſum. Vbi oleo Amygdalarum dulcium in jusculo exhibitum non ſatisfecit, ad decoctum florum et fructuum cum ſyrupo violarum ſolutivo progreſſus ſum, acillud ſingulis diebus propinavi. Optima fide affirmare poſſum hinc ſecutam ſymptomatum mitigationem, quae, ut prosperi ſucceſſus ſolent, me audaciorem fecit, ut decocto huic aut pectorali Auguſtanorum ▽ laxativam Viennenſium etiam in doſi largiori addere minime dubitaverim. Spero omnes, qui veritatem aſſerti hujus experiri cupient, re ipſa deprehenſuros, mitiora omnia eſſe, quando per diem alvus fuerit laxior, triſtiora vero omnia, ubi ea denuo adſtricta. Hac via per integrum aliquando octiduum inceſſi, et ſingulis horis duabus aliquot cochlearia mane potionis ejuscemodi lenientis exhibui, circa quartam vero pomeridianam ac octavam veſpertinam alexipharmaca blandiora ſine omnibus anodynis adminiſtravi, ac ut plurimum quidem dedi pulverem bezoardicum ad paroxysmum febrilem efficacius retundendum ac avertendam inquietudinem nocturnam. Hac medendi methodo aliquos in ſummo vitae periculo conſtitutos, fuiſſe praeter omnium ſpem ſervatos certum eſt. Diem dies docebit, et forte poſteri, nec paulo fortiora, a quibus tamen hactenus abſtinui, formidabunt, eandemque calcabunt viam, quam in Anglia a Medicis eruditione ac experientia praeſtantibus jam nunc teri ex *Comment.* 7. doctiſſimi viri Joannis Freind ad Hippocrat. de *morbis popularibus* non ſine animi voluptate perſpexi.

OBSER-

OBSERVATIO LXI.

De

Motibus ſpaſticis convulſivis, difficilioris dentitionis conſectariis.


DEntientium propria eſſe ὀδαξίσμους, *gingivarum* prurigines, ſive, ſi Celſi interpretatio lib. 2. de Medic. cap. I. p. 46. magis placet, *exulcerationes*, *febres*, *convulſiones*, non tantum ex Hippocratis Aphoriſmo 25. libr. 3. ſed et quotidiana experientia conſtat. Notum quoque vel in vulgus eſt, infantes maxime *caninis dentibus orientibus* male habere, id quod ipſe etiam Hippocrates in citato Aphoriſmo monuit, qui tamen, ut multi alii, qui pro oraculis habentur, oculis prudentiae intuendus, neque in illo τὸ κατὰ παντὸς requirendum, ſatis etiam hic erit, ſi plurimum res ita ſe habeat, quod ſapienter de quamplurimis aliis Hippocratis effatis judicavit Galenus. Neque eſt, cur hic quisquam merito turbetur, ſi non omnia usquequaque reſpondeant, cum idem cernere liceat in regulis nomotheticis, forenſibus, militaribus, oeconomicis, qua de re merito conſulendus Scherbius, vir ſuo tempore doctiſſimus, in lectu digniſſima *diſſertatione contra Ramiſtas.* In materia, quae prae manibus eſt, reperias pueros, quibus canini dentes absque commemoratis ſymptomatibus, molares vero cum tanta difficultate erumpunt, ut infantes graviſſimis convulſionibus confecti e vita excedant. Neque facile quenquam fugit, pueros obeſiores ſeu verbo Celſi *pleniores*, et eos, *quibus venter adſtrictus eſt*, graviora premere mala citiusque convelli teneriores, et quibus alvus fluidior eſt, quod itidem praeclare notatum Hippocrati in libello de *dentitione* his verbis: *quibus in dentitione alvus plus ſubducit, minus convelluntur.* Jocularis vero et proletarius error eſt, credere, quod infantes usque ad tertium ſolummodo aetatis annum, dum dentes e maxillarum alveolis in gingivarum faſtigia protruduntur, febri et

convulſionibus opprimantur, quarto vero aut quinto &c. dentientes ab hiſce malis ſint immunes. Probe recordor etiam juvenes, quibus genuini dentes cum ſummis exierunt doloribus, Medicum imploraſſe auxilium, neque excidet unquam animo meo affinis mei Chriſtiani Richardi Pfeifferi Med. D. ac Phyſici Ducalis Münſterbergenſis praematuro fato nobis ante triennium erepti confeſſio, dolorem ſe tam exquiſitum prodeuntibus vigeſimo octavo aetatis anno ſapientiae dentibus expertum, ut, quomodo tenera corpora hiſce cruciatibus ferendis paria ſint, id vero ſeſe non ſatis capere, ſerio affirmaret. Neque eſt, cur temere fidem detrahas Ariſtoteli, *lib. 2. Hiſtor. Animal. cap. 4. et lib. 5. de generat. Anim. cap. 4.* narranti praedictos dentes maribus et foeminis octuageſimo aetatis anno non ſine *dolore* erupiſſe. Ariſtoteli ſuffragatur Gorraeus; Veſalius quoque *lib. 1. Anat. cap. II.* auctor eſt, *genuinos emigrare cum tanto* cruciatu, ut Medici illud non obſervantes *alios interdum dentes evulſerint et Catapotiis aegros obruerint*, perſuaſi, *humorum vitio dentes dolere.* Et certe cum ſine perforatione ac laceratione gingivarum dentes emergere non poſſint, omnino neceſſe eſt, non tantum teneros infantes ſed et his aetate majores pueros perpeti dolores, dum dentium aciculis continuo gingivae punguntur ac vulnerantur, quos quidem eſſe graviores, quam ſi *ſtimuli infigantur carni* non ſine ratione credit vir clariſſimus, *Rollfinccius in diſſert. Anatom.*, qua de re nos non dubitare ſinit ſumma puerulorum inquietudo, et in moroſioribus ejulatus. Ut tanto citius principium corporis vitale ab hoc moleſtiſſimo ſenſu ſeſe vindicet; opportune in ſubſidium vocat febrim tanquam medium, quo dentis eruptionem frequentiori ac fortiori ſanguinis ad gingivas appulſu promovere poteſt; beneficio quoque motus tonici laxatis partibus circa caput et ſtrictis inferioribus majorem ſanguinis quantitatem ad caput congerit, ut uberiori hoc flumine tanto promtius dens ex alveolis evolvatur. Hiſce viis metam optatam perfrequenter ex voto attingit. Ubi vero majores ſeſe offerunt difficultates, et ὀδοντόσεως negotium non

non ex voto ſuccedit; non raro excitantur convulſiones, id eſt, motus tonicus ſumme exacerbatur, ut dens majori hac vi adhibita tanquam cuneo quodam protrudatur, id quod etiam non raro ita evenire aſſolet. Neque enim omnibus infantibus dentientibus convulſiones ſunt funeſtae, quod et Hippocrati annotatum praedicto *de dentitione* libello. Enim vero praeter haec omnia in pueris quinquennibus &c. tum aliis tum praecipue iis, qui ſegnioris alvi ſunt et a patribus arthritide laborantibus et matribus animi gravioribus pathematibus obnoxiis geniti ſunt, obſervare licet, quod, dum iis dentes eruuntur, initio quidem impetus protrudendi dentem vehementiſſimus deprehendatur; poſt aliquot vero dies, hoc conſilio abjecto, excitentur in toto corpore ſpasmodicae conſtrictiones cum convulſionibus intercurrentibus non niſi per mortem finiendae. Aliquoties hoc a me animadverſum, ſed nuper praecipue, dum inter dentes maximum ſeu molarem a caninis tertium in utroque inferioris maxillae latere natura protrudere ferventiſſime moliretur. Puer talibus, quos dixi, parentibus prognatus quintum aetatis annum agens blaeſus gracilique pede aegre adhuc incedens per aliquot dies ſolito moroſior et noctu inquietior turbat ſuos, praeſertim quod vomitus et aeſtum appetitus dejecti comites cernerent. Inter haec dum crebrius ori manus cum ferocia aliqua indit, rubedine alternis vicibus genas tingente, ſuſpicionem difficilioris dentitionis movet. Blanditiis munuſculisque illectus accuratiorem inſpectionem admittit. Inſpicientibus deſignati a nobis dentes molares eruptioni credebantur proximi, nullique amplius domeſticorum ſuperat dubium, praeſentes turbas ab impeditiori dentitione eſſe derivandas et hoc etiam ex capite, quia puer ne leniſſimum quidem tactum in memoratis gingivae tuberantiis ferre poterat. Interea morbus ruit indies in deterius, unde excitata matris diligentia ac ſtudium explorandi, num aliqua dentis aſperitas jam jam appareret. Numquam per multos dies examen iſtud ſuſceptum fuerat, quin puer tremore totius corporis teſtaretur, quam gravis ſibi eſſet leniſſimus quivis tumentis gingivae

tactus,

tactus. Dum genitrix circiter decimi morbi die ad quotidianum explorationis officium redit, et eo diligentius fungitur excitata ad hoc urinae ſuppreſſione et ſpasmodica alvi conſtrictione, digitum fortius imprimit, quinimo gingivas fricare audet, nullumque doloris ſenſum a puero edi advertit. Id nunciatum mihi argumento fuit, vitale principium de ſucceſſu deſperabundum laborem protrudendi dentem tanquam inutilem abjeciſſe. Ceſſante motu circa dentes, invaluere in horas ſpasmodicae conſtrictiones, et vagae modo hujus modo illius partis convulſiones in toto corpore oberrabant. Jam inteſtina tanto ſpasmo torquebantur, ut juraſſes pueri morbum eſſe dolorem colicum; modo ſphincter veſicae tam arcte conſtringebatur, ut urinae praecluderetur exitus, crediditſes puerum calculo veſicae, cujus tamen nullum indicium per totam ejus vitam comparuit, laborare; jam fauces ita anguſtabantur, ut ſine praeſenti ſuffocationis periculo non poſſet quicquam deglutire. Nec artus praecipue vero pedes a calamitate erant immunes, dolorque per intervalla tam acerbus iis incubuit, ut cum podragricorum cruciatu conferri poſſet. Tantis malis teneri corpuſculi vires ita atterebantur, ut puer convulſus morbi vigeſimo die ſuis per mortem eriperetur. In erroneis hiſce motibus corrigendis quam parum poſſit medicina, quotidie, proh dolor! non ſine gemitu noſtro experimur. Nam certe ſervatus fuiſſet puer, ſi, cum ab impetu excluſionis principium agens feriaretur natura, erroneos illos motus cicurare licuiſſet, usque dum refocillata debite ſeſe alio tempore magis placide et tranquille ad dentem propellendum accinxiſſet. Nullum paulo attentiorem Practicum latere poteſt, quod ſicuti in foetu et calculo expellendo, inducias quasdam ſibi indulget natura et a ſpasmodico conſtrictionis labore ad tempus quieſcit, unde etiam a doloribus feriae: ita quoque ſeſe in dentitionis opere gerat. Nimirum fere in omnibus affectibus principium vitale intentionem ſuam non ſemper continuis ſed per intervalla repetitis motibus proſequitur: Profecto quotidie videre contingit infantes dentientes graviſſime aegrotantes, qui ante eruptionem


Tab. VI. p. 361.
fig. 2.
Obſ. 63
Cent. VIII
fig. 3. p. 365.
fig. 1
Obſer. 82.
p. 361.
fig. 3. p. 380.
fig. 6. p. 382.
fig 4.
p 369

nem dentis ad inſignem redeunt alacritatem, quod ſine ſuſpenſione motuum expulſoriorum fieri nequit. Et hoc, credo, fine ut impetum naturae moderentur ac motus impetuoſiores refraenent, quidam ex celeberrimis Medicis tincturam et ſyrup. flor. papaveris Rhaead. commendant, cum opus maxime fervet. Sed, ut ad erroneos, quos deſcripſimus, pueri motus redeamus, non licuit nobis eſſe tam felicibus, ut fluctus hoſce componere poſſemus. Conſulueramus ſtatim ab initio alvi libertati enematibus, febrim temperatiſſimis alexipharmacis oppugnaveramus, nec inde jam amplius periculum imminebat; inanis vero labor ponebatur in domandis ſpasmodicis et convulſivis motibus. Nulla nobis ſeſe efficacia approbabat liquor C. C. ſuccinatus, Eſſent. dulc. hallenſ. pulv. March. antepileptic., niger, de Gutteta, ☉laris Hallenſ. ſpecific. Cephalic. DM. antiſparmod. nullum afferebant levamen, fruſtra etiam ad externa varia confugiebatur.

(*Vratislavia Noribergam, d. 30. Apr. An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De cancro exulcerato labri inferioris ſectione curato.

ANno 1716. in principio menſis Februarii vocabar ad virum ſexagenario majorem, ruſticum, duabus horis itineris ab Altdorffio noſtro degentem, qui tali inferioris labri cancro exulcerato laborabat, ſicuti in Tab. VI. fig. 1. eum delineavimus. Inquirenti mihi in cauſam et originem hujus mali, retulerunt, virum hunc jam praecedenti hyeme, Anni 1715. initio fiſſura quadam valde dolorifica hujus labri fuiſſe correptum; quae vero, ut chirurgus paganus, qui ejus curae hucusque praefuerat, affirmabat, unguento de lithargyrio et de ceruſſa rurſus fuerat ſanata: eamque fiſſuram non niſi ab inclementia aëris ortam fuiſſe

exiſtimabant. In principio vero hyemis Anno 1715. ante feſtum nativitatis Chriſti ſimilis fiſſura eodem loco redibat, cui idem chirurgus denuo conſultus, eadem rurſus unguenta ordinabat, nullus dubitans, malum eodem modo, ut ſuperiori hyeme, ſublatum iri. Sed tantum abfuit, quin potius in dies majora incrementa ſumſerit illa fiſſura, cum ingentibus et intolerabilibus doloribus, accedente foetore cadaveroſo, cancris proprio, donec tandem in principio Februarii praedicti anni 1716. labrum in tantum eroſum et conſumtum fuerit, ut chirurgus poſt plura alia remedia incaſſum adhibita ulterioris auxilii neſcius, tandem et me advocandum curaverit. Quoniam vero hujus cancri jam tantum progreſſum conſpexeram, ut ab lit. a. a. ad b. usque ſe extenderit, et in angulo labrorum ſiniſtro adhuc tumor cancroſus c. c. c. ſub cute in membrana oris communi deſignatae modo magnitudinis adeſſet, nullum aliud remedium ſupereſſe judicavi quam ſectionem, et radicalem hujus cancri, tam exulcerati a b a, quam tumoris cancroſi c. c. c. extirpationem; malum enim moram non pati, quia intra tam breve tempus tantum progreſſum fecerat, metuendumque erat, ne brevi fiat deſperatum: praeſertim quia jam aeger ob dolores continuos et vigilias, nec non propter appetitum languidum jam valde erat debilis. Idcirco cum nullum aliud remedium ſupereſſe perciperet aeger, annuit et conſenſit operationi inſtituendae. Quapropter ſine ulterioribus ambagibus operationem ſequenti modo perfeci.

Primo partem exulceratam a. b. c. ſcalpello totam reſecavi, quousque aliquid cancroſi digitis percipere potui. Deinde in tumore c. c. c. labris diductis, non cutem externam ſimul, ſed ſolum illud, quod intus induratum erat, amputavi, ut pulchrior fieret cicatrix, et ne nimis magna oris deformitas inde proveniret; nam cutis ibi ſana erat, et cum tumore nullum habebat commercium, ideoque et cutem ſimul auferre, (quod quidem facilius fuiſſet) non e re eſſe putavi. Hoc facto diligenter exploravi, an forte adhuc aliqua durities aut tumor adeſſet praeternaturalis, qui cancri reliquias indicaret: ſed cum nihil tale inve-

niſſem, et ſanguinem aliquandiu fluere permiſiſſem, tandem abſterſo cruore hiatum ſive vulnus per tres ſuturas nodoſas, ſive interciſſas dictas conſui; nimirum acu incurvata, filo inſtructa duplici robuſto et cera obducto, perforavi primo utramque oram hiatus in parte inferiori ad 1. 1. relicto filo in vulnere utrinque ad pedis longitudinem dependente; idem deinde feci in loco 2. 2. et poſtea etiam in loco 3. 3. ad notabilem ſatis diſtantiam a margine vulneris, ne fila oras facile diſrumpant. Tandem abſterſo denuo cruore et prehenſis extremis fili inferioris, nodo primo ſimplici adduxi oras vulneris ad ſe invicem, quantum fieri poterat, et cum orae ſe invicem probe tangerent, duplici nodo filum firmavi, quodque ſuperfluum erat forfice reſecavi. Similes nodos poſtea cum filo medio, et denique etiam cum ſupremo perfeci, aſſiſtente interea chirurgo, per orarum vulneris utrinque factam compreſſionem, ad mutuum contactum, ut eo facilius et aequalius per fila conjungi poſſent, quod ex voto etiam ſuccedebat, quamvis hiatus, ut facile judicari poteſt, ingens eſſet. Ne vero fila oras lacerarent, mundato iterum vulnere a ſanguine, inſperſoque pulvere glutinante ex rad. ſymphyt. et gumm. tragacanth. aliquot emplaſtra glutinantia anguſta, ſed longa, primo transverſim, et deinde etiam decuſſatim ab altera ad alteram genam extenſa, ita applicari curavi, ut ad oras junctas ſervandas quam maxime eſſent idonea; quibus adhuc faſciam unientem ſuperaddidi, ut receſſus orarum vulneris eo certius impediretur, et concretio eo melius promoveretur, atque ſic aegrum quieti tradidi. Dum vero aliquandiu decumbebat, conqueritur os ſibi ſanguine repleri; quapropter ore oxycrato eluto inquiſivi, unde ſanguis ille promanaret, et reperi eum ex loco illo effluere, ubi tumor cancroſus c. c. c. haeſerat. Ad hunc vero ſiſtendum fruſtulum fomitis loco ſanguinem fundenti applicavi, illudque digito chirurgi per horam circiter dimidiam forti compreſſione detinendum curavi; quo facto etiam haec haemorrhagia ſubſtitit. Ordinavi deinde aegro victum convenientem, emulſionem anodynam et analepticam, eodem adhuc die ſaepius uſurpandam, et

 can-

tandem decoctum ex rad. chin. ſarſaparill. herb. agrimoniae, conſolidae majoris, aliisque travmaticis paratam, ut de hoc aliquoties quotidie hauſtum aſſumeret. Vulnus ante diem quartum non aperiendum, ſed ſolum quotidie melle roſato, admixto pauco balſamo Peruviano, in parte ſuperiori et interiori bis vel ter illinendum praecepi. Die quarto vero faſciam et emplaſtra blande removenda imperavi, orasque vulneris bene ac pulchre jam coalitas junctasque obſervavimus. Igitur tunc eodem melle roſato vulnus etiam extus inunximus, et emplaſtra glutinantia ac faſciam, ut antea, denuo applicavimus. Die ſexto tertia faſta eſt deligatio, vulnusque adhuc melius junctum offendimus; quapropter medium filum forfice diſſecavi et eduxi, facta rurſus deligatione, ut antea. Die octavo filum infimum et die nono etiam ſupremum extractum eſt, vulnusque tandem ope illius mellis et emplaſtrorum ad tam pulchram conſolidationem deductum eſt, ut nil niſi levis cicatrix haud deformis obſervaretur. Sanatione facta monui aegrum, quia morbi cancroſi facile redirent, ut non ſolum convenientem ſervet diaetam, ſed etiam, ut verno tempore me conveniret, et cura prophylactica uteretur, ad ſanguinis pravam conſtitutionem emendandam, novumque malum avertendum. Sed quia tunc bene valebat, ut mos eſt gentis ruſticae, de Medicina prophylactica non cogitabat, neque ad me redibat. Tandem percepi, ipſum ſequenti aeſtate tumore in jugulo correptum, et menſe Auguſto ejusdem anni hoc tumore, me non conſulto, mortuum fuiſſe, labris ſanis beneque ſeſe habentibus. * Quia vero talem cancrum apud Auctores nondum delineatum novi, figuram hanc utilem eſſe putavi iis, qui talia mala nondum viderunt, ut ſic eos melius dignoſcere queant.

a a notat extenſionem ſuperiorem horridi hujus cancri a medio labri ad angulum ſiniſtrum ſe extendentis.

b. locum quousque verſus mentum ſe extendebat.

c.c.c.

* Similem fere caſum recenſet *Goelickius* in Hiſtor. Anatom. pag. 208. cui etiam tandem tumores colli ſupervenerunt, ob quos aeger mortuus eſt.

c.c.c. tumorem cancroſum in ore ſub cuta latentem.
d. dentes per hiatum cancri cum gingivis apparentes.
1. 2. 3. loca ubi ſuturae cruentae factae ſunt.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

Nova et accurata glandulae thyroideae, glandularum bronchialium et aſperae arteriae cum praecipuis ramis in magnitudine naturali delineatio.

JAm dudum cognovi *glandulam thyroideam* (quam *Caſſerius* (*a*) male thymum appellat) a *Verheyeno* aliisque multis male et deſcriptam et delineatam eſſe, atque propterea jam ab aliquot annis novam accuratioremque ejus delineationem confici curavi. Et quoniam glandulae, *bronchiales* dictae, etiam adhuc nusquam, quantum novi, in naturali magnitudine delineatae ſunt, operae quoque pretium eſſe arbitratus ſum, has ſimul cum aſpera arteria junctas exhibere, ut ſic tam illius, quam harum ſitus, figura, magnitudo et connexio cum aſpera arteria, itemque uſus earum eo melius cognoſci queant.

Has vero figuras, quae in Tab. VI. fig. 2. et 3. exhibentur, quamvis jam a quinque vel ſex annis delineatae erant, tamen propterea citius publici juris non feci, quia ſemper ſperavi, me frequentiori harum glandularum perveſtigatione certius quid circa uſum earum obſervaturum eſſe, quam hactenus cognitum eſt, et imprimis etiam, poſtquam haud adeo pridem *Vercellonius*, Anatomicus Italus, in hiſce glandulis, tam *thyroidea*, quam *bronchialibus* novos ductus in oeſophagum deſinentes ſibi vidiſſe viſus eſt, quos etiam in peculiari libro deſcripſit, et tales uſus ipſis aſſignavit, de quibus alii vix cogitarunt, aut ſaltem nil certi aſſerere auſi ſunt: dum ſcilicet *bronchiales* liquidum gaſtricum per tenues ductus in oeſophagum et inde in ventriculum deponere affirmarit;

a) In Tabul. Anatom. *Spigelio* additis lib. IV. Tab. 11. fig. 1, lit. k

rit, *thyroideam* vero *nidum eſſe ovorum vermium*, quae in ſtatu ſ. n. per ſubtiliſſimos ductus in oeſophagum (cui tam haec, quam illae glandulae adhaerent) et hinc in ventriculum tranſirent, pro charactere vitali chylo in ventriculo impartiendo ſtatuit, quae vero ovula in ſtatu p. n. ſaepe in vermes abirent, et multorum malorum in corpore humano cauſa exiſterent, ſicuti prolixius in *ſua diſſertatione anatomica de glandulis conglomeratis oeſophagi* videri poteſt. Hinc et harum rerum novarum inquiſitionem atque explorationem ipſe prius inſtituere mihi propoſui, ut ſic, quid circa haec obſervaverim, ipſe deſcribere poſſim. Saepius vero interea deſudavi in ductibus et ovulis illis inveſtigandis, ut meam de illis ſententiam explanare poſſem; et licet hae glandulae ita ſint locatae, ut tam oeſophago, quam aſperae arteriae adhaereant, tamen illam connexionem haud aliter quam per tenues fibrillas fieri deprehendere, et nunquam cavum aliquod in iis reperire potui. Nolo tamen hanc ob cauſam inficiari tranſitum alicujus liquidi hinc ad oeſophagum fieri poſſe, dum ſatis hodie notum ſit Anatomicis, fibras muſculoſas aliasque quam plurimas ad ſenſum tenuiſſimas revera cavas eſſe, et liquidum transmittere, etiamſi nulla ſeta immitti poſſit, aut cavitas manifeſto appareat. Ejus vero ſententia *de vermium ovulis in glandula thyroidea* naturaliter exiſtentibus, horumque uſus et ſtatus praeternaturalis, longe pluribus difficultatibus et dubiis eſt obnoxia, dum nec talia ovula, ut verum fatear, nec ductus, quales adeſſe perhibet, in ea reperire aut obſervare unquam potui. Neque ſententiam hanc jam prolixius excutere noſtri hic eſt inſtituti, ſed prudentioribus uberiorem inveſtigationem lubentes relinquimus. Redeamus vero ad *Verbeyenum*, qui in anatomia ſua *glandulam thyroideam* ab utraque aſperae arteriae parte *dependere* affirmavit, et haud inepte *duas* dici poſſe exiſtimavit, easque etiam ita depinxit Tab. XXII. fig. 1. Verum recte doctiſſimus *Morgagnus*, uti jam in praefatione compendii noſtri Anatomici innuimus, evicit, (a) eam male a plerisque Auctoribus pro

(a.) Adverſar. Anatom. edit. Belg. p, 68. qui de hac glandula prolixius legi meretur.

pro duabus haberi, cum revera non niſi unica ſit, quae creſcentis lunae imaginem quodammodo obtineat, cujus cornua ſurſum ſpectent, non deorſum, uti a *Verbeyeno* delineantur. In multis quidem beſtiis, ut bobus, vitulis et ovibus, duae ſunt, utrinque una, in latere laryngis ſita, verum in homine partes laterales dextra et ſiniſtra (quae et lobi dici poſſunt) in medio, ubi ſupremis annulis aſperae arteriae incumbit, per ſatis craſſam ſubſtantiam glandulosam, lateralibus partibus ſive cornubus haud abſimilem, digiti transverſi latitudinem plerumque habentem, adunantur, et in unum corpus continuum compinguntur. Ad hunc igitur errorem *Verbeyeni* emendandum jamdudum, ut antea jam dixi, hanc glandulam ad vivum depingi curavi; et quamvis etiam Magnus *Euſtachius* in tabulis ſuis Anatomicis haud pridem ab Illuſtri *Lanciſio* editis, hanc glandulam accurate exhibuerit delineatam; (b) attamen quia eam valde exiguam repraeſentat, et naturali quadruplo quaſi minorem, placuit meam etiam delineationem hic exhibere, ut naturalis magnitudo inde rite innoteſcat, et quidem primo ex adulto, et deinde etiam ex infante recens nato, ut diſcrimen magnitudinis et figurae conformitas inde perſpici queat: Igitur in fig. 2. Tab. VI.

A A. Exhibetur *glandula thyroidea, quomodo in adulto ſe conſpiendam praebet*, lateribus paulo expanſis.

B. Medium, ubi quaſi diviſa, attamen continua eſt.

C. C. Pars ubi craſſiſſima, pollicis craſſitiem ſuperans.

a a. Apices partium lateralium ſurſum utrinque exporrecti.

a a bb. Tractus lunam creſcentem ſive cornutam exhibens.

c c c c. Vaſa ſanguifera ſuperficiem perreptantia.

D D. Aſpera arteria integra.

E E. Diviſio in duos ramos, *Bronchia* dictos.

F F F F Bronchiorum praecipuae ſive majores diviſiones.

G G G G.

(b) Videri etiam poteſt in *Manget.* Theatr. Anatom.

GGGG. *Glandulae bronchiales*, nigricantis coloris, in diviſionibus et ſubdiviſionibus bronchiorum ſitae.

HH. Cartilago thyroides laryngis.

II. Muſculi parvi crico-thyroidei dicti.

Fig. 3. glandula thyroides ex infante.

AA. Glandulam thyroideam notat.

aa. Ejus cornua.

BB. Aſperam arteriam.

C. Cartilaginem thyroideam.

DD. Muſculos hyothyroideos.

EE. Muſculos cricothyroideos.

Caeterum lubentes jam abſtinemus ab uberiori deſcriptione ſitus, connexionis, magnitudinis et figurae harum glandularum, quia vel ex praecedentibus et figuris noſtris intelligi, vel jam apud *Verheyenum* aliosque anatomicos deſcripta legi poſſunt. Hoc ſolum *ratione uſus* adhuc addimus, quod, quamvis ob incognitos ductus excretorios nondum certo definitus et demonſtratus ſit, tamen ob ſitum et connexionem, quam habent, tam cum aſpera arteria, quam cum oeſophago (oeſophagus enim poſt tracheam ſitus eſt) tum etiam ob liquidi humectantis et lubricantis neceſſitatem in utroque hoc canali, nobis perquam veriſimile ſit, eas tam aſperae arteriae, quam oeſophago per tenuiſſimos ductulos ſive fibras, quarum cavum in ſenſus non incidit, liquidum aliquod infundere, quod in oeſophago non ſolum pro lubricatione, ſed etiam in ventriculo pro menſtruo ſive liquido alimenta ſolvente inſervire poteſt; in trachea vero pro ea lubricanda et ab ariditate et ſiccitate praecavenda: nam tam e thyroidea, quam bronchialibus, ſi premuntur, liquidum quoddam lubricum et oleoſum, exprimi poteſt; tam inſignes enim et notabiles glandulas tracheae et gulae ſine ſingulari utilitate adhaerere haud probabile eſt.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Singulari et pulchra diſtributione venae azygos ſive ſine pari.

VErbeyenus aliique multi Anatomici in delineationibus vaſorum delineationem et diſtributionem *venae azygos* omittunt. Venae ſcilicet illius inſignis, quae praecipue per thoracem et ſpeciatim per ſpatia coſtalia diſtribuitur. Doctiſſimus *Euſtachius* jam olim integrum libellum de hac vena conſcripſit, et aliquas ejus varietates indicavit ac delineavit. *Caſpar Bauhinus* in Theatro ſuo Anatomico lib. II. Tab. VI. et VIII. ut et in append. Tab. VII. adhuc plures alias hujus venae excurſiones demonſtravit, alii forte alias exhibuerunt: at in eo tamen conveniunt, quod plerumque haec vena ſola et a dextris venae cavae ſine ſocia in ſiniſtro latere procedat (unde *azygos* ſive *ſine pari* nomen) atque plerisque coſtis partibusque vicinis proſpiciat.

Nos cum aliquando in diſſectione foetus, quem mortuum ex utero matris viventis eduxeramus, occupati eſſemus, ſingularis et inuſitata, pulchra tamen, hujus venae diſtributio ſe nobis offerebat, quam cum diverſam ab omnibus aliis antea viſis obſervaremus, eam delineatione et deſcriptione haud indignam judicavimus, ut opera Dei mirabilia et varietates rerum eo melius pateant.

Exhibetur itaque in Tab. VI. fig. 4. tota vena azygos, ſive ſine pari dicta, ex infante maturo in partu mortuo, et quidem naturali magnitudine delineata.

Lit. A. exhibetur truncus ſimplex ſive unicus venae azygos, a vena cava ſuperiori, in quam inſerebatur, reſectus, qui mox in quatuor ramos B C D E. dividebatur.

B. et C. ſunt rami azygos ſuperiores, quorum dexter

B. in dextro vertebratum latere ſitus, usque ad ſecundam coſtam aſcendebat: ſiniſter vero

C. ad ſiniſtrum latus vertebrarum eodem modo ut alter collocatus, tantum ad tertiam coſtam progrediebatur.

D et E ſunt duo rami inferiores utrinque ſimili ratione vertebris accumbentes.

F eſt anaſtomoſis quatuor ramorum B. C. D. E. ſive ſinus, in quem omnes quatuor rami ſe exonerabant, ſexta thoracis vertebrae accumbens, ex quo truncus A proveniebat.

Numeri 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. notant numerum coſtarum, ad quas ramuli minores hic indicati, ex quatuor majoribus orti, excurrebant; ita ut exinde pateat, dextrum B usque ad ſecundam coſtam aſcendiſſe, ſiniſtrum C. nonniſi ad tertiam, inferiores vero D. et E. utrinque etiam tam in dextro, quam ſiniſtro thoracis latere aequalibus ramis excurrebant, et omnibus coſtis a ſexta usque ad duodecimam ramulos largiebantur: notum enim eſt, haec vaſa coſtas in toto ambitu thoracis, usque ad ſternum comitari, et ſanguinem inde ad truncum azygos et inde ad venam cavam ſuperiorem revehere.

Dexter vero E ad ultimam coſtam ceſſabat, ſed ſiniſter D, usque ad venam renalem ſive emulgentem ſiniſtram, lit. G. notatam ſe extendebat, et in hanc manifeſto ſe inſerebat; hinc cum flatum in hanc emulgentem impellerem, omnes hi rami pulchre diſtendebantur. Hoc denique adhuc ſingulare et a nullo, quantum novi, antea obſervatum, habebat haec vena, quod ubique ramuli e latere emergentes, et numeris notati, hic non ſimplices fuerint, ut vulgo eſſe ſolent, ſed omnes duplices, ſicuti in hac figura illud indicavimus. Caeterum de uſu nihil amplius addimus, quia omnibus notus eſt.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Cancro uteri externo.

Auctores plerique, qui de cancro uteri ſcripſerunt, aut aliquam ejus mentionem fecerunt, raro aut vix de cancro uteri externo, ſed de interno plerumque duntaxat loquuti ſunt. Praecedenti vero anno Neogarum in Palatinatum ſuperiorem vocabar ad mulierem, quadraginta quaſi annorum, cancro uteri externo ſive cancro pudendi muliebris eoque horrendo et graviſſimo laborantem. Utrumque ſcilicet labrum pudendi a ſumma ad infimam partem penitus erat exeſum atque fere ad oſſa pubis et utrinque ad femora usque eroſum, eodemque fere modo, ut lardum a muribus arroſum, totus quoque mons veneris ad abdomen usque fuit conſumtus, cum foetore intolerabili et aſpectu teterrimo: Mulier illa antea caeteroquin ſana erat: verum Anno 1716. excreſcentia quaedam pendula in labro pudendi ſiniſtro ipſi orta erat, quae conſilio Medici cujusdam ligatura ope ſetae equinae brevi et recte tollebatur. Paulo poſt tamen eodem in loco novum rurſus tuberculum oriebatur, circa quod, cum non a Medico, ſed a Medicaſtro quodam auxilium quaerebat, affirmavit hic, radicem praecedentis mali non fuiſſe ſublatam, ſe medicamenta adhibiturum eſſe, quae eam brevi tollerent. Adhibuit itaque medicamenta, (ſine dubio cauſtica *) a quibus parvum tuberculum mox in magnum tumorem et ulcus foetidum mutabatur, quod tandem ita ſe extendebat, ut a ſiniſtro latere primum ad montem veneris, et deinde ad dextrum labrum tranſiret, at brevi tempore magnis cum doloribus horrendoque foetore, totum pudendum exter-

Aaa 2 num

* Medicamenta cauſtica in labris vulvae periculoſa eſſe, notavit quoque Gölicke Hiſtor. Anat. p. 216.

num ad oſſa usque conſumeret, et tandem etiam dolor in internis partibus ſe proderet. Hoc deplorando in ſtatu, multis jam medicamentis ab eodem medicaſtro, et dein aliis chirurgis fruſtra adhibitis, et ego acceſſebar, orae ulceris cancroſi tumidae et valde inflammatae apparebant, ulcusque ipſum ſordidum ac foetidum erat, et teterrimi aſpectus. Verum conclamatum eſſe amicis et marito indicabam, et propterea morbi deſperati curationem (niſi palliativam ad dolores mitigandos) aggredi, monente *Hippocrate* recuſabam. Vixit tamen adhuc, malo indies ingraveſcente, ſummis ſaepe cum cruciatibus, aliisque variis gravibus ſymptomatibus usque ad principium hujus anni in ſtatu miſerrimo, omnibus miſericordiam extorquente, donec tandem mors finem huic malo impoſuerit. Patet ex hac hiſtoria primo, dari etiam cancros uteri externos, et deinde cauſticorum uſum in his partibus laxis et ſpongioſis periculoſum atque ſuſpectum eſſe, prudentiſſimeque cum iis eſſe agendum, ne graviſſima talia mala producant.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Vaginae uteri prolapſu ſingulari poſt partum difficilem.

QUamvis quidem vaginae uteri prolapſus ab Auctoribus ſaepe ſit obſervatus, et a nonnullis quoque delineatus proſtet, placuit tamen ob ſingularem ab aliorum ſcriptorum delineatione ac deſcriptione differentiam etiam illam hic deſcribere, quam nos aliquando vidimus, praeſertim in juniorum Practicorum gratiam, qui alias in diagnoſi et curatione hujus morbi facile falli poſſunt, dum mulierculae atque obſtetrices tales prolapſus ordinario pro uteri ipſius procidentia habent, qui tamen non niſi vaginae prolapſus ſunt, atque ſic niſi circumſpecte agatur, in curatione facile errores magni eique periculoſi committi queunt.

Voca-

Vocabar aliquando ad mulierem, cui poſt partum laborioſum vagina extra pudendum ſive orificium uteri externum tam vehementer protuberabat, ut omnes praeſentes mulieres uterum ipſum extra corpus propendere opinatae eſſent, orificium vaginae tantum connivebat, ut facile adhuc aliquot horis a partu quinque digiti manus in apicem conjuncti immitti potuerint: verum circa hoc orificium vagina uteri inſtar farciminis craſſi in circulum ſive annuli formam complicati, craſſitie trium quaſi digitorum eminebat. Color hujus procidentiae ex nigro fuſcus erat, fere ut partis ſphacelo correptae; ad tactum vero nec mollis erat nec durus, ſed aëre quaſi diſtentus: atque ex his ſignis ac phaenomenis ſatis patebat, hanc procidentiam non uterum ipſum, ſed ſolum vaginam eſſe, quae tamen procidentia ob magnitudinem humorumque in ea ſtagnantium copiam facile in gangraenam, ſphacelum et conſequenter mortem tranſire potuiſſet, niſi quam citiſſime auxilium latum eſſet. Quoniam vero digitorum preſſione ob nimis magnam intumeſcentiam mox reponi ſive repelli non poterat, fomentationes reſolventes ex mentha, matricar. abrotano, ſcordio, malva, fl. verbaſc. et chamomill. in aqua et lacte coctis ordinavi, easque ſaepius calidas iterandas juſſi, ſic pars prolapſa ſenſim detumuit, ut reliquum deinde in locum naturalem recipi potuerit.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Magna excreſcentia ex inteſtino recto feliciter ablata.

Anno 1716. Francofurti, quod ad Moenum ſitum eſt, vocabar ad virum quinquagenario majorem, haemorrhoidibus alias obnoxium, temperamenti ut vocant, melancholici, qui jam a multis annis difficultatem ſingularem in faecibus excernendis perceperat, dum ſemper aliquid praeternaturale ex

ano protrudi ſenſit, quod dolores ipſi inſignes creabat, et quod digitis ſemper poſt excretionem faecum ad inteſtinum rectum repellere cogebatur. Illud vero praeternaturale ſucceſſu temporis majorem in molem accrevit, atque etiam eo ipſo majus incommodum, majoresque dolores noſtro excitaverat. Tandem vero accidit, ut non ſolum in faecum excretione prodiret, ſed etiam inter ambulandum, aliumve motum corporis, imo quando duntaxat aliquandiu erectus ſtaret, prolaberetur: unde ſubinde tantos dolores perpeſſus eſt, ut in animi deliquium incideret. A variis quidem Medicis pariter ac chirurgis conſilium rogavit, ſed prae pudore ocularem inſpectionem admittere noluit, exiſtimans illud, quod excideret, inteſtinum rectum eſſe, atque ſic, dum malum pro inteſtini recti prolapſu habuerunt, talia ipſi ordinata ſunt remedia, quae alias ad inteſtini hujus prolapſum ſanandum proficua ſunt, ſed fruſtra omnia adhibebantur. Tandem vero ipſi perſvaſi, ut ad morbum rite cognoſcendum inſpectionem admitteret, cui etiam mali atrocitate inductus conſenſit, ac ſimul in conſilium adhibuit unum ex chirurgis Francofurtenſium primariis. Parte igitur ex ano propendente rite conſiderata, judicavi facile, eam non eſſe inteſtinum, ſed magnam quandam excreſcentiam carneam ex interiori ſphincteris ani parte enatam, quam vulgo *condyloma* appellant, aut *ficum*, cui ſententiae laudatus chirurgus etiam facile acceſſit: nam ex globoſa ipſius figura patebat, eam non eſſe inteſtinum rectum, atque ex duritie et colore conſtabat, eam non eſſe venam haemorrhoidalem in tantam magnitudinem extenſam, ſicut nonnulli antea ſuſpicabantur; reperimus enim corpus carnoſum, durum et ex rubro fuſcum, magnitudine magnae ficus, ſulcis tamen multis donatum ad ſimilitudinem quorundam boletorum, (quos nos *Morgelen*, et Galli *morilles* appellant,) e dextro ſphincteris latere pronatum, baſi ſive radice pollicem craſſa, parum tamen reliquo corpore tenuiori.

Morbo igitur rite cognito declaravimus aegro, eum non laborare inteſtini prolapſu, ſicut hactenus opinatus erat, ſed

ex-

excreſcentia carnoſa, quae ſine vitae periculo auferri poſſet, atque ablationem ligatura optime hic et tutiſſime fieri poſſe. Hoc audito, aeger deſideravit, ut malum hocce moleſtum, a quo jam tot annos miſere vexatus fuerat, praedicto modo auferremus. Idcirco mox paravimus filum robuſtum duplex cera obductum, aegrumque ita collocavimus, ut transverſim prono corpore lecto incumberet, pedibus in terram demiſſis ac probe divaricatis. Poſtea natibus bene diductis, atque excreſcentia, quantum commode fieri poterat, a chirurgo ex ano educta, filum praeparatum bis terve baſi circumduxi, et tantum conſtrinxi, quantum aeger ſine inſigniori dolore ferre poterat, atque ſic in lectum ipſum dimiſimus. Noctem ſequentem ob dolores, qui tamen non enormes erant, inſomnem transegit; quapropter die ſequenti ipſi emulſionem blande anodynam ordinavi, et ſic altera nocte paulo melius dormivit, tumor auferendus vero altero die eandem adhuc obtinebat faciem, quam priori. Tertio vero die paulo nigreſcere incipiebat, hinc opportunum eſſe judicavimus nova ligatura eum conſtringere, ut ſic eo citius marceſceret et caderet, id quod etiam fecimus, ligatura nova paulo fortius conſtricta, quam antea. Quarto die quia chirurgus ad biduum extra urbem ad alium aegrum fuerat evocatus, noſtrum hunc aegrum ſolus viſitavi, deprehendique excreſcentiam non ſolum nigerrimam, ſed etiam ſphaceloſum foetorem edentem. Quapropter, quia et ipſe aeger hujus moleſti corporis valde erat pertaeſus, ſcalpello illud reſecavi. Aſt reſecto tumore praeter opinionem arteriola e radice ſanguinem cum impetu projiciebat, tumore nondum ſatis emortuo: cui vero nil niſi linteum complicatum impoſui, juſſique ut aeger digitis ſuis illud linteolum aliquamdiu firmiter comprimeret. Quod poſtquam per horam dimidiam feciſſet, ſanguis ſine ullo alio remedio ſubſtitit. Deinde ordinavimus, ut aeger bis terve in die ungv. de ceruſſa partem vulneratam inungeret, quo effecimus, ut intra octiduum ſanitati reſtitutus fuerit.

OBSER-

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Fiſtula lacrymali nova Anelli methodo a nobis ſanata.

EOdem tempore Francofurti ad nobilem mulierem quinquaginta circiter annos natam, una cum Viro Excell. Experientiſſimoque D. D. *Kiſnero*, Phyſico ordinario celeberrimo vocabar, ad morbum quendam oculi inſpiciendum, examinandumque, de quo jam antea praelaudatus D. D. *Kiſnerus*, qui alias ipſius Medicus ordinarius erat, mihi referebat, ſe eum pro fiſtula lacrymali habere. Cum igitur in aedibus aegra conveniebamus, ipſa referebat, ſe a ſex circiter menſibus aliquem moleſtum ſenſum aliquoties in die percepiſſe in angulo oculi dextri majori, et dum eum fricaſſet, purulentam materiam inde effluxiſſe, lacrymasque frequenter inde ex oculo hoc procidere, ſeque malo hoc deformi adeo contriſtari, ut vix amplius audeat in aliorum hominum conſortium venire. Examinavimus deinde et inſpeximus oculum laborantem quam accuratiſſime, et nullum, neque in oculo ipſo, neque in palpebris, neque in caruncula lacrymali conſpeximus vitium, verum locus ſacci lacrymalis inter naſum et angulum paulo tumidior erat, quam ad oculum ſiniſtrum. Hinc ad malum accuratius explorandum manu ſiniſtra palpebras hujus oculi ita diduxi, ut puncta lacrymalia in conſpectum venirent,, rogavique tunc D. D. *Kiſnerum*, ut attente jam ad haec puncta attenderet. Quo facto, indice dextrae manus leniter compreſſi ſaccum lacrymalem, ſic perſpicue vidimus verum pus larga ſatis copia ex utroque puncto lacrymali profluere; quo abſterſo idem aliquoties iteravi eodem ſemper eventu, ita ut laudatus D. D. *Kiſnerus* mecum conſentiret, veram hic adeſſe fiſtulam lacrymalem, praeſertim cum aegra nil in nares influere perciperet. Proponebamus igitur

tur aegrae, de curatione valde ſolicitae, *Anelli* novam methodum, tanquam blandiſſimam et ſecuriſſimam hujus mali ſanandi rationem, (a) cui quidem ab initio ob doloris aliorumque periculorum in organo tam nobili ac tam delicato metum, praeſertim cum alias tenera eſſet, et conſtitutionis valde ſenſilis, ſe ſubmittere haud facilis erat. Cum vero ipſi magnam ſpem facerem, quia malum non adeo erat inveteratum, fore, ut brevi a moleſto hoc malo liberaretur, ſectionem, uſtionem, periculumque hic abeſſe, affirmarem, mihique brevi rurſus hinc Altorfium diſcedendum eſſe, annuit tandem, ſpecillumque huic operationi proprium ſine notabili dolore admiſit. Quo cum omnes ſacci lacrymalis plagas percurrerem, nihil carioſi percepi; hinc tanto major curationis ſpes mihi affulgebat, quia antea nullos tales aegros tractandos habueram, ſed tales duntaxat, qui valde inveteratis et carioſis fiſtulis laborabant. Inflectebam poſtea ſtylum meum verſus canalem naſalem, ibique aliquamdiu aliquod notabile obſtaculum, membranae obtenſae ſimile offendebam, quod ipſius progreſſum ad nares impediebat. Tandem vero paulo fortiori preſſione penetrabat in nares, ita ut partim ex ſenſu aegrae, partim ex longitudine ſpecilli conſtabat. Canali igitur obſtructo reſerato, ſpecillum aliquamdiu usque deque motitavi, donec meatum ſatis liberum perciperem. Poſtea afferri curavi aquam mineralem, quae aeſtatis tempore copioſe Francofurti praeſto eſt, eamque paullo calefactam (extracto prius ſpecillo) ope ſiphunculi mei per punctum lacrymale inferius injiciebam, quam aegra copioſe e naribus in fauces influere percepit. Quod vero ut diſtinctius perciperet, infudi in illam aliquot guttas Eſſentiae cort. aurant. quae forte ad manum erat, atque injectionem iteravi. Eodem vero momento aſſeverebat, os ſibi repleri ſapore eſſentiae cort. aurantior. et liquido injecto; id quod toties contingebat, quoties adhuc poſtea injectionem eodem liquido feceram. Pars tamen liquidi

(a) Quam peculiari diſſertatione Altorfii 1716. deſcripſimus.

injecti ſemper etiam cum pauco pure per punctum lacrymale ſuperius reſiliebat.

Altero die cum ambo rurſus aegram hanc viviſebamus, vix aliquid puris amplius ex ſacco illo lacrymali exprimi aut alias obſervari potuit: et cum ſtylum altera vice immitterem, facillime in nares intrabat, id quod etiam cum injectione contingebat, cui tunc aliquid Elixir. proprietat. ſine acido miſcueramus, quod copioſe rurſus per os rejicit. Tertio die nihil quicquam puris obſervabatur, hinc omiſſa per ſpecillum exploratione, ſolum aliquot injectiones inſtituebam, quae feliciter ſemper in nares et os influebant. Die quarto ſimili modo nil amplius praeternaturale reperiebatur, ſed injectiones iteravi. Quinto die Francofurto mihi rurſus diſcedendum erat Altorfium, quapropter inſtrumenta D. D. *Kiſnero* relinquebam, ut ſi opus eſſet, et forte adhuc aliquid praeternaturale occurreret, ipſe mea methodo ulterius opem ferret. Sed poſt aliquot ſeptimanas per literas me certiorem fecit, aegram perfecte ſanatam eſſe, et nullo amplius remedio aut injectione indiguiſſe, id quod et poſtea ſaepius et nuper adhuc confirmavit, morbumque illum hucusque non rediiſſe, ſed oculum illum optime ſe habere.

Tacere tamen aut diffiteri nolo, ſed ut boni viri eſt, ingenue hic fatebor, me in inveteratis talibus fiſtulis, quarum ſex interea tractandas habui, quarum recentiſſima ultra triennium jam duraverat, et in quibus omnibus oſſa lacrymalia nuda et carioſa deprehendi, hac methodo nullam certam et conſtantem curationem obtinere potuiſſe; et quamvis quidem in omnibus meâtum ad nares reſeraverim, ita ut ſtylus et injectiones, nunc facilius, nunc difficilius, in nares intraverint: imo in nonnullis per tres menſes canalis naſalis ſponte ſine ulteriori ſtyli immiſſione apertus remanſerit, et interea nil puris aut lacrymarum per puncta lacrymalia ſive per ſuperiores aperturas effluxerit, ſed haec omnia ſolum per inferiorem ductus naſalis aperturam, ut in ſanis, in nares intraverint, tandem tamen obſtructio lacrymalis canalis rediit, et ſanatio conſtans a me in in-

veteratis

veteratis talibus fiſtulis Anelli methodo obtineri non potuit, ſic ut eam non in inveteratis et carioſis, ſed ſolum in recentioribus, et ubi caries aut oſſis denudatio abeſt, utilem deprehenderim, ſicuti etiam ab inventore non niſi in talibus caſibus commendata fuit. Interea tamen in laudem hujus methodi et loco refutationis adverſariorum, qui eam adeo periculoſam proclamarunt, affirmare ſanĉteque teſtari poſſum, me ex hac methodo nullam noxam, nullum grave aut novum ſymptoma, quod ante non fuerat, unquam obſervaſſe, et ubi non profuit, ibi etiam eam non nocuiſſe deprehendi, ita ut tuto adhiberi poſſit, nullumque periculum inferat, ſi modo a prudenti manu adminiſtretur. At uſus ejus in recentibus fiſtulis lacrymalibus et aliis, ubi caries abeſt, itemque in oculis lacrymantibus ab obſtructione canalis naſalis oriundis ſanandis, egregius eſſe poteſt, et ſatis laudari nequit, dum hac ratione haec mala mox in principio curari poſſunt, atque ſic impediri, ne ex oculis lacrymantibus fiant fiſtulae, aut ex fiſtulis ſimplicibus metu ſectionis aut uſtionis, aut alius methodi moleſtioris, fiant complicatae cum carie, oſſiumque eroſione; quae poſtea methodos periculoſiores, crudeliores et moleſtiores requirunt, imo ſaepe nullam prorſus curam admittunt, quod prolixius in ſupra nominata diſſertatione noſtra docuimus.

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Membrana Hymene.

Licet multi fuerint, qui membranae Hymenis exiſtentiam negarint in puellis et virginibus, eamque traditionibus et fabulis anilibus annumerandam cenſuerint, multi tamen ex adverſo fuerunt, qui eam non ſolum viderunt, ſed et deſcripſerunt ac delinearunt, ſicuti ex *Graefii* et *Swammerdamii* figuris alio-

aliorumque multorum (a) deſcriptione conſtare poteſt. Quoniam vero nec hodie deſunt, qui hanc membranam adhuc negant, eam non ſolum in uteris conſervatis eadem figura et forma oſtendere poſſum, quali a laudatis modo ſcriptoribus variis ſchematibus delineata eſt, ſed etiam nunc eam ex utero puellae XIII. vel XIV. annos natae, et ſuperiori anno a me publice hic diſſectae, rurſus longe alia ſub forma exhibere poſſum, quam ab aliis delineata eſt; unde cognoſcere licet, unam eandemque partem in diverſis ſubjectis varia ſaepe forma apparere, varioque etiam modo ſe habere poſſe, ita ut propter hanc ſubjectorum diverſitatem figurae auctorum non mox pro falſis habendae ſint, ſi cum ſubjectis, quae prae manibus habemus, non ex amuſſi conveniant. Ita, quod obiter hic noto, recens ſcriptor figuram Cl. *Morgagni,* quam in adverſar. anatom. de lingua dedit, reprehendit, ac ſi ita ſe non haberet, ego tamen certo affirmare poſſum, me in ſanis hominibus morte violenta defunctis eam aliquoties cum *Morgagni* figura convenientem repeririſſe, antequam etiam hujus figuras aut librum viderim. Igitur ut in viam redeam, prolixius non ero negantes hanc membranam verbis refutare, ſed re ipſa, delineatione ſcilicet et deſcriptione hujus membranae, prout eam ex praedicta puella adhuc aſſervo, eos convincere volo

Sit itaque in fig. 5. Tab. VI. pudendum praedictae puellae, labiis vulvae diductis, ut laudata membrana rite in conſpectum prodeat.

AA. Sunt labia pudendi diducta.

B. Mons veneris dictus.

C. Perinaeum ſive interſtitium inter orificium vaginae et anum.

d. clitoris. e. e. duae nymphae.

ffff. Orificium vaginae.

gggg. *Membrana hymen* ſive clauſtrum virginale, non partem

(a) Veſalii, Fallopii, Wierii, Morgagni etc.

partem tantum orificii vaginae, ut a multis deſcribitur, ſed totum vaginae orificium ambiens, et quaſi occludens, ſatis robuſta, quae tamen in medio longum et perpendicularem, ſed anguſtum et inaequalem hiatum habet, ſicuti hic delineatur, ab aliorum obſervationibus longe diverſum: in cujus hiatus parte ſuperiori apertura urethrae conſpicitur, per quam urinam e veſica excernebat. Vix credo aliquem, qui hunc uterum et praecipue hanc membranam rite examinaverit, impoſterum de ejus exiſtentia amplius dubitare poſſe, praeſertim cum tam rarum ſit eam in hac aetate tam perfectam et integram conſpicere, ſicuti hic conſpicitur. In parvis puellis eam ſemper reperi, ſed quo magis adoleſcunt, eo plerumque magis aboletur, et imperfectior conſpici ſolet.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Humore oculi aqueo, utrum ante uveam an poſt illam ſit copioſior.

OCcaſione controverſiae meae de Cataracta cum Pariſienſibus quibusdam, qui inter alia, quae injuſte mihi imputarunt, etiam me erroris accuſare voluerunt, *quod ante uveam plus aut ſaltem non minorem copiam humoris aquei adeſſe ſtatuerim, quam poſt uveam,* atque inde argumentatus fuerim, *ſaepius cataractam ante uveam oriri debere, quam poſt illam, ſi ut veteres voluerunt, a concretione et coagulatione humoris aquei oriretur: quia vero ordinario poſt uveam reperitur, ergo cataractam non ex humore aqueo gigni ſive produci aſſeveravi, illi contra affirmarunt, plus humoris aquei poſt uveam reperiri, quam ante ipſam:* occaſione, inquam, hujus controverſiae hac hyeme denuo accurate in hujus rei inquiſivi veritatem. Et quamvis jam alias tam ex propinquo ſitu et arcta vicinia

uveae cum humore cryſtallino, quam ex multorum oculorum diſſectione, itemque ex oculis olim ſummo frigori expoſitis et perpendiculariter diſſectis veritas mei aſſerti mihi ſatis conſtabat, tamen ut teſtes haberem hujus rei, experimenta denuo inſtituenda duxi, ut inde et major certitudo mihi aliisque tam circa controverſiam de cataracta in genere, quam ſpeciatim circa hanc de humoris aquei copia oriretur.

Quapropter quia in oculis recens diſſectis ob ſubitaneum effluxum humoris aquei et collapſum membranarum, praecipue vero uveae, rite et exacte indicari nequeat, *utrum ante uveam an poſt illam plus humoris aquei exiſtat*, oculos ſumſi, qui cum humanis habent maximam ſimilitudinem (quia frigoris maximi tempore humanos obtinere non poteram) nimirum primo duos porcinos, ex porco recens mactato extractos, eosque mox frigidiſſima tempeſtate, Menſe Januarii libero aëri per diem dimidium et integram noctem expoſui, ſic ſequenti die ad lapideam duritiem gelu indurati erant. Hos oculos tunc ſcalpello acuto medios diſſecui, qui ut coram collegio ſtudioſorum perſpicue demonſtravi, ita ſe exhibuerunt, prout alterum eorum figura 6. Tab. VI. delineavimus. Nimirum oſtendit haec figura duo haemiſphaeria oculi perpendiculariter diſſecti.

a a. eſt cornea.

b b. eſt ſclerotica, cum adhaerente choroidea.

c c. eſt uvea.

d d. eſt ligamentum ciliare dictum.

e e. eſt humor vitreus. f. cryſtallinus.

g. aqueus, in quo uvea ſuſpenditur, et libere in ſanis movetur, a cornea ad cryſtallinum et poſt uveam ſe extendens.

h. nervus opticus.

Hic vero L. B. attendas velim ſpatium inter corneam et uveam minimum quadruplo majus fuiſſe, quam hoc poſt uveam, id eſt inter uveam et cryſtallinum (illud cameram anteriorem humoris

moris aquei appellant, hoc poſteriorem) ideoque et humor aqueus frigore induratus minimum quadruplo copioſius ſe oſtendebat ante uveam, quam poſt illam, ubi vix chartae tenuis craſſitiem habebat, ita ut vix atque ne vix quidem videri potuerit. Hoc experimentum mox ſequenti nocte unus ex auditoribus et diſcipulis meis *Mauchartus* Würtenbergicus, D. *Mauchartti* Medici Marbacenſis in Würtenbergico Ducatu, et Collegii noſtri Natur. Curioſor. collegae celeberrimi, haud degener filius, imitatus eſt in canis oculis, qui quoque humanis ſimiles ſunt, atque altero die invenit hos oculos eodem modo conſtitutos, ut modo de porcinis diximus, niſi quod fere adhuc minus ſpatium inter uveam et cryſtallinum in caninis obſervari potuerit, et uvea penitus cryſtallino accumbere et quaſi adhaerere viſa ſit, ſicut id et mihi et aliis commilitonibus ſuis demonſtravit, quamvis illi oculi omnes fuerint ſaniſſimi et nulla praeternaturalis uveae cum cryſtallino vicinia fingi poſſit.

Igitur ex his experimentis concludo, humorem aqueum non tantum non pauciorem, ſed potius longe copioſiorem eſſe in anteriori camera, id eſt, ante uveam, quam poſt uveam: id quod mihi jam erat demonſtrandum. Exinde etiam explicari dijudicarique poſſe puto varia phaenomena et quaeſtiones, circa quae adverſarii mei a me diſſentiunt, et quorum reſolutionem jam in Apologia mea dedi.

Denique in his oculis frigore conglaciatis nervus opticus h, quaſi ex innumeris fibris conſtaret, ſe conſpiciendum praebuit: id quod in recentibus alias vix obſervatur; ideoque et hoc hic annotandum eſſe duximus, cum ad ſtructuram nervi optici melius intelligendam apprime faciat.

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. Laurentii Heiſteri.

De

Ventriculo enormis magnitudinis.

ANno 1716. in collegio privato anatomico diſſecui canem mediocris magnitudinis, ex genere illorum, qui aedes ruſticorum noſtrorum cuſtodiunt: et cum ventrem aperirem, oſtendit ſe corpus membranaceum, quale nunquam antea vidi, nec ii, qui mecum erant. Nam mox ſub peritonaeo in regione umbilicali, ubi apertura primum fiebat, et ubi alias ordinario inteſtina ſe offerunt, pars veſicae inſtar inflata ſe conſpiciendam praebuit. Quo magis vero abdomen aperirem, eo magis et major illa pars apparebat, ſic ut omnes mecum cupidi eſſent noſſe, quidnam illud eſſet inuſitatum corpus. Aſt abdomine integre aperto, conſpiciebamus ventriculum eſſe, qui a thorace ad hypogaſtrium usque ſe extendebat, ita ut inteſtina vix ſpatium quatuor digitorum circa pelvim occuparent, reliquum totum abdominis, extra coſtas conſpicuum, ventriculus hic replebat. Sed nec vacuum erat monſtrum hoc ventriculi, verum alimentis repletiſſimum et tympani inſtar tenſum atque expanſum. Poſtquam vero contenta evacuavimus, placuit menſurare hunc ventriculum, et ecce ſedecim libras aquae ſive octo menſuras Norimbergenſes facile admiſit, ſicut hoc experimentum praeſentibus multis ſtudioſis peractum eſt. Vtrum major an ſimilis ventriculus in tam parvo animali unquam repertus ſit, profecto nunquam legi, neque fando unquam percepi: atque in rei memoriam adhuc hodie hunc ventriculum inflatum et exſiccatum in muſeo meo aſſervo.

(*Altorfio Noriberg. d. 10. Maj. An. 1718. miſſae.*)

OBSER-

Tab VII p. 385


ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΕ
ΑΙΤΩΛΩΝ
Quadruſſis
Quadra
Sinenſis

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. Michaëlis Friderici Lochneri,

Ad Virum Illuſtr. et Excellentiſſimum

Dn. ANDREAM FACKHIVM,

Caeſar. Archiatror. Comitem,

De

Lapide Quadra Sinenſi.

CUm ingenuum ſit profiteri, per quem profeceris, ingenui expers eſſem pudoris, niſi huic diſſertatiunculae, levidenſi equidem, Tuum, VIR ILLVSTR. et EXCELLENTISSIME, MAXIMI IMPERATORIS, INDVLGENTISSIMI PRINCIPIS, Archiatrorum Comes ſplendidiſſime, praefigerem Nomen, qui primam hujus, quem deſcribere conatus ſum, lapidis notitiam dediſti. In illa enim expeditione Hiſpanica, qua

Comes additus ibas,

Corporis AVGVSTI ſervator, et axe ſub illa
Vtilis haud raro monitor cuſtosque ſalutis,

TIBI a calculi diris doloribus excruciato, irritis omnibus aliis remediis, incantamenti inſtar *quadrae* infuſum levamen attuliſſe, gratioſe mihi retuliſti. A laudatiſſimo Archiatro laudatum mihi remedium firmiter animo inhaeſit, nec deſtiti, quae a tempore illo, quo primam in *Parreira brava* mea ὡς ἐν παρόδῳ mentionem injeceram, lecta collectaque ſunt, has in plagulas conjicere eum in finem, ut ex illuſtri Nomine tuo opellae tenuitati praeſidium, mihi ipſi autem ulterioris porro favoris et benevolentiae expeterem perennitatem.

LApidem a figura in dicto Schediaſmate pronuntiavi quadratum, quem exacte, mole excepta, refert, quale lapi-

dum genus in ſacris literis et quidem in Threnis Jerem. per vocem *Abne Gazith* exprimitur. Graeci nominant σύνομον λίθον. Heſychius: σύννομα, σύνδρομα, ἰσόδρομα. *Quadrataria* dicitur lapidicina, equa lapides quadrati eruuntur. *Quadratarii* autem ſunt, quos Graeci λιθοθήκτας nominant, ut eſt *Leg.* 1. *Cod. de excuſ. opific.* Lapidicidae. Quadratariorum mentio fit apud Sidon. L. 3. c. 12. apud Caſſiodor. in Pſalm. 125. Saxorum quadratarii. Gloſſae veteres: ψάκτης, *quadratarius.*

Melius tamen Hiſpanicum nomen *quadrae* retinetur: nec enim ulla linguarum illarum, quas peperit latina mater, uberiore gaudet largiorique haereditate, quam Hiſpanica, inprimis dialectus Caſtellana, qua quicquid aeternitatem meretur, quicquid memoria dignum, hodie conſcribitur. Ea enim proxime ad latinam accedit, et doctiſſimus Merula in Hiſpan. deſcript. cap. VIII. viros ſe noviſſe refert eruditos, qui ut quam prope abeſſet a matre ſua haec propago, qualisque ante foediorem fuerit depravationem, monſtrarent, dexteritate quadam ſcriptis epiſtolis et Latine et Hiſpanice loquerentur, eademque animi ſenſa explicarent, ita ut Latinis Latini, Hiſpanis Hiſpani eſſent, ſervata paſſim utriusque linguae vi, natura et proprietate; quale exemplum longiori recenſione propoſuit modo laudatus Paulus G. F. P. N. Merula. Hiſpanica itaque vox *quadra,* qua lapis noſter inſignitur, optimae quoque in Latio notae, diverſae licet ſignificationis. *Quadra* enim, e doctiſſimi Voſſii mente, a *quatuor* converſo tenui T in D, derivatur. Itaque nunc, quod eſt quadratum, ſignificat. In Philoxeni Gloſſis Quadra, τόπος, recte τόμος emendavit Scaliger: inque iisdem, ubi eſt quadra, βρόμος, recte corrigunt βλωμός. Non aegre feres, VIR SVMME, ſi aliquantulum extra limites lapidis noſtri exſpatiando, ex elegantiori literatura, quae Medicinam noſtram politiorem reddit, ad illuſtrandum, quomodo quadrae huic noſtrae conveniat denominatio, producam. Nolo altius inquirere in Architectonicorum de *quadra* ſenſum, de his enim fuſe Vitruvii Commentatores, Baldus, Philander et Barbarus conſulendi, quorum ſententias in Lexico de ſignificatione vocabulorum

lorum Vitruvianorum congeſſit ſolertiſſimus Joh. de Laët, Antwerpiae ſuae literatae haud exiguum decus. Nec inſueta Virgilio vocula, dum AEneid. Libr. VII. v. 115. canit:

Patulis nec parcere quadris.

Clar. Emmeneſſius ad hunc commentatur locum: *Quadram proprie ad inſtrumentum menſarum pertinere, cui cibus inciſus ac ſciſſus imponitur*, ut ejusdem Poëtae Libr. V. v. 125.

Acciſis cogit dapibus conſumere menſas.

Menſas autem factas fuiſſe, ſecundum Didymum, ἐκ τοῦ σκληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων, *e durioribus panibus compactum fruſtum.* Hinc iterum Virgilius l. c.

Heu etiam menſas conſumſimus, inquit Julus.

Pertinet huc Juvenalis locus Satyr. V.

Vt bona ſumma putes, aliena vivere quadra.

Lubinus explicat de pane in quadram ſciſſo, ſupra quem carnes et alia obſonia incidebant, quales panes in Saxonia inferiori die Allmoſen nominare ſolent, eo quod pauperibus Eleemoſynae loco dari conſueverint. Et quadram pro fruſto quadrato ſumi, e Martiali diſcimus Lib. VI. Epigr. 75.

Quum mittis turdumque mihi, quadramve placentae,
Buccellas miſiſſe tuas te, Pontice, dicit.

Et Libr. III. Epigr. 77.

Nec te liba juvant, nec ſectae quadra placentae.

Add. Libr. IX. Epigr. 92.

Quadra igitur fruſtum placentae quadratum; panes praeterea quadrati Romanorum apud Athenaeum L. XIII. Horatius probat unicuique datam quadram Libr. I. Epiſt. XIII.

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Senec. de Benefic. *Quis beneficium dixit*, quadram panis *aut ſtipem aeris abjecti, aut ignis accendendi factam poteſtatem.* Et caſeos in quadram diviſos exhibet Bilbilitanus Vates Libr. XII. ad Vacerram Epigr. 32. *Nec quadra deerat caſei Tholoſatis.*

Apud Scriptores Eccleſiae Romanae de quadra panis ſumitur, Joh. Laudenſ. in Vit. Petr. Damiani: *Sola panis quadra cum*

crudis oleribus coenanti apponitur. Hinc per quadras panes partiri apud Gregor. M. Libr. I. Dial. c. 11.

Panes pariter Graecorum euchariſtici, quas ἁγίας μερίδας nominant, Δίσκῳ ἁγίῳ impoſiti. In ritu ſacro ἀρτοκλασίας Graecorum, exiſtunt quadrae e majori quadrata hoſtia deciſae, de quibus paſſim in Graecorum liturgiis. In lingua hodierna Graecorum aliquibus in locis portiuncula talis κόδρα. Gloſſae Graeco Latinae: Κόδρα, *Codra, quadra.* Item: τετράγωνος, *quadra, quadrus, quadratus.* Suidas: κοδρίτης ἄρτος, ſive ἄρτος τετράγωνος, panis quadratus.

Baldus tamen in Lexico Vitruviano jam citatus quadras interpretatur non panis vel caſei fruſta quadrata, ſed quod ſimiles ſint quadris, quibus vel ſtanneis vel argenteis aut etiam ligneis in menſis ad carnes ſcindendas uti conſuevimus; quadra enim forma antiquis fiebant, hodie vero ut plurimum rotunda, unde *taglieri* Italis; cui conſonum Germanicum Teller. Plurimi tamen quadram non inſtrumentum menſae, ſed menſam ipſam dictam voluere, quae olim quadratae, et quatuor pedibus, hinc τετραπόδια nominatae, poſtea rotundae factae; id quod ex Feſto et Varrone probat Ciaconius de Triclinio paſſim. Nec tamen abſonum erit ſtatuere, appellari pariter menſas appoſitas. Pollux: Ἔξεστι δὲ τὴν τράπεζαν, ἐφ᾽ ἧ τὰ ἐκπώματα κατάκειται, τετράπουν τε τράπεζαν εἰπεῖν καὶ μονόπουν, *licet autem menſam, cui pocula impoſita ſunt, quadrupedem menſam appellare et unipedem.* Et Virgil. Aeneid. Libr. I. cecinit:

Poſtquam prima quies epulis menſaeque remotae.

Quippe menſae ipſae non remotae fuerant, ſed epulae illis appoſitae. Verum quadrae hae omnes nil quadrant ad quadram, de qua nobis ſermo; veluti et *quadra veſtis*, τετράγωνα ἱμάτια a rotundis diverſa. Quadrae hae veſtes a ſummo ad imum apertae, unde quatuor angulos habuiſſe neceſſe eſt, in imo duos, totidemque in ſummo, quadrangulae appellatae. Tale Graecorum pallium, et pallia fere omnia muliebria. Feſtus: *Ricinium, pallium muliebre quadratum.* Pallam quoque pallium Graecorum interpretantur Grammatici. Saga item militaria et ſaga

Gallica

Gallica et paludamenta imperatorum. Sic Ammonius chlaenam pariter quadrangulam veſtem pronuntiavit; de quibus uberior ſcribendi occaſio in Telesphoro noſtro. A veſte quadra, quadrapola veſtis paſſim apud Anaſtaſium in vitis Pontif. quarum anguli, teſte Clar. Bulengero, auro texti aut ſerico, vel tubulis auro clavatis. Sed de his veſtibus in omnis eruditionis abyſſo Salmaſio Not. in Tertullian. de Pallio. Quadra ſive pileus quadratus Deorum pariter eſt ornamentum. Sic in Aetolorum Nummo *Apollo* ex mente Cl. Begeri in Obſerv. et conjectur. ad Numiſm. quaedam antiqu. p. 1. vel ſecundum Nonnium Not. in Golzium, *Mercurius*, quadra in capite ornatus; qui pariter hoc capitis tegmine conſpicitur in vaſe ingenti marmoreo Cajetae urbe regni Neapolitani maritima ejusque aede maxima reperiundo; quod poſt Hondium in Deſcript. Italiae, curioſorum oculis expoſuit diligentiſſimus Sponius in miſcell. erudit. Antiquit. Sect. II. Art. I. p. m. 25. Exhibuit hoc in vaſe Athenienſis ſculptor Salpion, uti nomen inſculptum indicat, natalitia Bacchi, ubi Bacchus tanquam infans a Mercurio quadra in capite Leucotheae materterae educandus offertur. Ut merito ob hanc quoque tegminis rationem τετράγωνος Ἑρμῆς vocetur; quamvis probe norim, hunc diſciplinarum coeleſtium, atque etiam eloquentiae et veritatis praeſidem, ſecundum Manil. Aſtron. L. 1. cubicum et quadratum effingi.

Apud Medos olim, Perſas et Armenos, quadra capitis praecipuum ornamentum. De Sinenſium pileorum quadris ἀθανάσιος Kircherus in China. Quadram viris pariter dignitate conſpicuis et virtute eminentibus olim fuiſſe impoſitam, ex antiquitate eccleſiaſtica palam eſt. Methodius de Virginit. actione vitae et conſilio τετραγώνες, quadratos dixit, viros perfectae virtutis. Nec aliter Chriſtianum perfectum quadratum eſſe oportere, S. Gregorius tradit Homil. 21. in Ezech. quippe quadram, ut ſymbolum immobilitatis et ſtabilitatis, conſiderat Hipponenſium devotiſſimus Antiſtes. Hic dicendi locus eſſet, quid proprie per ξύλα τετράγωνα denotetur, ligna nempe *Go-*

pher, ex quibus arcam fabricare juſſus fuit Noah, quae ξύλα τετράγωνα e verſione LXX. Interpretum a Cl. Bocharto pro cupreſſinis, a doctiſſimo Voſſio pro reſiniferis lignis habentur. In ſenſum myſticum has quadras ligneas trahit et in ſapientes Chriſtianos accommodat Origen. Homil. in Geneſ. et qui eum expreſſit S. Ambroſius Libr. de Noa et Arca c. 6. nec non S. Gregorius, cui Nyſſa cognomen tribuit, Libr. de Vit. Moyſ. In pictura certe Lateranenſi Conſtantini Magni IV. virtutum diſtincte exhibitarum tetractys, capiti ejus imminens expreſſa eſt quadra juſſu Leonis III. Vid. Ciampinus de Monument. vet. muſiv. T. II. c. XXI. p. 128. Tab. XL. Hinc clericorum quadrae ſive pilei ad crucis expreſſionem formati, de quibus paſſim Solerius de Pileo. De Doctorum quadris Pancirollus, eruditiſſimus Legum interpres, Var. Lect. Jur. libr. I. cap. 23.

Quadra pariter monetae genus. Haytho Armenus in Cathaja tale eſſe ſcripſit, teſte Pl. Rev. Müllero Griffenhagienſi, Berolinenſi Praepoſito, Diſſ. de Cathay. Nec inſolitae hodie quadrae Hiſpanorum aureae; ſeptentrionalium aereae; nec deſunt apud nos Germanos quadrae, Klippen dictae, quarum eruditam Coburgi molitur collectionem Cl. Winheimius.

Revocant hae quadrae in memoriam, nummum angularem Suetonii in Neron. certe tetragonum fuiſſe, et quadram credit modo laudatus Panciroll. l. c. p. 137. et 201. Ab eo autem, itemque a quadrante aſſis ſextantalis et a numis quadrigatis, differt *quadruſſis*, quatuor aſſium pondus, cui ex utraque parte bos impreſſus. Vnde, ſecundum Plinium, pecuniae nomen eſt. Quadruſſem exhibet R. P. Molinetus dans le Cabinet de la Bibliotheque de S. Genevieve, P. I. p. 47. Ceterum et inter miſſilia, quae conſulibus ſpargere permiſit Juſtinianus Nov. 105. c. 2. §. 3. erant *monetae Caucii, et quadratae*; de quibus disquirit eruditiſſimus du Fresne in diſſert. de Imperatorum Conſt. Numismatibus no. 98. Sed haec omnia remota ſunt noſtra a quadra, quam tractamus.

Propius ad quadram lapidem, quando in Gloſſariis *quadra* per teſſeram exponitur, ſed non adjungitur qualis; plurima enim

enim teſſerarum genera, quorum decem pene recenſet Reverendiſſ. Thomaſinus de Teſſer. Hoſpital. *Frumentaria* nempe, *nummaria*, *militaris*, *hoſpitalis*, *comitialis*, *theatralis*, *convivalis*, *paganica*, et tandem *luſoria*, quibus eruditiſſimus Danorum Ol. Wormius in Monum. Danic. p. 22. accenſet *amatoriam*.

Ex his *luſoriae* erant, in quibus numeri deſcribebantur, *tali* pariter dicti, teſte Pl. Rev. del Rio Comment. in Senec. Herc. furent. cui tamen Excell. Gronovius parens repugnat, et ex antiquitate demonſtrat, teſſeras a talis fuiſſe diverſas, quippe talorum major numerus; in teſtimonii partem adducit illud Martialis Libr. IV. Epigr. XV.

Non ſum talorum numero par teſſera.

Talis enim quatuor ludebatur, teſſeris communiter duabus ad ſummum tribus. Producimus iterum Martialem Libr. XIV Epigr. 15.

Hic mihi bis ſeno *numeratur teſſera puncto*,
calculis hic gemini diſcolor hoſte perit.

Teſſerae nempe binae habebant duodecim puncta, ſi exiſtant duo ſeniones, in quibus per teſſeras numeratur usque ad XII. puncta. Videtur tamen ſenio junctus fuiſſe, dictus alias *Baſilius*, item *Venus*; cui opponebatur *canicula*. Lucem his dat obſcuritate alias celeberrimus vates Perſius Sat. III.

Quid dexter ſenio ferret
Scire erat in votis, dammnoſa canicula quantum
Cederet.

Eundem ſenionem *Midam* vocari Suidas teſtis eſt: Μίδας, ὁ ἐν κυβεῖσιν εὐβουλότατος: *Midas in teſſeris conſultor optimus.*

Nec materia teſſerae a quadra lapide differunt; quamvis enim ſecundum Plinium Hiſt. Nat. lib. 16. c. 18. *liguſtrum materia teſſerarum*, ſive *ebur*, de quibus Ovidius:

Seu ludet numerosque manu jactabit eburnos:
Tu male jactato, tu bene jacta dato.

Vel *cryſtallus*, quarum mentio ſit apud Petronium Satyr. cap. 33. p. 129.

p. 129. edit. Burmann. *Sequebatur puer cum tabula terebinthina et cryſtallinis teſſeris.* Vtplurimum tamen e lapide ſecto noſtro lapidi perſimiles. Redeunt hac occaſione in mentem teſſerae illae Badenſes luſoriae Helveticae, a quadra lapide non multum magnitudine aliisque circumſtantiis diſtantes, differentes tamen numeris ſive punctis impreſſis. Meminit jam eorum Betulius noſter a Birken vulgo dictus, Florigerae ad Pegneſum Societatis digniſſimus Praeſes, in Vlyſſe Brandenburgico c. 2. p. 43. immortalis pariter nominis Theologus Hotting. ſpec. Tigur. p. 548. imprimis in Helvet. curioſ. natural. Hiſtor. Sect. VI. Artic. III. n. 5. p. 329. Tigurinorum Bibliothecarius et Poliater Wagnerus; cui ſunt *lapilli cubici parvi, numeris ſuis exacte diſtincti, circa Baden oppidum in pratis, (inde* Würffelwieſen dicti*) ac foſſis maeniorum reperti, nonnunquam a talpis e terra extruſi. Mirum ſane naturae, hae quadrae luſoriae Badenſes exiſterent miraculum, ſi artem auxiliatricem non habuiſſent, ſoliusque naturae ſuboles fuerint, quamvis et haec polydaedalus artifex, ubique mirabilis, ubique excipienda in magnis et vilibus. Oedipus is mihi erit, qui harum protulerit cauſas.* Haec Cl. Wagnerus. Excell. Dn. Scheuchzer, Geſnerus certe Helvetiae ſuae redivivus, amicorum certiſſimus, in novis Helveticis vernacula ſcriptis, et inſcriptis Natur-Geſchicht des Schweitzerlands zweyter Theil n. 39. et 40. invictis argumentis non naturae, ſed artis opus eſſe probat, quod Illuſtr. Rajo pariter ſuboluit, qui Badenam Helvetiorum tranſiens, monſtrantibus illi has luſorias quadras reſpondit: non diffiteri quidem e terra erutas fuiſſe; ſed et hoc certiſſime credere, in terram illic prius depoſitas fuiſſe. Vid. ejus Topographic. Obſerv. p. 101.

Sed quid haec omnia de Teſſeris ad lapidem Quadram, inquies? utique. Quadra enim in veteri Gloſſario κύβος. Κύβος autem, nos hoc docente et explanante Aulo Gellio Noct. Attic. L. I. c. 20. *figura ex omni latere quadrata, quales ſunt, inquit M. Varro, teſſerae, quibus in alveolo luditur, ex quo ipſae quoque appellatae* κύβος. *In numeris etiam ſimiliter* κύβος *dicitur, quum omne*

latus ejusdem numeri aequaliter in ſeſe ſolvitur. Haec Agellius, qui teſſeras ſive cubos a cubo denominari ſcribit. Alii teſſerarum figuram, qui cubi appellantur, cubo nomen dediſſe, exiſtimant. Reverendiſſ. Thomaſinus tamen in eo eſt, ut demonſtret, κύβον non teſſeram luſoriam, ſed militarem denotare ex omnibus partibus confectam, et praeceptum notare ducis, quo exercitus vel ad aliquod opus, vel ad bellum movebatur. Vnde Vegetio auctore *Teſſerarii*, qui has teſſeras per contubernia militum nunciabant. Ita Servius ad VII. Aen. *it bello teſſera ſignum*; ſymbolum bellicum, quod ad pugnas exeuntibus datur confuſionis evitandae cauſa. Eamque Vegetius duplicem facit, *vocalem* et *mutam*. Vocalis ea eſt, quam hodie circitores flagitant; Gallis *la parole*, nobis das Wort. Magis tamen arridet κύβον notare teſſeram luſoriam. Quadra igitur lapis pariter Sinenſis, ut poſt longiuſculam aberrationem in viam redeamus, ad cubum ſive κύβον pertinet, convenit enim illi definitio cubi Vitruviani, quam nobis ſuppeditat in praefat. Libr. V. de Architect. p. 78. Edition. de Laët. *Cubus eſt corpus ex ſex lateribus aequali latitudine planitierum quadratum. Is cum eſt jactus, quam in partem incubuit, dum eſt intactus, immotam habet ſtabilitatem.* Eadem de cubo ſententia *Timaei Locrenſis* Libr. de *Anim. Mundi*, ἐκ δὲ τῶ τετραγώνω γεννᾶσθαι τὸν κύβον ἑδραιότατον, καὶ ςαδαῖον πάντῃ σῶμα. ἓξ μὲν πλευρὰς, ὀκτὼ δὲ γωνίας ἔχον. *Ex tetragono naſci cubum, ſolidiſſimum et ſtabile omnino corpus, ſex quidem latera, octo vero angulos habens.* Dantur tamen praeter quadram Sinenſem et alii cubici metallici lapides. Sic pyritem Hirslandenſem ſive quadras aureas, würflichten Goldkieß von Hirßlanden/ marmori nigro elegantiſſimo inſperſas annotavit jam laudatus Excell. Scheuchzerus nov. natural. Helvet. T. II. n. 10. p. 39. Similes his Hirslandenſibus primo milliari a Pienza agro Senenſi reperit maximus rerum naturalium promus condus Aldrovandus Muſ. metall. Libr. IV. p. 574. dum ſcribit: Multi pyrites ſunt figurae teſſerae ſive cubi, ſex planis ſuperficiebus aequalibus et inaequalibus ſplendore argenti et magnitudine varia. Ve-

rum figurae quadratae hujus lapidis ſunt vel majores vel minores, ita eleganter a natura factae et formatae, ut ex orichalco fabricatae eſſe videantur. Quapropter quando Feſtus Pompejus ſcripſit: *Aurichalcum in montibus naſci*, procul dubio non eſt locutus de aurichalco arte parato, quod ex aere et cadmia conficitur, ſed fortaſſis hunc pyritem intellexit, qui aurichalcum perbelle aemulatur.

Licet autem figura, et moles, et ſtructura externa harum teſſerarum ſive cuborum, quos Aldrovandus delineatos dedit, optime noſtrae quadrae Sinenſi conveniant, colore tamen, natali ſolo, imprimis autem virtutibus maxime differt, de quibus nunc, his praemiſſis, pluribus agendum et hoc ipſo, ut in proverbio eſt: ἐῤῥίφθω κύβος, jacta quadra eſt.

Patria ipſi attribuitur Sina vel China, vaſtiſſimum illud regnorum regnum, toti propemodum Europae par, ut R. P. Martino Martinio placuit, e quo primam hanc de quadra obtinuimus notitiam a laudatiſſima ſocietate Patrum a nomine Jeſu denominatorum, quorum indefeſſo ſtudio plurima in hiſtoria naturali ignorantiae peplo involuta, nobis innotuere. Quae autem vaſti hujus imperii provincia illam proprie proferat, ignotum adhuc; an ex monte Gueryu ſub Taichen in Chekiang, in quo omnes lapides tam parvi quam magni figurae ſunt quadratae, determinare non licet. Quos quadratos Sinenſis haec provincia ſubminiſtrat lapides, hos Inſula Anholtina in Sinu Codano multorum naufragiis infamis, mittit nigros, albos, varios, omnes triquetros ac ſi manu artificis fuiſſent acuminati, et lateribus plerumque in illam aciem excitati, ut Joſuae ſervire potuerint cultris ſaxeis filiorum Iſrael circumciſionem imperanti, ceu ſcribit Cl. Borrichius Actor. Hafn. Volum. IV. Obſ. 73. Nobiliſſimus Dn. Faber e Cochinchina in Chinam deferri retulit. Vocatur autem Chinenſi lingua *Candar*, a Tartaris albis *Calu*.

E mineris erui referunt illi, qui in Europam noſtram detulerant, ſed quod dolendum, non deſignant, quibus e mineris. Commune hoc habet Sinenſis quadra ſmaragdo occidentali, ut quadrangula

forma ſe prodat; imo dantur quoque granati immaturi quadrae ſimillimi, qui Oberndorffii prope Hartenſtein in Saxonicis fodinis argentiferis eruuntur, quorum copiam mihi fecit amiciſſimus Dietericus. Auri feraces hos eſſe granatos quadratos ferunt, nec tamen inde certum adhuc capere licuit experimentum.

Licet autem quadrata, non tamen pelluciditatem et pulchritudinem ſmaragdorum granatorumque adaequat, quippe

Ferreus, obſcurus, vilis, non ille repexa
Caeſariem regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec inſigni ſplendet per cingula morſu.

Si tamen virtutes qualitatesque ipſi attributas ponderes, gemmarum ſplendorem, coruſcantemque pompam longiſſime ſuperat quadra.

Ad colorem quod attinet, ferrea martis forma nitet ſubrufo colore, mixta armatura aeris chalybisque, nec non ſtriis gialibus nonnunquam interdiſtinctis, quod haematiti, quadrae affini quodammodo lapidi, non inſvetum. Anguli undique acutiſſimi κύβον exactiſſime delineant. Structura ejus firma arcte conſolidata, ut vix limam admittat, inferior tamen Sinenſi lapidi in vicinia urbis Nanhiung reperiundo, tantae duritiei, ut ex eo ſecures cultellosque ſaxeos conficiant, teſte M. Martinio. Quale tamen vinculum aut gluten ſit illud internum, interveniente quo particulae duriores quadrae cohaereant, excogitari adhuc non poteſt aliud, niſi duo potiſſimum ad conciliandam firmitatem et duritiem concipiamus, externam nimirum ambientis materiae aethereae preſſionem, et illarum particularum integrantium planarum politarumque figuram, quae ad mutuam coaptationem et ſuperficierum ſuperficiebus applicationem, ſit accommodata, ideoque eo duriora ea corpora, quo pluribus in punctis ipſorum particulae ſeſe contingunt, id quod pluribus, experimento duorum planorum valide cohaerentium demonſtravit Mathematicorum Germanorum ſeculi noſtri princeps Beat. Sturmius noſter in Colleg. Curioſi Experimental. Auctar. p.49. Dubium ab amico motum, annon quadra ex hactenus alla-

 tis

tis qualitatibus metallorum potius quam lapidum inſerenda claſſi? aſt cum liquabilitas videatur proprietas neceſſaria, requiſita (e mente acutiſſimi Fr. Lanae Magiſt. Natur. et Art. T. III. Libr. XXIII. cap. V. p. 352. b.) ad conſtitutionem naturae metallicae, quadra nullo modo fuſionem in igne admittit, nec ſubſtantia ulla ex eo elicitur, quae metallorum more igne liquari poteſt. Et pondus quoque quadram a metallo diſcriminat et diſcernit.

Nec ſi cum aliis lapidibus eadem quantitate et mole ad lancem examinetur, quod in aliis metallicis fieri conſuevit, pondere excedit, ſed licet durior compactiorque aliis, levior tamen; quod ipſi pariter cum ferro commune; hoc duriſſimum licet, minime tamen graviſſimum eſt, cujus elegantiſſimam rationem ſuppeditat Excell. Zanichelli in Tr. de Ferro ejusque nivis praeparatione. Verba ejus ipſa produco, cum non in omnium manibus ſit eruditiſſima diſſertatio, et plurimum inde lucis quadrae noſtrae ſtructurae accedat. *Cum ferri*, ſcribit, *duritiem in partium juxta poſitione ſitam eſſe ſtatuerim, hinc procul dubio colligendum eſſe videtur, duriora corpora reliquis quoque denſiora eſſe debere, quod tamen eorum gravitas ad lancem revocata falſum eſſe omnino oſtendit.* „Celeberrimus etenim Montanarius, ne a ferro, quod prae manibus habeo, diſcedam, multiplici experimento ſibi compertum fuiſſe teſtatur, ignitum chalybem, dum „frigida extinguitur, rareſcere, et ſpecie, ut ajunt, leviorem evadere, licet hinc maximam ſibi duritiem comparet. Quamobrem ut enodetur difficultas, curioſius inſpicienda eſt intima „particularum diſpoſitio.

„Id itaque pro rato habendum, denſiora eſſe mixta, quo „plurimis in punctis eorum inſenſiles moleculae ſeſe contingunt; „ad quod apprime facere videtur particularum earundem aequalitas, laevitas et figurarum ſimilitudo. Verum haec eadem particularum homogeneitas et laevitas efficere poteſt, ut „una ſuper alteram haud aegre excurrere poſſit, quoties ab externa vi validius comprimantur; unde auri aliorumque metallorum ferro graviorum adeoque denſiorum ductilitatem „oriri nullatenus ambigendum.

„Quod

„Quod ſi heterogeneae fuerint intregantes moleculae, cu-
„jusmodi partibus ferrum ſcatere facile ex dictis patet, quan-
„quam earum inaequalitas plura admittit inania ſpatiola et
„contactuum numerum imminuit, prohibendo tamen a-
„liarum ſuper alias excurſum, majorem corpori conciliat ad-
„verſus externos ictus reſiſtentiam, atque hoc nomine ferrum
„duritie, minime denſitate, praeſtare crediderim, quod pariter in
„chalybe ignito locum habere facile unusquisque intelliget.
Haec Cl. Zanichellus.

Ferreas tamen quadrae ineſſe particulas ex hoc probatur, quod pulviſculus ſumma vi deraſus, ferreo, ſi humectetur, colore tingat, cognationem hoc ipſo cum metallo indicans. Magnes huic admotus pulviſculo, illum ducit, ut huic quadrae pulveri illud Claudiani de ſcobe ferri applicari poſſit:

Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
Veſcitur, has dulces epulas, haec pabula novit.

Hinc Indis *Siderolithos Magneticus*, Germanice Magnetiſcher Eiſen-Stein dicitur.

Hae recenſitae hactenus recenſendaeque qualitates quadram e mineris vel ferri vel magnetis erui arguunt: e Gilberti enim, qui magnetis naturam inter primos, erroribus putidis rejectis, ſcrutatus eſt, nulla ferri fodina absque magnete, et vice verſa nulla magneti fodina ſine ferro. Harum autem in Sina plurimae. Vt e pluribus pauculas enumeremus: In provincia Honan ſub Changte urbe circa Çu civitate mons eſt reliquis, licet non magnis, major, Magnes a magnete, qui ibi effoditur, dictus: Atlant. Sinic. Provinc. V. p. 61. a. Per totam provinciam Suchven magnes praeclarus repertu datur. In eadem provincia circa Kienchang mons Tiexe eſt, e cujus lapidibus igne liquatis deſtillat ferrum, quod ad acinaces gladiosque conficiendos aptiſſimum, Atlante Sinic. Mart. Martin. p. 73. b.

E talibus fodinis mineriſque quadram erui haud abſonum, ſicuti et credibile, aliquid lapidem noſtrum participare ab iisdem. Nec quem deterreat, quod modo recenſuimus, pulverem qua-

drae ad magnetem accedere; non enim hoc inſolitum et Aethiopici magnetis proprium eſſe veteres tradidere, magnetem pariter trahi a magnete. Nec ratio deeſt, ſi magnes, quippe qui multum adhuc in ſe ferrum habeat, facile duci poteſt ab alio. Verum ſic non magnetis, ſed ferri attrahitur ratione. Magnetem autem teneri illecebris magnetis, ſequenti probare nituntur argumento: Magnetis in mortario contuſi pulvis ad magnetem admotus, accedit, manifeſto documento, veriſſimum eſſe illud Poëtae:

Et lapides ſuus ardor agit, magnesque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammae.

Sed quod adhuc magis mireris, magnetis minor particula, ſi bonae fuerit notae, a magnete majori itidem bonae notae convenientibus polis conjunctis allicitur, quo ipſo evincitur, magnetem a magnete trahi. Adde Revend. P. Lanae experimentum: Si loco ferrae ſcobis adhibeatur pulvis magnetis contriti in duabus extremitatibus, in polis videlicet, inſtar climatura martis adhaerebit magneti proprius pulvis. Nullam igitur involvit contradictionem, in quadra ferri magnetisque mixturam exiſtere, nec magneticas in illa particulas inde deſtrui, quod pulvis ejus magneti obviam eat. Haec magnetica quadrae proſapia ad Amphitanen Plinii et Pantarben nos ducit, Prioris natura eadem, quae magnetis, figurae aeque ac noſtrae quadrae quadratae, cujus in India pariter natales conſtituuntur. Apte haec omnia in Sinenſem, de qua agimus; quae tamen proxime ſequuntur, fidem adeo ſuperant, ut pro fictitio ſemper habitus ſit. Nempe his in Indiae oris illum repertu dari, ubi formicae aurum eruunt, et non ferro, ſed auro ad ſe acceſſum parare, unde aurei magnetis ipſi nomen. Quamvis quod ad ultimum attinet, doctiſſimus Juvenis *Joh. Jacobus Spener*, in ipſo aetatis flore, non exiguo hiſtoriae naturalis, quam obnixe indefeſſoque ſtudio amaverat, detrimento defunctus, *in diſſ. de Error. varior. circa Magnet. ſect.* 2. *n.* 12. modum proponat rationemque ſubjungat, quomodo id, quod impoſſibile reſpectu acceſſus auri ad magnetem crederetur, peragi poſſit: Magnes, inquit, attrahere poteſt alia metalla, ſi nempe includatur ferrum.

rum. Hac ratione fieri poteſt, ut acus aurea, quae in meditullio ferrum continet, a magnete attrahatur, atque ipſa ad polos mundi ſe convertat; ſiquidem hoc modo ferreas laminas ſtanno obductas attrahit magnes, poſſuntque multa ludicra hac ratione produci, imperitoque fallaciae ſpectatori perſuaderi, dari fictitiam illam auri Amphitanen nempe et Pantarben, vel aliorum metallorum magnetem. De Pantarbe lapide magnitudine unguis digiti, in concavis terrae prognati, alios lapides ad ſe allicientis, et a Brachmanis in India arte τελεςικῆ eruti, vid. Philoſtrat. de Vit. Apollon. libr. III. cap. 46. p. 133. Edit. Olear. Heliodor, Aethiopic. libr. IV. et VIII. et ex eo Photius Cod. LXXIII. p. 162. ſed haec occaſione coloris quadrae.

Odorem lapidis quod concernit, is, quem Dn. Dietericus mihi miſerat, exhalabat fragrantiam quandam, quam tamen adſcititiam credidi, ex ſuaveolentibus rebus, in quarum vicinia depoſitus erat, contractam. Nec tamen inſolitum, in lapidibus quoque odores quaerere. Stagirita equidem cap. V. de ſenſib. et ſenſil. exinde, quod lapides inſipidi, infert, illos quoque inodoros eſſe, aſt contrariam fovet ſententiam Ereſius ille Philoſophus Theophraſtus de Lapid. dum tradit, differre multum lapides καὶ τῇ ῥοπῇ, καὶ τῇ ὀσμῇ, *et pondere et odore.* Quomodo autem odore grato vel ingrato differant, Boetius a Boot in Gemmar. et lapid. hiſtor. libr. VI. recenſet. Gratum odorem *Iridis Florentinae* vel violae habet *Geodes Miſenus,* ſeu lapis *Aldenbergicus*; moſchi odorem lapis *Mariaebergicus*, qui in vena D. Fabiani et Sebaſtiani invenitur; ſerpilli odorem *Thuringicus*, qui prope arcem Beuchlingam invenitur; muſti odorem *Zeblicius ophites.* Vinum olet *Echites* apud Solinum; lac *galactites et cornu monocerotis foſſile*; myrrham *lapides* apud Parthos et in Caramannia. Ingratum odorem cornu uſti *Enoſtius Hildesheimenſis. Smaragdi genus* foetidum exhalat odorem, dum interpolatur, teſte Nard. Anton. Reccho Hiſtor. Mexic. libr. X. cap. X. p. 339. Confer quae de odore gemmarum in mortario comminutarum, in toto muſeo per triduum ſe diffundente, violarum martiarum odorem referentes habet Borrichius Act. Hafn. Vol. V. obſ. 37. Qui inſuper refert in Muſeo Septaliano

Me-

Mediolanenſi *lapidem* exiſtere *ſtellarem*, qui ſolo frictu calefactus redderet odorem humani ſtercoris, et apud Cardinalem Vrſinum Romae conſpecta fuiſſe vaſa terrea Luſitanica ſponte odorata.

Cum in lapidibus ſapores vix deprehendantur, guſtus tamen haud expers noſter exiſtit: ſi enim longiuſcule in ore detineatur, lingua alio ſapore non depravata, vitriolici quid ſapere videtur, quod et ex pulvere abraſo papillis linguae nerveis communicato conſpicuum. Nec mireris, ſaporem in illo deprehendi, cum jam apud antiquos de *othonia* lapide Dioſcorides tradiderit, eſſe lapidem Aegyptium in Thebaide naſcentem, aureo colore et exigua, uti quadra, magnitudine praeditum, qui in guſtu fervorem haberet cum adſtrictione mordaci. De lapide *Thenſi*, quem e Sina deferri (aeque ac noſter lapis) teſtis eſt Excell. Blumentroſtius, Ruſſorum Autocratoris quondam Archiater, Eph. Dec. II. Ann. VIII. ſatis acriter linguam, ſi ei imponatur, mordicat, et ſimul arſenicalem exhalat odorem; ſed pro factitio, non naturali habent lapidem hunc Thenſi, plurimi. Hoc quoque notatu dignum, reperiri aliquoties quadras ſibi ſuperimpoſitas, tanquam triplices cubos in extremitate conjunctos, quales mihi amiciſſimoque Dieterico ex India redux monſtravit laudatiſſimus Dn. Faber. *Callainae* exiſtunt hae quadrae, quo nomine lapides, qui conjuncti inveniuntur, exprimit Plinius libr. 37. c. 10. pro quo in optimo Codice MSt. Rigaltiano legebatur, *Galliana*. Quem autem lapidem *Callaina* proprie denotet, de his pluribus agit maximus Salmaſius in Solin. et Joh. de Laët de Gemmis et lapidibus libr. I. c. 26. et libr. II. c. 30.

Mole variat quadra, a qua virtutis major vis minorue fluit efficacia. Haec quam Dn. Dietericus poſſidet, drachmam non attingit. Tranſiit nuper urbem noſtram D. D. Gelnhuyſen, ob ſtudiorum elegantiam, et humanitatem omnibus commendandus; hic me adiens Quadram monſtravit ſex drachmarum pondere, et majores adhuc ſe vidiſſe confeſſus eſt; id quod Patres ſocietatis Jeſu, hoc, quo ſcribo temporis articulo itineri Sinico periculoſiſſimo, miſſionique taedioſiſſimae per Belgium ſe accingentes, viamque per hanc urbem eligentes, pariter confirmarunt.

Recenſui hactenus ſenſiles illas quadrae qualitates, ſive in ſenſus incurrentes: nunc quas in gremio gerit, et longior experientia, totiesque repetitus uſus edocuit virtutes, pariter enarrandae. Poſſet ulterioris veritatis probatio, a congrua partium lapidem conſtituentium natura deſumi, et per Chemicam Analyſin extorqueri, ſi copia lapidis ſupereſſet; cum autem illa deſtituamur, poſt ſenſiles qualitates ab effectibus virtutibusque, quas quotidiana propalare vult nobis experientia, ſive uti in ſcholis loquimur, per bonam conſequentiam a poſteriori facultas hujus medicamenti colligenda. Si Peripateticos conſulamus, quadra haec Sinenſis agat quo foedere, reſpondebunt utique:

Sagacitate vix poteſt noſtra erui,
Occulta vis eſt.

Sed cum qualitates illae occultae habeantur pro ignorantiae aſylis, ſuppeditabimus pro tenuitate noſtra aliqualem, magis firmam certioremque ab aliis expectaturi: Quemadmodum Mars totam Methodicorum medicinam abſolvit, quoad laxum et ſtrictum, dum fibrae corporis noſtri, ex quibus id compaginatur, nunc nimis laxae, nunc nimis ſtrictae ſunt, maſſaque ſanguinis nunc in motu eſt concitatior, nunc languidior; ita martialem hanc efficaciam ſublimiorem, magis purgatam, magis activam, quadrae ineſſe, (modo virtutes illi adſcriptae omnes competant, quod in exoticis noviter allatis vacillare plerumque aſſolet,) neceſſe eſt; quam ſale ad exitum ſtimulante, rodentisque humoris manifeſta imbibitione, et conſequenter hinc ductuum excretoriorum deterſione, maxime prodit. Praepollet autem aperitiva vis lapidis adſtrictoriae, quae utraeque, contrariae licet, e quadra tamen noſtra, ſed non ab iisdem profluunt partibus. Maximam virtutem inſuper per radiativam, uti loquuntur, operationem a ſulphure puriſſimo exoriri, illis placebit, cui ingenioſiſſimi Marci Marci a Kronland conatus curae cordique ſunt. Inſtituimus cum ejus infuſo examen, mediante hydroſtathmico inſtrumento, Gallis *Peſeliqueur*, Rev. P. Kirchero in Mund. ſubterr. lib. V. ſect. II. c. V. Hydrometro dicto, quod elegantiſſime deſcripſit ὁ πάνυ in Mathematicis Stur-

mius Colleg. Curioſ. Experim, part. II. p. 60. ſeqq. Sed infuſum poſt XXIV. et amplius horarum moras, vix ac ne vix quidem ab ▽. Alkakengi, cui quadra immiſſa, differebat, ut ad effluvia vix ſenſibus perceptibilia, vel ſi mavis irradiativam vim, refugium quaerere nonnullis viſum ſit. Non diffiteor, me lapidem aliquoties exhibuiſſe, cum levamine interdum, non tamen illo, ſucceſſuque, quem aegris mihique exinde promiſeram, interdum plane ſpem deſtituit eventus; cui aſſignaram illas, quas Illuſtr. Boyleus de infelici experimentorum ſucceſſu, ſubſtituit cauſas. Abſit enim, ut mea in exhibendo minus aequa ſors in praejudicium cedat, aliorum repetitae toties in caſibus, uti fer runt, deſperatiſſimis experientiae. Nusquam magis, quam in arte noſtra regnant fallaciae non cauſae ut cauſae, nec unicuique et omni tempore lucet feliciſſima illa hora, qua natura impetu morbi fracto, reſurgere, manusque auxiliares exhibito medicamento jungere, incipit. Propria igitur adhuc et ſatis luculenta deſtitutus experientia, illa communicabo, quae aliena ſuggeſſit.

Cum in difficili partu foetuque mortuo expellendo praecipue admiranda ejus extollatur virtus, Italiae haud exiguum in arte Medica decus, Excell. Hectorem a Valle produco, qui in Ephemeridibus Venetis, *Galleria di Minerva* inſcriptis, Tom. V. part. X. p. 271. mentionem quadrae injiciens, ſequentia refert: Exhibui in infuſo aquae Artemiſiae et Meliſſae lapidem dictum comminutum, (de pedra quadra illi ſermo) foeminae cuidam nobili, partus doloribus agonizanti, quae feliciter in dias luminis auras foetum protulit. Aliis duabus in aqua liliorum alborum et dictamni Cretici dedi felici cum ſucceſſu. Confirmandae huic in expellendo foetu experientiae jungo, quae ex literis Rev. Pat. Soc. Jeſu Collegii Ingolſtadienſis, Fiſcher nomine, ad Bibliopolam urbis noſtrae primarium, Dn. Wolfg. Mauritium Endterum datis, excerpſi. Sic ille verbis ipſiſſimis et ne veritati quid decedat, nusquam immutatis: „ Habet haec ex „ India orientali allata Petra quadrata, ſingularem virtutem ad „ facilitandos partus; ad quem effectum applicari ſolet tribus „ modis: primo alligatur femori ſeu coxendici, e parte interiore „ foe-

„ foeminae parituræ, cum ea tamen cautela, ut immediate
„ poſt partus effuſionem amoveatur quamprimum ipſa petra,
„ ne forte etiam extrahat viſcera parturientis. Item non debet
„ applicari prius, quam inſtat tempus pariendi proximum,
„ partum immature extrahat. Secundo infunditur in aquam fon-
„ tanam, quantum capere poteſt dimidia teſta ovi, et petra fri-
„ catur digitis in eadem aqua per ſpatium V. Pater N. et Ave;
„ hauſtaque ea in lucem dabitur cum ſecundinis foetus, etiamſi
„ jam mortuus ſit, aut in utero transverſus. Tertio, ſi foemina non
„ poſſit facile parturire, ob virium debilitatem, immittitur dicta
„ petra in oleum olivarum, quantum capere poteſt dimidia teſta
„ ovi, et fricetur digitis, tamdiu quo recitari poteſt bis Symbo-
„ lum Apoſtolorum, deinde bibitum ipſum oleum, et eodem
„ inungitur venter, et ſtatim effunditur foetus. Recenſui hanc
R. Patris relationem eo libentius, cum Societas iſta, cujus
membrum ille eſt, in hiſtoria naturali promovenda omnem
jam promeruerit laudem, nec alia via, quam per hanc lapidis
hujus e Sina nanciſcendi, quantum ſcio, copia ſuppe-
tat. Hoc inſuper in catalogo typis impreſſo de lapidis hujus vir-
tutibus memoratur, in cochleari vini vel ſucci citri lapidem im-
miſſum exhiberi poſſe parturientibus. Non minor emmenagoga
quadrae virtus commendatur, quippe a granis tribus ad 6. usque
in cochleari ▽ Meliſſae vel Pulegii feliciſſimo certe eventu exhi-
betur, hac tamen addita cautela, ut foeminis malae famae mere-
tricibusque, hujus lapidis copia minime committatur, ne illo ad
procurandos abortus, vel impediendam omnem graviditatem
abutantur. In hyſterica paſſione cochleari aquae meliſſae qua-
dra per ſpatium 2. horarum immiſſa et aegrae exhibita, mira,
uti ferunt, praeſtat. Oleo olivarum injecta, poſteaque hoc oleo
imbutum abdomen, malum abigit, menſtruaque, paſſionis hy-
ſtericae cauſas, promovet; quibus poſtea rite fluentibus, oleum
abdomini illitum abſtergendum. Trucem quod ſi pellere
nequeat, poſſit lenire dolorem. Quantum in diro illo calculi do-
lore, per cauſae morbificae remotionem valeat, teſtem habemus
omni exceptione majorem TE, SVMME FACKHI, cui calculi

 dolo-

doloribus excruciato, aliis nihil proficientibus, ex infuſo quadrae dolores ſedati, calculusque eliminatus, ut mihi ſancte teſtatus es. Igitur quadra noſtra ejus eſt virtutis et efficaciae, cujus lapis ille, quem illuſtriſſimus Angliae Cancellarius Baro de Verulamio Sylv. ſylv. Cent. I. Exper. 91. meminerat: lapidem nempe ex India orientali advectum peculiarem vim habere pellendi calculum, adeo ut carpo admotus, tam vehementer calculos depulerit per inferius, ut ob violentiam removendus eſſet. Quaevis in lapide nephritico ſub nomine *Chals vee* deſcripto, equidem minime quaerenda, ſed experientia firmum ferente teſtimonium, ad quadram lapidem citius referendum. Nec in infuſo tantum exhibetur, ſed et in ſubſtantia ad grana ſex in vehiculo, affectui Nephritico convenienti. Vim laxantem diureticae pariter ſociatam eſſe, perhibent P. P. Societatis. Aquae enim frigidae immiſſa quadra per horae quadrantis dimidium, aqua haec, ejus impraegnata effluviis, jejuno epota ventriculo, peccantes per alvum educere humores, hydropique medicorum ſcandalo mederi. Quae felicitas autem aliquoties in deſperato eo morbo hoc infuſum exhibenti minime contigit; quod forte quadrae parvitati adſcribendum. Virtutem pariter carminativam ineſſe volunt, et prodeſſe iis,

queis ventoſa crepant hypochondria, creber et intus
Proh! dolor inſanos ſtimulis agit Aeolus Euros.

Vti nec in pluribus aliis affectibus, quos ſcheda typis commiſſa luculentius exhibet, ad tollendas capitis vertigines, in odontalgia, lateris dolore punctorio, in melancholia, in aſthmate, in febribus aliisque morbis contumacioribus. Denique optimum exiſtere ferunt travmaticum, ſi pulvis a lapide quadra deraſus vulneri inſpergatur; heterogenea enim vulneri inhaerentia expellit, vulneraque conſolidat. Sed quas non laudes ferrent Societati, his recenſitis afflicti morbis aegri, ſi decantatis lapidis virtutibus reſponderet eventus, quem confirmabit ulterius experientia, certiſſima rerum magiſtra. Interim quadra hucusque lapis,

non retegit cauſas indolis ille ſuae.
Cauſa rei liquido nulli detecta patebit,
cui nondum arcanas Muſa retexit opes.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. Joſephi Vallisnerii.

Colico dolore laborans, ſolum per epicraſin purgatus, ſanatus.

QVam facile acidi acresve ſales inteſtinali muco involuti internas pungentes coli tunicas Medicis male antiquorum dogmata ſectantibus ſub flatuum imagine imponant, nemo eſt inter cordatos Clinicos, qui non videat. Quapropter et interne et externe remediis praeſcriptis ſaepe infelices patientes adeo torquent et macerant, ut vel per multos dies crucem figant, vel urgeant in ſepulchrum. Ita viro religioſo 40. annos nato contigit, cui mea implorata ope tumentem ventrem non a flatibus, ſed in fibrarum convulſione conjiciens, remediis prius ac cibariis humectantibus et edulcorantibus, dein emulſionibus papaveratis praeſcriptis, ſedatoque dolore, Picram hieram ex Galeni praecepto exhibui, ipſumque tuto ac blande ad priſtinam ſanitatem revocavi.

SCHOLIVM.

NOn abſimilem hiſtoriam legere eſt in Galeno 12. Meth. 7. aliamque de Locis affect. 5. ubi patet, Galenum praedictam curandi methodum multiplici experientia comprobaſſe, quando ſcilicet humores mordentes, tunicis inteſtinorum impacti, dolores et convulſiones internas excitant. Tunc enim valida purgantia damnanda, priusque cicurandos eſſe humores, deinde per epicraſim evacuandos docet. Altera Galeni hiſtoria huc ſpectat, 12. Meth. 3. relata de Colico, ubi propter purgationem cum ſcammonio dolor periodicus factus eſt, adſtringentibus et Theriaca ab eodem magno praeceptore curatas. In eodem etiam capite 12. Meth. ſic habet: *ſimili genere et alteri cuidam in aeſtate affecto, cum ſitibundus admodum eſſet, praeter alia, quae*

ſupra memoravi, etiam frigida potione uti permiſi. Quanto in errore Medicorum vulgus in curatione colici doloris verſetur, ex praedictis hiſtoriis liquet, ſiquidem fere omnes ad calida confugiant, quaſi dolores omnes a cauſa frigida ortum trahant. Memini in ſupralaudati Joſephi Vallisnerii Manuſcriptis Adverſariis legiſſe hiſtoriam cujusdam colico dolore affecti, qui ex potu frigidae juvabatur, nec tamen evadebat, ſed rurſus exacerbabatur, demum in extremo vitae conſtitutus, glaciei fruſtulum, quod avide expetebat, nec antea permiſerat, ab eodem petiit, quod delatum, panis inſtar comedens, mirum in modum in priſtinam ſanitatem reſtitutus fuit. Revocentur in memoriam ejusdem Obſervationes in Cent. VI. noſtra relatae, obſ. 10. et 11. p. 193. 194. Narrat etiam, ſe virginem Monialem noviſſe, quae colicae ventriculi, a qua ſaepe excruciabatur, nullum ſentiebat levamen, niſi ab externa panni linei applicatione, aqua frigidiſſima imbuti, etiam ſaeviente hyeme, quod pariter in colica inteſtinorum feliciter ab aliis expertum narrat. (*Ill. D. Antonius Vallisnerius, hanc et ſequentes obſervationes ex Adverſariis Manuſcriptis, Dn. Patrui ſui communicavit,*)

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. Joſephi Vallisnerii.

Hydrops pulmonum cognitu difficilis.

HVcusque ex multis hydrope pulmonum correptis, nec alterum tantum animadverti, vere ab aliis Medicis cognitum. Alii namque nullo modo pro hydropicis habuere, quoniam non adhuc intumuerant crura, uti D. Viteliano cum D. Galitio Medico, et Regii cum Excell. Magato, et Struchio, in Domino Laurentio de Barberiis, ubi ſupervocatus prima viſitatione hydropem manifeſtum imminere praedixi (aliis praedictis Medicis renuentibus) quem tunc adeſſe in thorace aſſeverabam. Elapſis octo circiter diebus a coepto tumore oedematoſo in crure, et ipſi

faſſi ſunt me vera praedixiſſe. Extat conſultatio noſtra cum reſponſo Excellentiſſimi Silvatici, Patavini Profeſſoris una cum Exc. Frigimelica, alioque celeberrimo viro. Ejusdem Laurentii ſoror poſt ſex circiter annos (Anno 1660.) incidit in eundem hydropem, qui ab Exc. Carolo Mamolo pro aſthmate ac orthopnoea habebatur, et curabatur: et tamen aderat tumor oedematoſus crurum. Ipſe accerſitus viſitavi, et curavi eam, morbum incurabilem detegens, ſed non vere aſthma, ſed hydropem pulmonalem eſſe praedixi.

Anno pariter 1660. Mater illuſtriſſimi D. Vicarii de Rodulphis, admodum ſenex, ſed a natura calidi ventriculi, difficili reſpiratu ex minimo labore, vel motu correpta, una cum oedemate crurum, judicabatur a D. Mamolo (cui adhaeſit per epiſtolas D. Geminellus, Sereniſſimi Ducis Mutinae Archiater) pro hydrope ex hepate refrigerato, quamvis nullum vel ad tactum, vel colorem faciei, indicium hepatis ita laeſi reperiretur. Conſuluere me, qui omnino refragare debui, et conſilium extat apud me ad iſtiusmodi hydropis confirmationem.

Monialis D. Raphaelis de Taſſis per 8. menſes a D. Hippolito de Bazzanis fuit percurata, qui tamen ſe nunquam explicare ſcivit, quonam morbo afficeretur, pluraque adhibuerat remedia, ut aliquid tentaret, ignorata eſſentia affectionis, dicebatque interdum corripi flatu hypochondriaco, quoniam juxta coſtas ad latus dextrum ſub mamma ſubinde dolebat. Advocatus talem affectum pro hydrope pectoris habui, dolereque partem ſuſpicabar ab aliquo tuberculo ad ſuppurationem tendente: at quoniam per longum tempus talis aberat dolor, et tandem crura oedematoſe inflata ſunt cum difficili anhelitu, certo conjeci aquam ſtagnare in thorace. Obiit, et ſcalpello ad phlebotomandum inter tertiam et quartam coſtam perforavi, et aqua flava copioſa, et valide profiliens erupit.

Tinctor S. Jacobi, Tebaldus dictus, hoc hydrope thoracis correptus cum magno crurum oedemate, et moleſtiſſima reſpirandi difficultate, praeſertim a modico ſomno: qui pro certo

a me

a me judicabatur hydrops pectoris, fortaſſe cum aliquo tuberculo in pulmonibus, quoniam omnis malitia, ſeu inaequalitas pulſus aderat. Acceſſit in conſilium Exc. Geminellus, cui in conſultatione meam mentem circa eſſentiam aperire conſulto nolui, ut audirem in hac difficili affectione, quid ſentiret: en, conſuluit hydrope ex hepate male affecto detineri, nulla habita ratione ad pectus, niſi quod flatus diaphragma comprimerent, unde tanta reſpirationis offenſa. Ipſe poſtea bona venia implorata ſubjunxi, me data opera morbi eſſentiam ſiluiſſe, ut a viro doctiſſimo propriam opinionem audirem, atque ea audita, me cogi aliter admodum ſentire, nullam utpote in hepate laeſionem agnoſcens, niſi tandem per conſenſum laeſum fuiſſet: ſed eſſe pulmonum hydropem, pro certo habebam; cui vix refragari auſus eſt, ſolumque conabatur probare, tantum oedema ſuboriri non poſſe, quin hepar afficeretur. Ipſe econtra cum Hippocrate (cujus textus attuli) firmiter aſſerebam, idipſum ab hepate, pectore et capite procedere poſſe, hic autem nullum indicium vel capitis, vel hepatis adeſſe, ſed maxime pectoris, propterea hydropem pectoris me conſtituere non dubitabam. Obiit tandem pene ſuffocatus, craſſus et rubicundus in facie, ut de more, cujus in aperto thorace et plurimum in cavitate ſerum, et in pulmonibus tubercula reperimus. Vide Nardium in ſuis Noct. genial. 6. pag. 367. et Schenck. obſerv. pag. 280.

Dn. Doctor Paulus de Pariſetis, jam viduus, nunc Presbyter, an. 1661. menſe Januarii conſilium meum expetit una cum aliis duobus, Carolo Murario, et Carolo dē Mamolis. Iſti conſuluere (ut plane praedixeram) laborare initio hydropis ex male affecto hepate, quod nuper duritiem aliquam prae ſe ferre coeperat, oedema enim ad crura et coxas conſpiciebatur. At quoniam jamdiu, nempe a decem circiter annis paſſus erat difficilem anhelitum, ob quem nocturno tempore e lecto ſurgere ad facilitandam reſpirationem cogebatur, quo tempore oedema crurum, vel genuum tantum aderat, nullo affectu manifeſto hepate tentato, et tuſſicula aderat cum pulſu admodum inaequali

quali et intermittente, ut et adhuc perſeverat, et perpetuo in aſcenſu ſcalarum, vel motu celeriori anhelitu gravi premebatur, ut nunc omnino gravior ſollicitat, ideo eo usque tempore hydropis pectoris initium ſuſpicari fas eſt. Sed quia tunc coepit copioſiſſime mingere, plane evaſiſſe creditum eſt, ut et Medici ipſi pariter illum reſtitutum credidere; cui ipſe dixi, *in copioſa mictione perſeveret, et optime ſe habebit, ſin minus, eodem affectu rurſus tentabitur*; reſpondit, *ſe id minime credere*: quod tamen invito expertus jam eſt, nuncque pariter experiri contingit, ideoque deſideravit meam conſultationem. Convenimus igitur d. 23. Januarii, et illi ambo ex vitio hepatis laborare conſtituerunt, nihil difficilem reſpirationem animadvertentes, praeſertim ex motu, atque decubitu, vel ipſum pulſum adeo pravum. Conſului, laborare hydrope pulmonum antiquitus, uti difficilis anhelitus, tuſſicula, pulſusque omnigena inaequalitas docent, eamque nunc ſenſim hepati communicari, ut incepta durities demonſtrat, proin periculum eſſe in mora praedixi, nec eſſe differenda praeſidia, cum fatalis hyems immineret. In omnibus mecum ambo convenerunt, cum antea minime morbi eſſentia innotuiſſet. Referebat patiens miram opem olim reportaſſe, initiante ſcilicet affectu ex uſu chalybis cum terebintho Cypri, ex qua mictus copioſiſſimus ſequebatur. Nunc vero chalybem ferre eum non poſſe ob ventriculi debilitatem conſului. Rhabarbarum cum ſucco abſinthii et ſpec. Hierae ſ. et croco, addita ambra et ligno aloës pro unica tantum vice probavi, extractum jalapae et validiora hydragoga reſpuens, imo et primum purgans pro unica tantum vice invitus conceſſi, cum diureticis ſolum blandis, et caute etiam adminiſtratis in hujusmodi ſeroſis morbis inſiſtendum eſſe judicem. Propoſui rurſus uſum terebinthinae cum pulvere viperino et millepedum, vel lumbricorum terreſtrium, vel cum balſamo ſulphuris terebinthinato, cum decoctionibus herbarum diureticarum et pectoralium, in quibus ſolum levamen ſperare in contumaciſſimis hiſce et deſperatis morbis poſſe judicamus.

OBSERVATIO LXXV.
Dn. D. Joſephi Vallisnerii.

Orthopnoea cerato ſupra caput impoſito, paucisque aliis, tanquam miraculo ſanatur.

PUer ſex annorum ad me defertur (ruri enim degebat) putabantque angina cruciari, magna enim reſpirandi difficultate cum ſtertore et ſonitu tenebatur, ut pro deplorato a propriis parentibus haberetur. Eo inſpecto, ſpecie aſthmatis, orthopnoea dicta, maxima cum febri cruciari cognovi, hinc paravi Lambitivum ex oleo amygdal. d. s. i. ſacch. cand. viol. penidiis, ſyr. viol. s. parumque diacodii in notulis, vnguentumque ex ol. amygdal. d. pingv. gallin. et croco; ſed quoniam ſtrangulatio imminebat, ceratum ſupra capitis commiſſuram cum cantharidibus et euphorbio (quod tamen non apponeretur niſi in maxima neceſſitate) praeſcripſi: Nocte ſequenti ſtrangulatum iri putabant, ac proinde pro extremo remedio, ut juſſeram, ceratum applicarunt, ſtatimque melius habuit. Sequenti mane praeſcripſi clyſterem cum Elect. de bacc. lauri, et mell. roſ. ſol. atque ut aſſumeret mellis ſcillitici cum ſacch. cand. viol. pulv. cochleare unum apparente adhuc aliquali reſpirandi difficultate, imperavi; quibus peractis ad me rediere, et pro miraculo tam citam et integram ſalutem (trium nempe dierum ſpatio) depraedicabant, adeo ut nullam amplius in poſterum reſpirandi difficultatem ſit paſſus.

OBSERVATIO LXXVI.
Dn. D. Joſephi Vallisnerii.

Deglutitio impedita et appoſito veſicatorio ſupra ſuturam coronalem ſanata.

MVlier 30. annos nata, ſanguinea atque robuſta, ſuppreſſo puerperio ex abortu, in anginam incidit cum magno materiae

teriae pituitoſae ad guttur affluxu. Advocatus venam pedis, praemiſſo clyſtere, ſecare juſſi, gargariſmata praeſcripſi, et partium externarum inunctiones, in quibus tamen nulla inflammatio conſpiciebatur. Mox augeſcente deglutiendi ac reſpirandi difficultate, ſub lingua venae ſectae fuerunt, a quibus ſtatim in omnimodam deglutiendi difficultatem incidit. Nova gargariſmata, inunctiones, emplaſtra, cucurbitulasque ſcapulis ſcarificatas incaſſum praeſcripſi, ſicque per diem integrum ac noctem excruciata ſine potu et cibo vixit. Mane (omnibus jam deploratam lugentibus) veſicatorium ſupra commiſſuram coronalem, abraſis capillis, appoſui, et per tres vel quatuor horas reliqui, tuncque patiens aſſerebat, ſe perſentire ſenſim attractionem cerati primo a d gulam, deinde ad pectus, mox ad ſtomachum pervenire, quo tempore ceratum auferre juſſi, hilarique animo ſtatim comedere coepit, et evaſit.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. Joſephi Vallisnerii.

Labiorum cruſtae periodicae curatae.

ADoleſcens 22. annorum, ſanguinei temperamenti, de cruſtis utrumque oris labium cooperientibus, et juxta lunam creſcentibus et decreſcentibus conquerebatur, tentatis per quatuor menſes incaſſum plurimis internis externisque remediis, meam opem implorat, invitusque curationem aggredior, diaetae ejusdem parum fidens. Praeſcribo ſolum interne, ut loco vini radicis cannae montanae decoctionem bibat, et externe hanc aquam, qua labia pluries in die madefaceret: ℞. ſacch. finis. ℥ß. alumin. roch. ʒij. ſalis comm. prunell. aa ℈ii. M. et bulliant in aq. plantag. ℥vi. ad tertias. His transactis diebus melius ſe habuit, et fere ſanus videbatur, dicebat tamen, ſe ad priſtinam affectionem augeſcente luna rediturum, cum talis morbi mos eſſet. Ipſe autem hujusmodi unguentum, quo bis in die uterे-

tur, paravi: ℞. Vng. de tutia, albi camph. de litharg. aa ℥j. Miſc. et abluantur optime cum ſucco herbae Reginae, vel bulliant cum ℥iij. ejusdem ſucci, usque ad ſucci conſumptionem, poſtea adde praecipitati ſubtiliter pulv. ʒiß. quibus magna cum admiratione, octo dierum ſpatio, ſanus undique evaſit. Quando ulcera ſunt valde exedentia, prius cum aqua Fallopii tangantur, vel ſubſequente: ℞. Aq. Tebutii ℔j. ſublimati ℈j. vel ʒß. Alumin. ℈ij. Miſc. et modice ſimul bulliant, et ſervetur ad uſum. Hac ſola vlcera valde antiqua ſanavimus, ad quae ſaturnina etiam optima experti ſumus.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Sirenis manus et coſtae, in Muſeo Vallisneriano.

SIrenis manus iconem, quae nuper ab Indiis noſtras appulit oras, tibi ſiſto, Praeſes praeclariſſime, ut videas quantum natura ludat, nec a veritate eſſe prorſus alienum, dari piſces, qui in partibus praecipue ſuperioribus humanam imaginem referunt. Servo et coſtas quatuor humanis grandiores, ut et aliam minorem manum cum ungulis longioribus magisque recurvis.

SCHOLIVM.

SIrenas Poëtarum carminibus celebratas, eſſe monſtra marina, ſuperiore ſui parte virginis effigiem referentia, inferiore vero in piſcis caudam deſinentia, Graeci tradiderunt. Hae tres fuiſſe finguntur, Acheloi fluvii, et Calliopes nymphae filiae, Parthenope, Ligea, et Leucoſia, quae cum littus Siculum incolerent, nautas praeternavigantes ſuavitate cantus in naufragium pelliciebant, quam ob rem eas doloſas, blandas canorasque vocarunt. Fabuloſum cum vero, verum cum fabuloſo Graeca ingenia plerumque miſcuiſſe, nemo neſcit: hinc qui legunt, mirari deſinant, ſi praedicta partim vera, partim falſa deprehendantur.

Piſces



Piſces enim dari, qui humanam prae ſe ferant figuram, extra teli jactum eſt; qui canant cantuque nautas alliciant, poëticam fabulam olet. Sicuti enim in terra plures beluas, formam externam hominis, geſtusque referentes inveniri datum eſt, ita in Oceano monſtra hujusmodi ſuſpicari, a vero diſſonum non judicamus. Plinius (a.) inter centum ſeptuaginta ſex genera animalium omnium in mari viventium Tritones, Nereides, et *homines* qui marini vocantur, enumerat, et in lib. 9. cap. 5. Auctores, inquit, habeo in equeſtri ordine ſplendentes, viſum ab his in Gaditano oceano *Marinum hominem*, toto corpore abſoluta ſimilitudine, aſcendere navigia nocturnis temporibus, ſtatimque degravari, quas inſederit, partes, et ſi diutius permaneat, etiam mergi. De Tritone ibidem Tiberio Principi nunciavit Olyſſipponenſium Legatio ob id miſſa, viſum auditumque in quodam ſpecu concha canentem Tritonem, qua noſcitur forma, de quo et Virgilius:

Frons hominis praefert, in piſcem deſinit alvus.

Haec ſi omnia vera non ſunt, non tamen omnia falſa; homines nempe marinos in mari viſos, non vetuſti ſolum aevi, ſed omnium fere aetatum ſcriptores memoriae tradiderunt. Tritonem deſcribit AElianus (b) et Alexander ab Alexandro, nec non Pauſanias unum ex his ſe Romae vidiſſe teſtatur, capite ſpecie comoſo, ut ranis paluſtribus etiam colore, ne diſcerni tamen capillus a capillo poſſet, ſed corpore ſquamoſo, forma veluti ſquatinae, bronchiis ſub aures, naſo hominis, ore ampliore, dentibus ferinis, oculis glaucis, manibus, digitis, et unguibus conchularum teſtis ſimilibus, cauda ſubtus alvum, vice pedum, ut Delphino.

Rondeletius piſcis monachi iconem, et deſcriptionem donat (c) qui ſua aetate in Norvegia, mari procelloſo, captus eſt: Paterque Kircherus (d) piſcem capi aſſerit, quem vocat *Anthropomor-*

(a) Hiſt. nat. lib. 32. c. 11.
(b) Cap. 21. Lib. 13. Anim. (c) Lib. 16. cap. 20. (d) Art. magnet, Lib. 3, p. l.

pomorphos, id eſt, humana prorſus figura, certis anni temporibus in mari Orientali Indiae ad Inſulas *Viſſajas*, quas pictorum vocant, ſub Hiſpanorum dominio, quem ideo *Pesche Muger* appellant, ab indigenis Duyon vocatur, cujus exactam deſcriptionem apud eruditiſſimum auctorem videre eſt. Hujus oſſa vim adeo inſignem ſiſtendi et attrahendi ſanguinem habere, ut currentem ſtringere, quaſi vena ligaretur, fidenter credat: de quorum tamen viribus noſter legatur Redius (a) quas pluribus tentatis experimentis falſas invenit. Pater Philippus e Trinitate Carmelit. in *libro ſeptimo ſuorum orientalium itinerum* Sirenes apud Inſulam D. Laurentii in orientali Aphricae parte reperiri affirmat, quae *Piſces mulieres* a Luſitanis vocantur, quoniam ſuperne *mulieris*, inferne *piſcis* formam referunt. Bernardinus Ginnarus (b) in flumine vaſto *Cuama* vocato prope Caput bonae ſpei videri ſirenes ſcriptum reliquit, quae media parte ſuperiore formae humanae ſunt ſimiles, hoc eſt capite rotundo, ſed immediate thoraci juncto ſine collo, auribus, noſtris plane ſimilibus, et oculis, et labris, et dentibus, mamillasque preſſas ſubinde lac emittere. De his piſcibus teſtatur P. Sacchias (c) quod decem et ſex capti fuerint a piſcatoribus An. 1560. in Mari Inſulae Manariae, ſeptem mares, et novem femellae, quos accurato ſtudio Henricus Henrici Soc. Jeſu, et Medicus Proregis de Goa obſervarunt. Sed nimis longus eſſem, ſi referre vellem autores omnes, qui de his mentionem fecere, quorum alios ſi quis aveat percurrere, legat Geſnerum, Majolum, Olaum Magnum, Ramoſium, Torreblancum, Petrum Gillium, Nierembergium, Petrum Hiſpalenſem, Scaligerum, Guicciardinum, Schottum, Licetum, Fulgoſum, Bellonium, Stengelium, Pauſaniam, Jonſtonum, Aldrovandum, Joh. Ludovicum Godofredum, Joh. Philippum Abelinum, Thomam Bartholinum,

(a) Esperienze intorno diverſe coſe naturale, etc. (b) Lib. 1. cap. 9. de Indico itinere.

(c) Lib. 4. p. 2.

num, etc. ex quibus omnibus facile conjicere eſt, multa quidem curioſa de Sirenibus, hominibusve marinis poſterorum memoriae mandata fuiſſe, ſed non omnia fabulam redolentia, cum ex dictis, tum ex eorum manibus coſtisque in Muſeo Vallisneriano vere exiſtentibus in rerum natura dari nemo non videat.

OBSERVATIO LXXVIX.

Dn. D. Antonii Vallisnerii.

Morbus, obitus, et diſſectio Sereniſſimae Duciſſae N.

JAm prope erat nonus graviditatis menſis, cum Seren. Duciſſa circa meridiem diei 28. menſis Octobris 1710. incidit in difficillimam reſpirationem cum quodam oculorum ſtupore, pulſu tenui, et artuum frigiditate conjunctam, videbatur brevi moritura. Medici juſſerunt illico ex brachio ſanguinem mitti, qui denſam et ſero carentem ſtructuram habuit, eductusque fuit ad uncias ſeptem; viſa eſt aegra nonnibil levari, aut ſaltem compeſci progreſſus malorum, donec ſumeret ſacratiſſimum Viaticum. Paulo poſt ingraveſcere omnia, tumere oculi, et velut extra orbitam ferri, ſitu diſpares fieri, nihil videre licet palpebra non tegerentur; anhelitu et ſopore preſſa dormiebat apertis oculis, nihil loquebatur, et fere nihil reſpondebat, aquam tamen vino mixtam et ore ingeſtam deglutiebat. Jam ab aliquot diebus inceſſerat multis ſuſpicio extincti foetus, halitus enim oris in Celſiſſima Principe cadaveroſum quiddam olebat, mammaeque conciderant. Igitur eo audacius clyſter acris, ſed absque fructu, rebus ad deſperationem euntibus, ex vino malvatico, cui crocus metallorum admiſcebatur. Poſt horam excrevit aquoſa ut putamus ex utero. Dein obſtetrix obviam habuit manui caput foetus, et mirifico niſu, nihil aegra ſentiente, foetum extraxit, quem ſecundinae feliciter ſunt inſecutae. Tunc

ſani-

ſanguis purpureus ex utero mediocriter manabat, recaleſcebant paulatim artus, et facies, pulſu quoque in melius aſſurgente, vitellum ovi vino malvatico diſſolutum aegra deglutivit. Sed brevi ſpes omnis diſparuit; ſopor enim lethargicus et ſpirandi difficultas denſior fieri, et pulſus coeperunt evaneſcere, licet puerperia recte fluere viderentur. Sub adventum diei eadem malorum facies, donec hora decima quinta diei migraret ad ſuperos.

Animadverſione dignum eſt, Celſiſſimam Dominam utero gerentem ad ſeptimum usque menſem ſalubriter ſe habuiſſe, poſtea ſitis immodica, inappetentia, et ex ea macies, vertigines quoque, obliviones, ſpirandique difficultates per intervalla invadebant, pedum tumor, corporis gravitas, et imbecillitas poſt ſeptimum menſem fere perpetua, nec ſine febriculae ſuſpicione, puella tamen quam enixa eſt ſuccoſam habebat corporis habitudinem, licet praemortua in utero aliquot jam dies, magna ex parte cuticulam amiſiſſet.

Vt cadaver nobiliſſimum balſamo imbueretur, aperta illi, et extracta ſunt viſcera.

Secta calvaria, et laniatis per ejus avulſionem meningibus, una vel altera ichoris ſanguinei uncia in terram profluxit. Subſtantia cerebri plus quam par eſt rubeſcere, et ſanguineos tubulos concreto ſanguine turgidulos habere viſa eſt.

In pulmonibus praecipua noxa, nigricantes enim lobi cernebantur, et vaſa usque ad livorem tumida. Veſicula fellis mirum quid exhibuit, ſuccum nempe liquidae picis adinſtar nigreſcentem atque viſcidulam, et plures variae atque inaequalis figurae lapillos nigros continentem. Cor, hepar, lien, renes, uterus naturaliter ſe habebant, flaccidiora tamen, quam par eſt comperta.

Suſpicari licet haeſiſſe paulatim in pulmonibus craſſiuſculum ſanguinem, et demum obſtructo tranſitu ſpirandi difficultatem mortemque intuliſſe; ea vero ſtagnatio diatheſin habebat inflammatoriam, ut pulmones lividi arguebant. Serum

quo-

quoque illud, quod a diſruptis erupit meningibus, ſubſtantiam cerebri, poroſque premens lethargicum torporem induxerat. Foetus mortui effluvia probabiliter ſuccos vitales et animales infecerant.

(*Patavio Auguſtam Vind. d. 18. Maji An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. Gothofredi David. Mayeri.

Collectionis Lapidum Cancrorum hiſtorica Exegeſis.

CRuſtaceorum exanguium non ultimam partem cancros, ob varium eumque inſignem in Medicina uſum, ſuos nobis ſuppeditare ab aliis oculos, rectius forſan lapides vocatos, quis eſt, artis ſalutaris ſacris leviter initiatus, qui neſciat? Hi, quum incredibili copia in tot mundi tractibus conſumpti fuerint et diſperſi, praeterea pro diverſa rerum et temporum circumſtantia, pretio non minus aucti ſint et imminuti, ob accreſcentem hinc et inde eorundem copiam et hinc dependens pretium interdum vilius, corruptionis vel adulterationis ſuſpicionem paſſi ſunt a quibusdam in ſcriptis publicis: quam perfidioſae transmutationis litem, cum meam non faciam, in praeſenti genuinorum veram collectionis methodum, quam ex quibusdam per confinia Tartariae et Moſcoviae huc appulſis mercatoribus et recutitis percunctatus ſum, multis forſan haud incognita, non tamen penitus poſtponenda Exegeſi, pro hiſtoria materiae medicae certiore reddenda, communicandam duxi. Scilicet frequentiorem Lapidum Cancrorum collectionem obſervari hodie perhibent in Beſſarabiae Tartaria Budziacenſi, cumprimis deſerto Walachienſi, Vrbi Teginae, ſive Bender, non multum diſſito: quinimo in Vcrania Moſcovitica, circa fluvium Boryſthenem et Tyram per utrosque Podoliae terminos,

minos, regione multis magnisque fluminibus et ubertate et fertilitate cancrorum divitibus irrigua. Alveo ſuo egreſſos fluvios hos majores, minoribus inde prodeuntibus et adſitis, per diverſos confinium regionum tractus, fertilitatis cancrorum copiam inferre perhibent, cujus compotes redditi accolae, quos eſui cancrorum, ſi non penitus, certe utplurimum adverſari dixerunt, cancrorum conſervationi invigilant, usque dum ſuo tempore eorundem lapidum acquiſitione privatis non minus ac publicis neceſſitatibus commode ſubvenire poſſint, data ſaepius ſubordinato Magiſtratui certa horum lapidum portione in onerum publicorum pretium. Obſervatis exacte iis menſibus, quibus cancri communiter bonitate diſtinguuntur, Boryſtenis et Tyrae, hincque proſilientium et quacunque ratione cancrorum copia divitum fluminum accolae, omnium primo vaſtis deſertisque et ab omnium hominum conſortio remotis locis ſe inſinuant, ibidemque aut quocunque ſolitario loco fieri poteſt, foveas praeparant, quarum profunditas ſexaginta circiter aut ſeptuaginta, latitudo vero decem, quindecim aut viginti pedibus adaequet: Iis, qua fieri poteſt, diligentia, incredibili copia obtentos captura cancros infarciunt et haud aliter, ac uvas pedibus conculcando, interdum pro contritione certiore obtinenda, adaptata tudete lignea, corpora eorundem concutiendo ac enecando foveis et deſerto relinquunt, domus ſuas repetentes, quas ad triginta interdum milliariorum ſpatium abhinc diſſitas habere dicuntur, ea propter abditorum et remotorum ſylvarum receſſuum amatores, ne gravis omnibus et interdum funeſtus, qui ex putrefactione cancrorum diffunditur foetor, ſanitati officiat. Hac ratione foveis immiſſa Gammarorum multitudo quibuscunque coeli tempeſtatumque injuriis patet, usque dum poſt ſuperatas hyemis aſperitates, vernali tempore auſpice, ſuperioris laboris curſum relegere liceat operi intentis his hominibus, qui illuvie, ſitu ac ſordibus coinquinatas in foveis reliquias, quo longius ab his receſſerunt, eo curatius fluviis, quos proximos habent, advehunt, in quibus excuſſorio

cribro

cribro inquinamenta repurgando tandem lapidum admirabilem copiam in laboris praemium ex voto obtinet inops alias et egena gens, in anguſtia ſua hoc theſauro locupletior reddita. Haec per Tartariam Oczavienſem, Regnum Aſtracanum, Palatinatum Kiovienſem et Witepskienſem lapides hos extrudit venales, unde tam ingenti copia Regiomontanorum, Gedanenſium Vratislavienſium et tot mercatorum manibus communis committitur merces.

OBSERVATIO LXXXI.
Dn. D. Gothofredi David. Mayeri.

Sanguinis proventus e poris cutis ex intenſione muſculorum per brachiorum motum.

IVrati Venaeſectionis oppugnatores cum Paracelſiſtis Helmontiani, ejusdem patronos, inſulſorum animarum negotiatorum nomine, exſibilantes, eam Deum in natura nunquam inſtituiſſe cum eorundem coryphaeo Helmontio Tract. de febribus cap. 4. clamitant, cum tamen tot morborum phalanges ſive a vitiis humorum et partium ſolidarum, adeoque a cauſis materialibus, ſive a cauſis magis immaterialibus, motibus nimirum erroneis et perverſis exortae, saepius ſine medicatione artificiali, ſola interdum narium haemorrhagia critica, aut ſpontanea ſanguinis evacuatione ſublatas videamus ſinguli, de quibus ſola naturae autocratia, adornatis ſaepiſſime variarum venarum diaereſibus, non minus ac ipſa venaeſectione, divus Senex digne effatur: *Si qualia oportet purgentur, conducit, et facile tolerant, ſi minus, contrarium evenit, itidem et vaſorum evacuatio, ſi qualis debet, fiat, conducit et facile tolerant: ſin minus, contrarium fit.* Subortam alicui de rei veritate dubitationem communis rerum magiſtra experientia praeſcindet, ad cujus monumenta ac Palinuri lineas curſum ſuum dirigunt, genuini artis et ſcientiarum filii, ut videre licet ex tot autoribus et exemplis. Vnum ſuperaddere allu-

beſcit, quod in viro, muneris autoritate apud nos non incognito et quod notandum, ſeptuagenario majore, me obſervaſſe memini, penes quem aliquoties imminente AEquinoctii vernalis commutatione, quantocyus levi brachii alterutrius motu muſculorum fibras intenſiores animadvertimus, ſinceri ſanguinis per cutis poros inſtar ſudoris proventus ſubſecutus, ut interdum brachialia et connexa iisdem circa manus plicata linteamina, ex transſudante rubicundo latice maculata fuerint et reſperſa. Cujus et aliarum ſanguinis evacuationum ſpontanearum cauſam vel in ſanguinis effervescentiam, vel copiam, acredinem, ſeroſitatem, reſtagnationem, vaſorum item imbecillitatem et laxitatem eſſe reſpective referendam, nemo facile dubitaverit, ut illuſtris et Magnificus Praeſes noſter in doctiſſima ad Joh. Hellvvigii Obſervationum Phyſico-Medicarum Obſervationis CLIII. annotatione uberius meminit.

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. Gothofredi David. Mayeri.

Caecitas ſubitanea ex uſu Mercurii dulcis.

IN Religioſo quodam ad purgandum corpus vernali tempore Pilularum Mercurialium doſin convenientem exhibenti mihi hoc evenit inexpectatum phoenomenon, ut quanquam regiminis legibus bene obtemperaſſet in omnibus, finita laudabili alias operatione, caecus tamen factus fuerit ſubito patiens et remanſerit ita, donec repetito alio mercuriali laxante eundem denuo dejectionibus quibusdam infenſi hujus hoſtis injuriis liberaſſem, cauſam ſubitanei hujus affectus malae Mercurii dulcis praeparationi adjudicans, utpote qui particulis ſuis, cumprimis ſi ☿um ſublimatum, qui ipſi ineſt, reſpiciam, ſine dubio non ſatis unitis, ſed inconſulta praeparatione potius divulſis, corroſivorum ſpiculorum beneficio, nervoſis maxime partibus contrarius extitit, quas irruendo, quin imo humores ſeroſos agitando et liquando, nec

non

non ipſas ſolidiores ſubſtantias corrodendo, ad hanc et aliam morborum ſpeciem producendam diſponere poteſt et ſolet, quod ſine dubio in praeſenti caſu inſufficienti ſublimati ſaturationi et nauſeoſae corroſivitatis obtuſioni, quam guſtus mature prodit, adſcribendum.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. Gothofredi David. Mayeri.

Crepitatio Oſſium in gravida.

FOemina XXVII. circiter annorum, parentibus mediocriter ſanis orta, ipſaque ad pubertatis terminum bene valens, ſub id tempus de dolore corporis oſteocopo queri coepit, intercurrentibus interdum doloribus et pruritibus vagis et ambulantibus. Ingraveſcente per aliquot annos malo, maculae hepaticae cutem defoedarunt, cum pruriginoſo formicationis ſenſu. Sanguis venae ſectione emiſſus ſpiſſiſſimus, ſupernatans ſerum ichoris inſtar exhibebat. Tandem tertium gravida inſueto hoc ſymptomate primum affecta eſt, ut quoties membrum aliquod corporis flecteret, aut quocunque fiat modo, pandiculatione crebra pertentata, moveret, toties commotorum oſſium capita, quaſi nuda eſſent, aut cochlea intorquerentur, inter ſe attrita, ſtrepitum ingentem ederent. Porro cum lecto decumberet, ibidemque e latere in latus ſe devolveret, a vertebrarum colliſione, tanquam a ſceleto aſperius tractato, crepitatio ingens vel ipſam affectam perterrefaciens exaudiebatur, eodem plane modo et ordine, quo celeberrimuss *Williſius Tractatu de ſcorbuto* c. 9. crepitum oſſium deſcriptum reliquit, qui ſymptomatis hujus cauſam immediatam oſſium ariditatem nuncupat, ſive medullae, ut ibidem loquitur, ita proprie dictae, quam intra oſſium cavitates, ac imprimis capita ipſorum, contineri oportuit, defectum. Nam ſicut quaevis oſſa medullam ſive humorem unctuoſum aut cavitatibus magnis, aut poris et meatibus

exiguis ubique excludere aſſerit, ita hujus uſum talem eſſe ſtatuit, tum ut oſſa eodem humore irrigata, minus fragilia evadant, tum inſuper, ut humor iſte, oſſium nodis exſudans, articulos quosvis, velut machinae commiſſuras, pinguedine linitas, lubricet, eorumque adeo motus facilitet; quare oſſium capita, hac medulla deſtituta, crepare non ſecus ac currus rotae rarius inunctae, rationibus pluribus ſuffultus loco citato affirmat, idem fere ſentiente clariſſimo Dethardingio, in Continuatione Parallelismi Ephemeridum Medico-Phyſicarum Cent. I, et II. Append. pag. 196.

Vratislavia Noriberg. d. 20. Maji, An. 1718. miſſae.)

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. Erneſti Gottholdi Struvii.

De ſuppreſſione urinae ex deglutito bufone.

RUſticus in pago vicino in horreo ſuper foenum recens ſecure dormit, expergefactus a ſomno, ſtrangulationis tanquam a bolo in faucibus haerente ſentit moleſtias, quae tamen citra aliquid mali cogitando coacta et repetita deglutitione ceſſarunt; extemplo vero inde torſiones ventriculi, quibus etiam ſopitis ſubſequente nocte plenariam ſed dolorificam ſuppreſſionem urinae incurrit, calculum eſſe perſuaſus per nuntium me conſulit, praeſcribo pulveres aliquot, ſalino cinnabarinos ad expediendos ſpasmos, vix unum vel alterum intra bihorium abſumſerat, vomitus ſuperveniunt vehementes, iisque bufo vivus ingentis magnitudinis ejicitur, qui ſine dubio praecedenti die dormienti in os irrepſerat.

SCHOLIUM.

DIgnam putavi hanc obſervationem, ut infererem ad indagandam curioſius connexionem hujus ſymptomatis, ſcilicet ſuppreſſionis urinae et deglutiti bufonis. Nec enim conſenſus ventriculi

culi et veſicae allegari poteſt, nec peculiaris vis a veneni bufone emiſſi utpote juxta hiſt. morb. Vratisl. Tom. 2. p. 156. iſchuriae a venenis nobis prorſus ſunt incognitae, nec apud alium Autorem legere memini ſimilem caſum, niſi quod Paulini in bufone curioſo p. 67. ex Leonelli Faventini praxi allegaverit hiſtor. ardoris urinae ex eſu ranarum, quae ſe cum bufone miſcuerant. Vt taceam pulveres bufonis exſiccati vel combuſti inter diuretica militare omnium Autorum conſenſu.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. Erneſti Gottholdi Struvii.

Thermoſcopium vegetabile.

QUid phyſica experimentalis mechanica praeſtiterit in inveniendis machinis Thermometricis, notum abunde eſſe puto, alias in compendio videri poteſt Valent. Muſ. muſ. Tom. 3. cap. 4; ſed quae natura nobis in regno vegetabili exhibet ſponte Thermometra, nemo vel non niſi leviter attendit. Alia jam exempla ut praetereamus, quae in tulipis aliisque floribus occurrunt, calicem ſuum floriferum calidiori tempeſtate expandentibus, frigidiori contrahentibus, ex Stiſſeri Botanica curioſa pag. 59. hac vice allegabimus calendulam humilem Africanam, quae ipſo teſte inſervire poteſt loco indicis tempeſtatum. Haec enim planta (inquit) habet flores elegantiſſimos, qui calido et ſereno coelo ſeſe aperiunt, frigidiori contra ſeſe conſtringunt, idque ordinarie de nocte: hinc ſi frigidus exſpectandus fuerit dies, fruſtra expanſionem florum deſideraveris. Cui ſubjungere licebit ex Heucheri nov. provent. hort. Academ. Wittenbergens. An. 1713. p. 43. de bulbo coronae imperialis: Obſervatum eſt (verba ejus ſunt) caeteroquin a coronae bulbo praeſagiri et praemonſtrari temporum vices. Ubi enim is caulem trudit, deſiiſſe frigora ſignificat, erutus quoque et ſicco loco repoſitus, ubi fibras mittit, imminentes pluvias frigidioremque tempeſtatem praenunciat.

Curio-

Curioſis Botanicis plura exempla ſuggerere ex regno vegetabili facile fore non dubito.

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. Erneſti Gottholdi Struvii.

Parallelismus Obſervat. Nat. Cur.

IN centuria quarta obſervat. 199. excellentiſs. Dom. Thomaſius Theam roſeam depraedicat folia ſcilicet fruticis roſae tenertima et ob odoris fragrantiam et ſaporis ſuavitatem pluribus commendat. Ante ipſum ejusdem laudes legere licet apud Koënigium regn. veget. pag. 1053; nos (inquit) affinitatem magnam foliorum Theae et foliorum roſae ſylveſtris ſive Cynosbati obſervavimus, foliaque hujus foliis origani onitis mixta pro ſuccedaneo Theae ſaepis inſigni cum fructu etiam hoc momento, quo haec ſcribimus, uſurpavimus. Caeterum quantum viribus pulveri foliorum herbae ſylveſtrium roſarum tribuat Boccone, notum eſt ex ejus obſerv. cur. x. in qua ſub nomine Sanatodes pulverem hunc tanquam alcali vegetabile univerſale prae omnibus antacidis cruſtaceis et mineralibus extollit.

Centuria v. obſ. 66. Novum et efficaciſſimum remedium arthriticum in radice ariſtolochiae rotundae exponitur, et quidem cum celeberrimus Autor obſervationis ex veterum monumentis nullum Autorem praeter Gallenum allegari poſſe autumet, qui huic radici ſpecificam in arthritide vim attribuerit, liceat pace clariſſimi viri addere teſtimonium Macri, (ſi quidem veteribus annumerandus eſt,) qui de viribus herbarum lib. 1. cap. 36. ita canit;

Si mixta potatur aqua, febresque malignas
Hoc potata modo fertur compeſcere mire.
Sic etiam ſpasmis ſuperaddita ſubvenit hauſta:
Et ſedat duram, ſic ſaepius hauſta, podagram.

Centur. VI. obſ. 50. Hoc modo veneris virtus antivenerea elucet etiam in vitriolo albo, de cujus virtute ſalivatoria illuſtr. Wedelius Amoen.

Amoen. mat. med. p. 463. Sic novimus quosdam cum ſucceſſu uti vitriolo albo ſaltim ad granum unum quotidie dato, ſine ſalivationis minori indicatione, quo facto et per aliquot dies continuato blanda quaedam ſalivatio oritur, cum ſucceſſu. ⊕lum enim eſt emeticum, doſi juſta datum, minori vero continuatum, cum movere vomitum non poſſit, ſaltem ſalivam in os movet, uti id ipſum fit in vomiturientibus. Pariter etiam in Weisbach. lib. Pract. med. pag. 300. legimus de Helvetio juniori, quod novam ſalivationis methodum inveniſſe jactaverit, nempe duo vel tria grana vitrioli veneris pro doſi praebendo.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. Erneſti Gottholdi Struvii.

Febris Petechialis tumore critico cervicis ſoluta.

NObilis triginta annorum corripitur febre petechiale a chirurgo more ſolito venaeſectione, vomitoriis Bezoarticis aliisque tractatur, rebus tandem deſperatis viſis veſicatoria tanquam ultimum aſylum adhibentur in nucha, citra effectum veſicantem, omnia in dies deteriora decimo demum die in conſilium vocatus, ipſum ſub lipothymiis, anxietatibus cordis, viribus prorſus proſtratis et graviſſimis ſymptomatibus oppreſſum in extremo quaſi agone invenio. Datis quae videbantur neceſſaria inter ſpem atque metum aliquot dies decurrebant, usque dum decimo quarto die tumor in nucha eo loco, quo veſicatorium ante octo dies citra effectum applicatum fuerat, apparebat, ſymptomatibus graviſſimis ſtatim ceſſantibus ſpes reconvaleſcentiae redibat, et ipſe tumor maturantibus alexipharmacis debite tractatus intra aliquot dies feliciſſime ſuppuratus morbum penitus ſolvebat. In ſuſpenſo manet, num veſicatorium lento ſtimulo criſin ad hanc partem evocaverit, an vero natura parotides hiſce febribus familiares intendens ad iſtum locum declinaverit.

(Prinslavia Auguſtam Vind. d. 1. Jul. An. 1718. miſſae.)

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. Joh. Melchioris Verdries.

De Arena conchifera Moguntina.

EXcellentiſſimus Hector III. noſter in Ephemer. Centuriis prioribus Obſervat. CLXXV. et Centur. VI. Obſervat. XXXVII. elegantem obſervationem de Arena conchifera Heidenheimenſi in medium protulit, et rationes habuit non contemnendas, quamobrem eandem Curioſis, ad originem tot millium millionum exilium conchularum in hoc monte coacervatarum inveſtigandam commendaret. Cumque ſimile quid in monte quodam Moguntiae proxime adjacente, qui vocatur der Hauptſtein / ipſe non ſine magna admiratione viderim, non ingratum fore Curioſis exiſtimavi, ſi obſervationem dictae modo parallelam hic adferrem.

Duo jam praeterierunt anni, cum negotia quaedam prope Moguntiam expedienda mihi eſſent. Commorabar aliquot dies in ipſa urbe celebri, et ita occaſionem nanciſcebar ad perquirendas antiquitates et monumenta veterum in hac et prope hanc urbem multum celebrata. Occupati, tum temporis, erant Moguntini in exſtruendis munimentis quibusdam novis, diverſis in locis editioribus. Has operas ut inſpicerem, cum Amicis exſpatiabar, atque primo in monte, cui ſacellum S. Albani inſiſtit, mirabundus intuebar, qua ratione operarii, qui ex foſſa noviter exſtruenda terram effodiebant, plurimos ſarcophagos lapideos, ex crudo lapide arenoſo excavato conſtantes, oblonge quadratos, ac tabula lapidea, ex ſimili crudo lapide, tectos, producerent, in quibus ſceleta humana adhuc integra cum pauca calcis vivae quantitate et pauxillo pulverulentae terrae conſpiciebantur. Obſervabam etiam plures ejusmodi ſarcophagos e lateribus foſſae adhuc prominentes, unumque hinc inde ſuper alium poſitum. Gradum deinde promovebam ad montem ab alio latere

latere urbi imminentem, quem vocant, den Hauptſtein; et cum, ſub radicem illius montis, forte lapides hinc inde projectos perluſtrarem, occurrebant nonnulli ex minimis conchulis univalvibus diſtincte ſatis obſervandis coagmentati: in progreſſu alios reperiebam, qui ex conchis majoribus bivalvibus conſtabant. Cum vero in verticem ad operarios perveniſſem, adſtupeſcebam ingentem cumulum ejusmodi lapidum ex minimis conchulis compoſitorum, e terra modo effoſſorum, pariter ac acervum maximum conchularum exilium, quae loco arenae cum calce viva, pro caemento murali, permiſcendae operariis inſerviebat. Ingens totius cacuminis moles ex conchis illis compacta videbatur. Cum poſtea microſcopiorum accuratiorum adjumento arenam illam perluſtrarem, nil fere niſi conchulae et fruſta conchularum matris inſtar perlarum nitida, occurrebat, quibus hinc inde lanugo quaſi quaedam arenoſa adhaereſcebat. Omnes illae conchulae in cacumine repertae erant, quantum ego quidem perſpicere potui, turbinatae, et ita exiguae ut ex illis, quae prae reliquis in oculos incurrunt 42. ad 60. granum pondere exaequarent: reperiuntur tamen inter illas innumerae multo minores, minimae.

Durae ſatis ſunt texturae et minus longe, quam adhaereſcens lutoſa ſubſtantia, friabiles.

Cum aceto actutum ebulliebant,

Cum ſpiritu vitrioli multo magis,

Cum ſpiritu nitri vero maxime.

Adhaerens arenoſa lanugo confeſtim ſoluta erat, ad conchas vero et fruſta conchularum ſolvenda aliquantum temporis requirebatur.

Solutio cum ſpiritu vitrioli facta poſt elapſas 15. horas ſtrepitum adhuc notabilem auribus offerebat, quod et Excell. Camerarius obſervaverat.

Sub ſolutione cum ſpiritu nitri fumi flaveſcentes exſurgebant, et maſſa ſoluta ad flavedinem vergebat, dum maſſa cum ſpirit. vitriol. ſoluta plane albicaret.

Cauſam ſane non quaeſivit, ſed invenit candidiſſimus Hector noſter, quamobrem ad originem harum conchularum paulo penitius perveſtigandam curioſos invitaret. Neque ego, ut ingenue fatear, invenire hic poſſum, quod ex ommi parte mihi ſatisfaciat. Genitas illas hic fuiſſe tanta in copia ex certis ſeminiis, eo difficilius adducor, ut credam, quo pluribus vexatiſſimis dubiis, ſententia de ſeminibus mineralium, plantarum animaliumve ſeminibus ſimilibus ab illuſtr. Tournefortio ſpeciatim propoſita impedita eſt. Deinde redit quaeſtio, quis ſeminia illa hic coacervaverit? Si quis regereret, unam conchulam ex alia continuo genitam, donec ita multiplicatae fuerint: ſupereſt tamen quaeſtio, cur hoc praeciſe in loco, et non ubique fere, ubi conchulae in terra reperiuntur et ſine impedimento propagantur ſimili modo, multiplicentur? cur multiplicatio jam ceſſet? cur ratione magnitudinis nulla amplius augmenta capiant? Quodſi enim adhuc multiplicarentur et creſcerent, mons ille brevi temporis ſpatio ultra modum augeretur. Nec inſuper plane habendum exiſtimo, quod doctiſſimus Conringius urget, *de antiquiſſ. ſtatu Helmſtadii et viciniae*, p. 31. *prudentiae naturae rerum*, vel potius ſumme ſapientis Auctoris, qui naturam inſtituit, *nimium adverſari, teſtas*, in ordine naturae, *producere in nullius animalis teſtati operculum, ſed duntaxat quaſi in luſum inanem.* et *p.* 37. ubi de lignis ſubterraneis ipſi ſermo eſt: *prudentem rerum naturam non ſolere corpora condere* ὀργανικὰ *in nullum vitae uſum.* In diluvio vel univerſali vel particulari has conchulas confluxiſſe, ſecundum laudati Conringii, Stenonis, Woodwardi, Scheuchzeri, Bayeri mentem et principia, lubentius crediderim: ſicuti argumenti illius vim, quod, quae in altiſſimis montibus reperiuntur, marinorum conchyliorum teſtae liquido oſtendant, mare quondam aquis ſuis cacumina illa altiſſima inundaſſe, olim agnoviſſe Herodotum, Strabonem, Polybium, Melam, Ovidium, Solinum, Philonem, Plutarchum, Tertullianum, Iſidorum, auctor eſt Conringius. Illud tamen altioris videtur adhuc indaginis, quomodo tot myriades myriadum conchularum, non

ſpar-

ſparſarum per montis ambitum, ſed ipſam ejus molem formantium incredibilique copia omnem imaginationem fere eludentium, verbis Excell. Camerarii, in unum ſic fuerint compulſae? Licet enim et in gravitate horum corpuſculorum ſpecifica, et in maris vel in gyrum agitati, vel alia de cauſa verſus unum locum undiquaque confluentis ac innatantia corpuſcula eo convehentis motu reperire liceat, quo modum quendam menti ſiſtere poſſimus, quo fieri illud potuerit; nimia tamen copia non immerito quem ſuſpenſum teneat. Ego, quantum ſpeciatim ad hanc arenam attinet, rem in medio, ulterioríque curioſorum penſitationi relinquo.

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. Jo. Melchioris Verdries.

De

Veſicatoriorum uſu in variolis, et V.S. in morbillis.

CVm ſub finem ſuperioris et initium hujus anni variolae magnam, inter infantes imprimis, cum in ipſa urbe noſtra, tum in vicinia, ſtragem ederent atque in iis, qui feliciter adhuc evaſerant, notabiliſſima malignitatis veſtigia in oculis et articulis plerumque relinquerent, nihil utile magis deprehendi, quam veſicatoria, in tempore, nuchae, vel pone aures applicita, ita enim et menti ſuus conſtabat vigor, medicamenta interna efficacius multo deſideratum effectum producebant, excretio promte procedebat, et oculis ſimul proſpiciebatur. Neque enim, niſi pauciſſimos, qui tamen vel rachitide vel aliis chronicis morbis jam fracti ac debilitati erant, novi, qui, poſt uſum in tempore inſtitutum atque legitimum veſicatoriorum, non neglectis tamen internis remediis, bezoardicis nempe fixis pauxillo myrrhae exaltatis, nitratis, et ſimilibus, ſuccubuerint, aut oculorum etiam vel articulorum vitia ceperint.

Diarrhoeam etiam modicam in principio accedentem et ad maturationis usque dies protractam, vel etiam incipiente jam maturatione ſupervenientem ſalutarem in plurimis expertus ſum.

Caeterum quod ad veſicatoria hic attinet, ratio in promtu eſt, ſtimulo enim ſic excitata natura, genus nervoſum intenditur, tonumque ſuum, ob ſanguinis aeſtuantis expanſionem aliquo modo dejectum, recuperat, quo ipſo acrius contra morbum inſurgit, et quicquid morboſi reperitur promte, excernit. Vnde jamdudum uſu medendi eminentes Medici veſicatoriorum uſum in variolis, ſpeciatim ubi retrocedentes revocandae ſunt, et quidem in brachiis ac femorum parte interiori, inculcarunt. Vid. Borrichius, in *Act. Haſn. vol. III. Obſerv. XXXVI.* Bohnius, in *Diſſert. de variolis An.* 1678. *habita.* Eum etiam in finem in febribus malignis petechialibus, inprimis quando petechiae evaneſcunt, felici ſucceſſu in uſum ſemper a practicis prudentioribus vocari ſolent.

Par ratio eſt in Morbillis, in quibus etiam illud, quod experientiſſimus Sydenhamius *de Morb. acutis S. IV. cap. V.* de venae ſectione prudenter inſtituenda monuit, feliciſſimo eventu veriſſimum expertus ſum, non quidem in infantulo, ſed in foemina partui proxima; quae cum morbillis graviter decumberet, atque iisdem jam undiquaque conſperſa, accedente Dyſpnoea in magnum vitae diſcrimen adduceretur, ita quidem ut, oculorum labefacto vigore, vocis etiam uſus jam interciperetur, clar. Dn. Collega, D. Henſingius, *Prof. Medic. extraordin.* mecum e veſtigio conſilium cepit, atque venam aperiri curavit, qua aperta liberius reſpirabat, vocis uſus redibat, et morbilli confertim effloreſcebant, tanto cum ſucceſſu, ut paulo poſt his non ſolum, ſed et puerperio feliciter defungeretur.

OBSER-

OBSERVATIO XC.

Dn. D. Jo. Melchioris Verdries.

Juvenis Phthiſici Anatome.

JUvenis viginti ſex circiter annorum, habitus gracilioris, naturaeque debilioris, ad animi deliquia pronus: caeterum utcunque bene valens, in patria primum, deinde in extranea quadam Academia ſtudio medico cum inſigni fervore ac ſolicitudine incumbens, nec forſan diaetam, quam natura ipſius requirebat, accurate ſatis obſervans, pectoris anguſtias et reſpirationem difficiliorem cum tuſſi moleſta ac debilitate inſigni inopinato experitur, obrepente ſubinde lipothymia totiusque corporis habitu conflaceſcente. Hiſce malis per quatuor fere menſes divexatus, de conſilio excellentiſſimorum Praeceptorum ſuorum, Profeſſorum celeberrimorum, aëris mutationem ipſi profuturam ſperantium, in patriam redit, melius aliquantum jam habens, anhelus tamen adhuc, tuſſiculoſus, marcidus ac valde debilis, manifeſtaque phthiſis pulmonalis ſigna oſtendens. Patriae redditus optima quaeque ſperabat, confiſus, fore ut in aëre conſueto, patrio, convenientium remediorum uſu convaleſceret, inprimis cum non tam phthiſin, quam alium inſultum quendam cachecticum hoc eſſe mali genus, credere mallet. In hac ſpe eo magis erigebatur, cum paulo poſt pectoris anguſtiae et moleſtiſſima tuſſis haud parum remitterent. Recrudeſcebat tamen ſaepiſſime malum et aeger, nil obſtante optimorum remediorum uſu, magis atque magis contabeſcebat, vires fatiſcebant, et quicquid ſpei liberior reſpiratio oſtendebat, illud appetitus tandem dejectio, virium proſtratio et accedens diarrhoea colliquativa reſcindebant. Neque tamen rebus ſic ſtantibus Medici ipſi perſuadere poterant, phthiſi eundem laborare: quin potius credere malebat, quod animus exoptabat. Donec ſex circiter ante obitum hebdomadis magnam quantitatem ſanguinis

nis purulenti tuſſi rejiceret. Hoc quum fidem faceret dictis Medicorum; reperiebantur tamen, qui clam et ipſi aegro et conſanguineis meliora perſvadere et ſanitatem promittere ſuſtinerent, nil tabem conſummatam, nil faciem fere Hippocraticam, nil diarrhoeam colliquativam ſimiliaque peſſima indicia quicquam morati. Jam ab aliquo tempore omnia vomitu rejiciebat; praeſertim quando vini quid ſaltem deguſtaret, vomitus ingruebat. In dextro pectoris latere dolorem obtuſum diu ſe ſenſiſſe et hunc jam exacerbatum querebatur: Oeſophagum quaſi occluſum eſſe et in eo tumorem haerere in apoſtema tranſiturum ingeminabat. Satis tamen libere jam reſpirabat. Tandem cum quatuor vel quinque menſes ſupra annum cum morbo hoc conflictatus fuiſſet, inter ſpem reconvaleſcentiae ſemel conceptam et firmiter retentam placide obdormivit.

Quum copia mihi facta fuiſſet corpus ſecandi et in morbi ſedem inquirendi, primo

In exteriori habitu nil niſi cutim et oſſa conſpicere dabatur.

Cum pectus aperiremus, in dextro latere nullam cavitatem detegere licuit. Dexter enim pulmonum lobus totus infarctus, ſcirrhoſus, pluribus hinc inde tumidis ulceribus notabilem puris copiam fundentibus ſcatens, undiquaque pleurae, mediaſtino, diaphragmati firmiſſime cohaerebat, ut non niſi magna vi divelli poſſet.

In ſiniſtra pectoris cavitate omnia naturali modo conſtituta eſſe primo intuitu videbantur. Siniſter pulmonum lobus collapſus et primo aſpectu illaeſus apparebat; niſi quod lividus plus minus videretur. Quum vero manibus eundem contrectarem, ſtatim ſcirrhoſos quoque nodos atque tumores plurimos deprehendebam, qui cum cultro diſſecarentur, partim ſcirrhos, partim ulcuſcula puris plena referebant.

Cor ultra modum erat flaccidum atque inſtar aliorum muſculorum extenuatum.

Glandula, Thymus dicta, pugni magnitudinem exaequabat

tota ſteatomatoſa; quae ſine dubio moleſtiam in oeſophago produxerat.

Ventriculi membranae inſigniter erant attenuatae, ita quidem, ut quum manibus eundem contrectarem, facilime texturam perfringerem, et ſine negotio membranas, mollitie tantum non diffluentes in lacinias diducerem.

In reliquis viſceribus nulla ſenſibilis labes obſervari poterat. In Abdominis cavitate modica quantitas aquae flaveſcentis reperiebatur, quod in ejusmodi defunctis non inſolens eſt.

(Giſſà Auguſtam Vind. d. 10. Auguſt. An. 1718. miſſae.

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. Maximiliani Preuſſii.

Tumor Hepatis cyſtico-ichoroſus, et totius abdominis hydropicus, cum calculo Renem dextrum ejusque ureterem obſtruente.

CL. Sexagenarius ſanguineo - cholericus, ſenior hic Linteonum, poſt gravem, haud diu ante, lapſum cum equo, ſucceſſive patitur tenſivum, rodentem et punctorium ſubinde dolorem in regione dorſi et hypochondrii dextri cum tumore duro et inaequali in media hepatis gibbi parte, baſi tamen lata circumſcripto et ſingulatim, protuberante magis, ad 2. autem pugnorum magnitudinem tandem aucto et excreſcente, cui accedit porro intumeſcentia pedum ac totius abdominis hydropica cum tuſſi ſaepius inani, febreque et emaciatione hectica denique totius corporis ſuperioris. Sub quo rerum ſtatu per aliquod tempus debit. c. Tit. a Dn. D. Michaële Pauli, Medicinae Practico et Academico Naturae Curioſo celeberrimo, amico et collega aeſtimatiſſimo, convenientibus remediis ipſi proſpectum

fuit, usque dum d. 10. Januar. An. 1716. me ſimul in conſilium vocarent. Vbi dein junctim varia adhibuimus aperientia, diuretica, vulneraria, laxativa, anticachectica et antiphthiſica, tam interna, quam externa, cuncta tamen ut plurimum fruſtranea; ſeptimo autem Junii tandem placida morte extinguitur Aeger. Quo facto per Johannem Güntzelium, Chirurgum apud nos non incelebrem, corpus exanimatum cultro anatomico luſtravimus, et deprehendimus

1. Abdomen enormiter tenſum ac tumidum una cum ſcroto, et pedibus, ubi, facta primum inciſione ventris ſub umbilico, copioſiſſima et limpidiſſima mox lympha proſiliebat, utpote qua univerſa abdominis cavitas, una cum ſcroto in utroque ſepti ejus latere, immenſum quantum repleta erat, quemadmodum et femora pedesque abundantiſſime inde turgebant.

2. Renis dextri pelvim, a ſero non parum extenſam, et principium ureteris ejusdem calculus ingens duriſſimus ex bruno-flaveſcens, ac figura lambdoidea uncis 2. quaſi bifidus et obtuſus prorſus obſtruebat, pondere poſtmodum ſeſcunciam cum drachmis duabus aequans (ſ. $3\frac{1}{2}$ Loth.)

3. Hepar pallidum valde et exceſſive magnum, ita ut ad extremitatem fere ſiniſtri etiam hypochondrii pertingeret, in ſummitate quoad univerſam ferme circumferentiam tunica ſua adnatum arctiſſime erat hypochondrio dextro potiſſimum ejusque coſtis ſpuriis, de caetero autem in medio dextri ejus lateteris gibbi inſtar tuberis maxime elevatum, quem tumorem autem ſingulariter, baſi tamen lata, circumſcriptum poſtquam cultro aperuimus, cyſtidem vel capſulam in eo deprehendimus excavatam duos pugnos magnam et amplam, columnis aliquibus carneo fibroſis hinc inde interſtinctam et ſuffultam quaſi intus, de reliquo autem ſero ichoroſo liquido et copioſiſſimo refertam, niſi quod in fundo illius inſtar gelatinae purulentae ſpiſſeſceret et albeſceret nonnihil, parietibusque et columnis praedictis valde agglutinaretur.

4. Lien

4. Lien erat magnus, pallidus, et adeo mollis, ut digitis vel leviter attactus aut preſſus, hinc inde prorſus quaſi diſcederet ac diffluerct (ſive in Stücke zerfuhr.)

5. Thorace vero diſſecto pulmones vidimus muco ſpiſſo ex albo- flaveſcente ac purulento quaſi hinc inde repletos et turgidos.

Ex quibus praemiſſis facile judicare licet, per lapſum gravem cum equo jacta procul dubio fuiſſe primum fundamenta complicatorum hujusmodi affectuum calculoſo- hydropico- et purulento- phthiſicorum, dum hepar et ren dexter inprimis ſic valde fuerunt concuſſa et compreſſa, ut lympha aliquomodo cruenta, ac ſerum deinde in illis facile ſtagnarent, et prima puruleſceret ſenſim, alterum vero contenta ſua gravia, viſcida et arenoſo-ſabuloſa ſucceſſive ad fundum magis demitteret et conglutinaret in calculum ſolidum tandem et ſatis ingentem, unde ren intumefactus valde, concavam hepatis partem lymphamque ſic ibi ſtagnantem in majores ſemper anguſtias et retroceſſum quaſi ad convexam hepatis ſubſtantiam adegit, quae hinc fibris ejus partim in columnas quaſi magis extenſis, partim diſruptis, diffluentibus et excavatis, in loco plagae ſive lapſus procul dubio ſingulatim intumuit et capſulam vel ſacculum ichoroſum ſuperius deſcriptum formavit. Ex lymphaticis vero aliquibus tandem ruptis, et ſero a renibus non ſufficienter ſecreto excretoque, hinc autem in vaſibus arterioſis potiſſimum magis coërcito, coacervato, et extravaſato denique ex oſculis eorum extremis, hydrops reliquus totius abdominis et trunci inferioris quomodo fuerit generatus, facile cuivis obvium eſſe poteſt, nec non quomodo lien, tam diu in aqua ſalſa hydropica totius abdominis maceratus, adeo fuerit emollitus et extenſus, ut ad tactum levem inde diſſociaretur vel diffluerct quaſi. Lympha autem nutritia fere omni in aqualiculum tandem ſecedente et collecta, a reſidua ipſius portione pauca, ſpiſſa, acri, impura et purulenta maximam partem, pulmones non niſi in-

viſcari, erodi et ſuppurari, truncusque corporis ſuperior febre hectica et phthiſi ſenſim conſumi ac contabeſcere potuit.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. Maximiliani Preuſſii.

Affectus febrilis et convulſivus Proteiformis.

G. G. ſtannarii filius, undecim annos natus, ingenii alacris, temperamenti ſanguineo-bilioſi et habitus corporis tenerioris ac macilenti, ex rubro-flavo-pallidiuſculi magis, poſtquam ſexto Auguſti die An. 1717. ruri avidius paulo comederat cucumeres imprimis et mora rubi arvenſis, quae Kratz-Beeren vocant noſtrates, imo frigidam deſuper hauſerat, poſteaque progreſſu domum concitatiore corpus defatigaverat, ira inſuper valde inflammatus, eadem adhuc veſpera corripitur horrore et aeſtu febrili ſuccedentibus invicem, una cum fluxu alvi admodum torminoſo. Quae mala alternis dein diebus aſſidue redeunt cum typo febris tertianae, cui tamen, poſt acceſſum mulieris cujusdam ipſi exoſae offenſaeque ab illo, et imaginationem hinc firmam acicularum pungentium, loco vindiciarum mediante ſtanno caldario (Bettwärmer) ab ipſa allato, lecto ejus immiſſarum, ſomniumque mox horridum deſuper nocte inſequente de Melandro quodam terribili ipſi apparente, die hanc excipiente, 14. Auguſti ſcilicet, cum praeſenſu quaſi acicularum praedictarum punctorio in hypochondrio et inguine ſiniſtro (etiam ſub ſequentibus paroxyſmis ſemper fere obſervabili) accedunt una cum deliriis quibusdam motus convulſivi vehementes cum artuum violentiſſimis agitationibus modo ſurſum, modo deorſum, et brachii potiſſimum ſiniſtri verſus pectus, utpote quod continue ac vehementer illo percutiebat. Recurrebant autem et hi motus pariter alternis primum diebus, poſtmodum autem vagabunde, et quidem frequentiſſime, quotidie repetebant, magis magisque ſemper exacerbati phaſibus variis

et novis ſubinde, ita ut cum oris clauſura firmiſſima, crepituque interdum vertebrarum colli notabili, corpus totum opiſtotono arcus inſtar retrorſum flecteretur, modo emproſtotono iterum antrorſum curvaretur, nunc in altum totus puer quaſi elevaretur, mox parietes aſcendere aut lecto exilire conaretur, niſi vi et manibus adſtantium inde cohiberetur; aliis autem vicibus, viſu et auditu plane abolitis, enormi ac delirabunda vociferatione ac rotatione linguae, ore aperto, celerrima, frequentiſſima et anheloſa prorſus cum reſpiratione, imo cum ſuffocatione fere imminente, gulaeque conatu quaſi vomitorio, ſed inani, quem Göcken ſive Krecken communiter vocant, modo cantu vario et geſtibus capitis ac manuum feſtivis plane humiliſſimisque, ſubinde etiam digitis organum inſtar pulſantibus, aut plectrum in pandura hinc inde ducentibus, paroxyſmi variarent.

Aliquando etiam ſub clara diei luce oculis apertis et vigilantiſſimis foeminam ſuperius accuſatam, quam (utut quoad vitam famamque inculpatam, uti videtur, inſontem) pro ſaga habebat, ipſi apparere indigitabat, timoreque ac clamore terribili intimabat, ſciſcitando ab adſtantibus, an non et hi illam in loco digitis ab ipſo monſtrato ſedentem cernerent, quam nemo tamen praeſentem advertere potuit. Imo de puncturis quoque artuum ab aciculis quaſi, adeo firmiter imaginationi impreſſis, anxie conquerebatur ſemper paroxyſmis finitis, licet adſtantes durantibus convulſivis motibus, firmis manibus ipſum ſaltem prehenderant compreſſerantque. Univerſi autem motus hi anomali interdiu maxime ipſum affecerunt, cum nocte utplurimum remitterent, ut inſtar ſumme defatigati ſuavi ſomno tunc quaſi ſepultus decumberet. Hiſce ſic luſibus, utut ſatis ſeriis, integro menſis ſpatio continuatis, comoedia haec maximam partem finiebatur, ita ut ſeptimanae integrae intervallo ſurgere iterum et extra lectum degere poſſet, cum retractione tamen, inſtabilitate et claudicatione interdum pedis modo dextri modo ſiniſtri (qualem ingenuus ſane et generoſus medicus Sydenham in analoga aliquomodo chorea S. Viti deſcribit:)

imo cum trmore ſubinde artuum et ſtupore ſeu inſenſibilitate ad doloroſum etiam alias contactum per zwicken ſive contorſionem cutis violentam digitis arcte compreſſis et complicatis, judicioque inſuper et memoria tandem valde labefactatis, et impotentia mentis ad animi affectus et cupiditates iramque inprimis cohibendam aut moderandam, maxime reſidua, ceu ad quam ſemper pronus valde remanſit. Octiduo autem hoc elapſo paroxysmi ſpasmodico- convulſivi nihilominus aliquoties recruduerunt. Tandem denique vero et hoc poſtſcenium finitum, ut per integrum ſesquianni decurſum a malis praedictis immunis viveret, usque dum poſt Aequinoctium vernum anni praeſentis 1718. ex ira et voracitate inſatiabili paroxyſmis denuo convulſivis ac febrilibus infeſtaretur, a quibus tamen aſſumpto mane laxante blando ac veſperi deſuper pulvere abſorbente anodyno, infuſoque poſtmodum infra memorando per aliquot dies repetito, breviſſimo paucorum dierum intervallo penitus liberatus fuerit, niſi quod 28. Junii poſt guloſitatem nimiam, ſerio licet a me prohibitam ſemper, levi et brevi inſultu convulſivo iterum prehenderetur, mox tamen pulverum aliquot abſorbentium et cinnabarino - ſalinorum interno, ſpiritus autem C. C. et ſal. Ammon. externo uſu per Dei gratiam iterum ſublato.

Et haec ſummaria hactenus morbi ac ſymptomatum, adeo mirabilium fuerunt; quae curae nunc quoque ſummaria, quantum poteſt fieri, breviſſimis ſequuntur. Sub declinationem ſcilicet ſecundi paroxyſmi febrilis cum fluore alvi, ad Aegrum hunc demum vocatus, mox propinavi pulverem bezoardicum temperatum ac nitratum, pro ſudore ſpontaneo tunc proſequendo, die autem hunc excipiente extraparoxyſmali ad abſtergendas aliqualiter primas vias moderandumque ſimul fluxum alvi pulv. Rhabarb. Alexandrin. ℈j. ſed ſine euphoria notabili. Hinc ſequente poſt tertium paroxyſmum aurora, ductu quondam praeceptoris ſumme ingenui fideliſſimique, magnifici Bohnii (cujus manus et firmiſſima principia adhuc dum ſenex non ſatis exoſculari poſſum) Diſp. inprimis de praematura intermitten-

tium

tium fuga ſuſpecta §. 41. 43. 47. ejusque ac meis rationibus et experientia multiplici fidiſſima, ſucceſſuque exoptatiſſimo, pulverem emetico-laxantem, et quidem Rhabarb. ℈ß. cum ♀ri emet. gr. jß. M. exhibui, pro heterogeneo et peregrino illo moleſto ſive cauſa occaſionali et proxima ſimul, ad motus anomalos naturae (vel intentioni animae ſecundum alios) anſam vel ſtimulum neceſſario ſuppeditante, removenda ſive fomite morbi ſic eradicando, unde 5. etiam vomitus et totidem ſedes habuit. Cum autem nihilominus paroxyſmi praedicti alternis porro diebus conſtanter redirent, praeintimato pulvere bezoardico-antifebrili, et eſſent. ſtomachico-alexipharmaca illos iterum tractavi, usque dum poſt acceſſum mulieris ſupra dictae, ipſi ſuſpectae et exoſae, ſomniumque inſequens horridum, ac iram terrore hinc exceptam, 14. Auguſti, immediate poſt haec, illum invaderent deliria quaedam cum motibus ſupra intimatis convulſivis, maxime variis et atrocibus, ubi dein poſt clysmata lactea abſtergentia et revellentia, ſive potius divertentia blande, nonnunquam applicata; adhibui potiſſimum pulveres antiſpasmodico-cinnabarinos et ſalinos, cum ſulphure lycopodii interdum remixtos, it. Liq. C. C. ſuccinat. ac eſſent. rorismar. caſtoreatam, interpoſitis etiam ſubinde alternis vicibus laxantibus blandis et nocte inſequente anodynis, liquore puta anodyno Hofmanni, aliisque. Imo ob repetentes pertinaciter paroxysmos convulſivo-febriles, tempore ab illis feriali chin-chinata tandem etiam in uſum vocanda fuerunt, non omiſſis praeterea variis externis, frictionibus, ligaturis, inunctionibus ſpinae dorſi &c. it. Emplaſtro de caranna plantis pedum applicato, nec non venae ſectione medianae brachii dextri ad ℥iij. aliquando inſtituta et poſt aliquot ſeptimanas ſemel repetita, ceu a Sydenhamio expertiſſimo oper. in 8o. edit. Lipſ. p. 248. 662. 744. in affectu aliquo modo analogo adeo commendata et conducibili deprehenſa, Sanguis autem egrediens t. t. rubro obſcuri valde erat coloris et, poſtquam ſteterat aliquandiu in vaſe, grumum conſimilem exhibebat mediocris conſiſtentiae, multoque ſero circumfluum.

Quo

Quo emiſſo paroxyſmi praedicti etiam longe mitiores facti rariusque repetierunt. Cum vero inſultus febriles plane ceſſaverant, ad ℥.iij. mane et veſperi propinavi infuſum Sydenhamii contra choream S. Viti p. 745. Octiduo continuo ſingulis 8. diebus, uno quidem ſemper cum vino Canarienſe, altero autem cum Aq. ſive calida inſtar infuſi Theae paratum et parum edulcoratum ſubinde. Quo facto per integrum etiam octiduum ab 8vo ſeptembri computando paroxyſmus convulſivus prorſus ceſſavit, ita ut e lecto ſurrexerit Aeger ac veſtibus ſuis indutus in hypocauſto hinc inde deambulaverit nonnunquam, cum retractione tamen, inſtabilitate et claudicatione pedum ſubinde, tremoreque et ſtupore artuum, reliquisque ſymptomatis fuſius ſupra recenſitis. Infuſo autem praelaudato exhauſto et conſumto, ductu celebrati modo Sydenhamii l. c. ſubjunxi uſum potiunculae laxativae ex aq. laxat. Mannaget. Vienn. ℥j. ſal. eſſential. 🜿ri ℈ß. ſyrup. Regii D. Caſtri (qui ex infuſo blande ſennato cum manna et ſaccharo paratur) ac ſyryp. de cichor. c. Rhab. aa. ʒij. paratae, ex qua 5. etiam ſedes blandas cum euphoria habuit. Die tamen poſt laxans inſequente, ſub larva debilitatis artuum praedictae, ut anguis in herba, adhuc latentes, inſultus antiqui iterum redierunt, et quidem primo ſpasmodici ſaltem, ſequentibus autem diebus et motus convulſivi atrociſſimi, qui tamen, in uſum vocatis denuo pulveribus aliisque antiſpasmodicis ſupra laudatis, una cum clysmatibus lacteis appropriatis, poſt Aequinoctium autumnale 24to Septembr. iterum ceſſarunt feliciter. Interea temporis commendatum a quibusdam remedium aliquod empiricum, ceu quod multis in affectibus conſimilibus, reliquis omnibus licet irritis praeſentaneum et firmum praeſtiterit auxilium, decoctum ſcilicet pulveriſatae, ut videbatur, herniariae in vino rubro Budenſi ſtyptico blande, mane et veſperi per aliquot dies ad cochlearia 2. vel 3. calide propinatum, cum expectatione ſemper blandi deſuper ſudoris. Quod ipſum proinde admiſi, cum intentioni ſanae rationis et experientiae, Sydenhamii inprimis p. 662. l. c. non adeo contrarium videre-

dere-

deretur, ad roborandum ſcilicet iterum tonum nervorum, cerebri et viſcerum reliquorum, per tot et tam diuturnos motus convulſivos nimis hactenus relaxatum; nervorumque potiſſimum coanguſtandos aliquo modo meatus aut poros, vel principia et orificia, aut involucrorum eorundem a meningibus formatorum interſtitia (ab Excell. D. Pauli in annotat. ad Horn. opuſcula anatomica p. 159. omnium optime deſcripta) ſic valde extenſa et ampliata, ne humores porro admitterent vitioſos, alias praeternaturaliter in illa hinc facilius magis irruentes, illaque comprimentes vel obſtruentes & ad varios anomalos motus univerſum nervorum genus hoc modo irritantes. Uſurpato proin aliquandiu hoc decocto longe robuſtior in artubus factus, immunisque iterum a paroxyſmis praedictis per aliquod tempus vixit, usque dum d. 13. Octobris, conſueta denuo voracitate et ira praegreſſa, recidivaret iterum paroxyſmus cum ſpasmis potiſſimum gulae et ſpontaneo conatu ſaepe ad vomendum, licet inani, quem Göcken vel Krecken apud nos vocant, ut ſuperius pluribus jam innui ac deſcripſi. Quare ob ſymptoma hoc et conatum naturae indicantem, iramque et guloſitatem proxime iterum progreſſa, ad fomitem recidivae adeo frequentis denuo et funditus ſic magis eradicandum et evellendum quaſi, ubicunque tandem haereret, licet contra culpandum quorundam morem, exiſtimationem et famam ſecuritatis propriam ſaluti aegrorum in caſu deplorato alias, generoſo, licet dubio aliquomodo, remedio quandoque adhuc ſalvandae, longe praeferentem, conſilio tamen doctiſſimorum et expertiſſimorum quorundam medicorum rationalium ſive dogmaticorum, Freindii potiſſimum comment. de Febr. p. 157. et Nenteri fundam. medic. p. 258. animum tandem induxi; ut d. 15. Octobr. aegro propinarem ♀ri emetic. gr. ij. cum pauxillo ſacchari miſta, unde et 7. vomitus ac 5. ſedes maxima cum alleviatione expertus eſt. Et quamvis poſtmodum paroxyſmus convulſivus per aliquot adhuc reverterit dies, propinato tamen aliquoties iterum decocto praelaudato in vino Budenſi, 18vo Octobr. prorſus denique

ceſſavit, urina etiam citrina, cum ſalibus in lateribus et fundo vitri ſecedentibus, judicium perfectae ſanitatis nunc indicante et confirmante ſatis. Et licet praegreſſo iterum terroris et irae affectu tertio Novembris immediate ſub ingreſſum novilunii paroxyſmus levior iterum concitatus fuerit, perendie tamen exinde remiſit prorſus, ut per integram hyemem liber plane ab illo vixerit aeger. Appropinquante demum aequinoctio verno Anni 1718. ductu iterum Sydenhamii p. 745. ad praecavendum ſtato tempore morbi recurſum, d. 19. Martii exhibui pulverem meum ſalino-laxativum blande, unde ſex vicibus alvum purgavit et ſemel vomuit, nocte autem deſuper antiſpaſmodico-anodynum optimo cum ſucceſſu ſubjunxi. Sed hoc non obſtante, poſt comeſſationem iterum copioſam et jurgia deſuper cum fratre habita, 29no Martii corripitur iterum inſultibus febrilibus et convulſivis, quibus pulveres aliquot abſorbentes et antiſpaſmodicos ſuperioribus analogos oppoſui, 30. Martii tolerabilius habuit, 31mo vero poſt meridiem horrendi nihilominus accedunt iterum inſultus epileptico-ſpasmodici. Quare inſequente hunc primo Aprilis ſub diluculum ipſi porrigo Aq. laxat. Vienn. ℥j. ſal. eſſential. ſive arcani ♀ri Sennerti ℈ß. et ſyrupi regii unciam dimidiam. Bihorio hinc elapſo, ſpaſmo et ſtupore quaſi correptus, ultra horae ſpatium inſtar demortui inſenſibilis prorſus jacuit, poſteaquam vero evigilavit, ter ventrem blande levavit, cum euphoria et ceſſatione omnimoda affectuum convulſivorum, repetitoque poſtmodum uſu per aliquot dies decocti herniariae in vino rubro Budenſi, brevi per Dei gratiam ſanitati perfectae reſtitutus fuit, ſine ullo incantationi, a quibusdam accuſatae, oppoſito directe remedio.

Licet autem ſerio ſemper monuerim, ut a voracitate et ira ſibi temperaret, poſt ingurgitata tamen ſaepius nimia edulia, 28vo Junii paroxyſmo iterum aliquomodo convulſivo prehenditur, mox tamen ceſſante iterum, poſt propinatos ad cruditates digeſtionis incidendas et abſtergendas pulveres aliquot ſalino-abſorbentes et cinnabarinos, naribusque et nuchae exterius appli-

applicato ſpiritu C. C. 🜍xato, ita ut longo hactenus tempore a morbis hujusmodi immunis plane vixerit. Faxit Deus et in perpetuum! Itaque et hic Hippocratis prognoſticum eventus confirmavit, quod convulſio in febre contingens perniciosa ſit, minime vero pueris, juxta Coac. praenot. Q. 3.

Quibus nunc praemiſſis, facile cuilibet patere poteſt, poſt fructus horarios frigidamque deſuper hauſtam, tanquam corruptibilia valde in ſtomacho et corpore intus calente, inſecuto mox motu et ira, ſanguinem et corpus univerſum magis adhuc actuantia et calefacientia, ne dum brevi poſt accedente adhuc terrore et impreſſione falſae imaginationis firmiſſima pertinaciſſimaque, hincque ortam cacochymiam et inquinationem nec non irritationem tum primarum primitus viarum, tum et poſtmodum maſſae totius ſanguineae et inde dependentium fluorum, imo generis hinc inde nervoſi et muſculoſi (absque incantationis, falſo a quibusdam incuſatae, indiciis fundamentisque ſufficientibus, aut neceſſaria ideo ſuppoſitione) natam primo fuiſſe febrem tertianam cum diarrhoea aliquali, principio quidem ſimplicem, mox vero duplicem, cum motibus tandem convulſivis proteiformibus prorſus, ſecundum diverſitatem nervorum et muſculorum, modo horum, modo aliorum, vel in principio, vel medio, aut extremitatibus hinc infeſtatorum, et ad contractiones motionesque varias ipſis proprias ſtimulatorum; quae quidem fuſius ac ſpecialius ſecundum ſeriem tot phaenomenorum determinare ac deducere vix poſſibile, ne dum utile aut neceſſarium adeo videtur, cum ſane diverſitatem vix faciat medendi, vel ad praxin ſpecialius applicari haud poſſit, quo omnis tamen reſpectus theoreticus, ni vanus et oſtentatorius ſaltem ſit, tendere ac terminare tandem debet; quoniam ſi, ut Chriſtianos Medicos decet, faſtu noſtrûm proprio omni ſepoſito, verum ingenue fateri velimus, ob varietatem, ne dicam contrarietatem tantam, vix ullo unquam modo ac conatu tollendam et finiendam, ſpeculationum opinionum et hypotheſium ſecundum tot ſenſus fere, quot capita hodie utplurimum praeconceptarum,

rum, imo et obſervationum et experientiarum ratione eorundem prorſus remediorum, juvantium alios, aliis vero nocentium, plurimis licet pariter ac iisdem pene circumſtantiis praeſentibus, cum omnes et ſingulae in diverſis individuis, uti in charta et noſtro concipiendi modo, ita ad lectum aegri, nunquam ſane occurrant aut coincidere poſſint, ſatius conſultiusque forſan utplurimum foret (ni empiricorum prorſus nomen hinc metuendum eſſet, ſeculo hoc etiam in probabilibus quibusdam vel conjecturalibus ſaltem adeo naſuto ac ſciolo, ut adjective ita loquar, vel certi- ſcio ſibi viſo, licet in prognoſi et praxi, utpote cujus theoriae formatae, ſi in numerato certoque res ita ſe haberet, neceſſario etiam correſpondere ſemper deberet eventus ac ſucceſſus, niſi in pauciſſimis forte aliquibus, vix certiori aut efficaciori) ſatius hinc dico foret, in caſibus practicis potiſſimum, more hippocratico fere in epidemicis, aliorumque inprimis Magreti, regis Galliae archiatri (nell' obſervations de medicine et chirurgie faites dans les hopitaux du Roi a Valentiennes) nudam ac ſimplicem ſignorum ſive laeſionum et ſymptomatum, curaeque ſive remediorum adhibitorum, hiſtoriam enarrare, ſive neceſſariarum ſaepe minus rationum et cauſarum, proximarum potiſſimum viſarum, miſcela ac reflexione deſuper adjecta, utpote quales verae ſive intimiores ac eſſentiales proprie utplurimum latent et latebunt forte ſemper, judicio edecumato excellentiſſime profundeque docti et expertiſſimi Freindii in praefat. commentar. ſuorum de Febribus; liberum deinde potius relinquendo, quam quisque aetiologiam ſive reflexionem ac ſpeculationem cauſalem deſuper formare velit, pro nimium firmiter praeconcepta et ineradicabili cujuscunque, etiam minus praeconcepti ſibi viſi, hypotheſi, cum tamen eadem ſaepe ſit res, ſed alio concipiendi modo ſaltem indigitata. Inde enim tot altercationes, contradictiones, faſtus et contemtus invicem mutui, imo diſſidia et odia ſaepe plusquam Vatiniana medicorum, utut de nudis ſubinde verbis ſive lana ſaepe caprina, ſi res penitius inſpiciatur, optime omnium praeveniri vel evitari, imo eradicari

cari forte penitus poſſent. Id quod tamen ſeculo hoc adeo ambitioſo, liberó et contentioſo optandum forte magis, quam ſperandum certe videtur.

Hoc ut minimum ex praemiſſis ſuperius praejudicio minus praeoccupatis judicare et diſcere licebit, nil magis hic profuiſſe et in conſimilibus forte affectibus profuturum eſſe, quam moderationem et congruitatem in cibo et potu, mentemque pacatam, una cum, radicem morbi adaequate ſive omnium optime et conſtantiſſime tollentibus, emeticis et blande laxantibus tum internis, tum externis, clyſmatibus inprimis, abſorbentibus praeterea cum appropriatis roborantibus ſive blande adſtringentibus nervinis, ac anodynis blandeque inſpiſſantibus tandem ſubjunctis aut cum judicio interpolatis ſubinde, neque prorſus hinc cum quibusdam hodie damnandis, uti pagina ultima Ideae meae agendorum apud Aegros pluribus docui, cum ſanguis, inprimis non, uti aqua in machina mere hydraulico-pneumatica, conſiſtentia prorſus tenui, fluida et aquea, ſed mediocriter ſpiſſa, cohaeſiva et concretiva, ſive nutritiva et vitali eſſe debeat, ob varia etiam fluida p. m. ſpiſſa inde ſecernenda.

Contraria autem praelaudatis e contrario magis quoque nocitura, aut minus profutura vel effectura eſſe, cuilibet facile quoque patebit.

Pariles vel analogos ex parte in aliquibus morbos, quanquam aliis ſubinde ex cauſis, legere qui deſiderat, adeat Epiphan. Ferdinandi Hiſtor. Medic. inprimis de Tarantulis, Sydenham. de Chorea S. Viti, Oper. p. 661. 743. ut et Wedel. Diſſert. de eadem Chorea, nec non hiſtoriam conſimilium fere affectuum germanice conſcriptam ſub titulo: Trauriges Tage-Regiſter derer zu Annaberg An. 1713. ſich zugetragenen Begebenheiten mit unterſchiedenen Krancken / cum doctiſſimis judiciis deſuper Sinceri Philalethae in ſeinem ſentiment über ſolche / et D. Dris G. A. Zeidleri in ſeinem Hiſtoriſchen Sendſchreiben / und höchſt ſoliden Erläuterung darüber.

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. Maximiliani Preuſſii.

Tumor Chronicus malae ſiniſtrae, inſtar Epulidis inter naſum et oculum, ſola compreſſione cum oſſe quodam rotundo feliciter ſanatus.

M. S. Pannificis hic uxor, aetatis 40. annorum, biennii fere ſpatio laborabat, inſtar epulidis, tumore quodam duro, hinc inde mobili, magnitudine ovi columbini, in mala ſiniſtra ſuperius inter naſum et oculum, tam extus, quam intus intra buccam et os maxillae ſuperioris prominente, ſine ullo tamen dolore notabili, niſi aliqualiter tenſivo. Variis hinc utitur remediis diſcutientibus, inprimis externis, unguentis et ſacculis, fruſtaneis tamen omnibus iisdem. Tandem neſcio cujus ex conſilio d. 7. Septembr. An. 1716. exterius cum oſſe quodam vitulino rotundo fortiter comprimit illum tumorem, hincque feliciter in interiori malae parte diſrumpitur, cum effluxu inde per os et naſum ſiniſtri lateris copioſo lymphae ſanguini miſtae, tumorisque hinc totali et perpetua huc usque evaneſcentia, inprimis cum brevi poſt dens molaris carioſus ſuperioris maxillae iſtius lateris fuerit evulſus, ex cujus fundo et circumferentia poſtmodum denuo materia ichoroſa quaſi effluxit, et ſic malum ex voto radicitus ſublatum fuit.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. Maximiliani Preuſſii.

Empyema pectoris inciſione feliciter ſanatum.

C. P. Tornatoris filius, aetatis 13. annorum, temperamenti ſanguineo - lactei quaſi; poſtquam 14. diebus febre pleuritica et peripneumonica decubuerat, cum aeſtu et tuſſi ingen-

gente, dolore admodum punctorio in ſummitate pectoris ſiniſtra, ruboreque malae illius lateris, imo deliriis ſubinde intermiſtis; et convenientibus huic malo remediis proſpectum ipſi fuerat; 14to morbi die, qui erat 12mus julii anni currentis 1718. per ſputum foetidum purulentum et abſceſſum in pectore et pleura tandem, cum Apyrexia maximam partem, judicabatur, ita ut tumor lateris illius ſucceſſive apparuerit non longe a clavicula ſiniſtra intra coſtam 2. et 3am exterius etiam protuberans inſtar ſacculi turgidi, cum murmure ad compreſſionem et fluctuationis ibidem ſenſu in pectore. E quibus ſignis cum empyema ſubtus latere, nullum amplius eſſet dubium, poſtquam hactenus, cataplasmata varia emollientia fruſtra fuerint applicata, diu gratis tentata perſvaſione parentum, conſenſu tandem eorum quaſi extorto, 28vo Julii per chirurgum civitatis noſtrae ordinarium, ſenioremque ſimul ordinis eorundem, Ehrenfried. Fellnerum, ſacculum praedictum extra coſtas prominentem, in apice aliquomodo aperiri curavi, ita ut cutem ſolum prius incideret, ſub qua pleura, materia quadam turgida, manifeſte apparebat, quam proin etiam lancetta debitis cautelis cum pertunderet, ichor mox foetidiſſimus copioſe erupit et effluxit ad ℔ ij. praeter propter, qualis etiam ſputo per os ſaepius reddebatur, inſuperque ſtylo in cavitatem pectoris ſatis profunde penetrare potuimus. Quo facto turunda cum unguento digeſtivo illita et operculo emplaſtri ſaturnini vulnus decenti modio claudebatur, bisque per diem poſtea ſemper deligabatur, ſitu tunc corporis, pectorisque inprimis, prono facto, ut materia ichoroſa ex imo pectoris tanto promtius effluere poſſet, quod ea etiam utplurimum quantitate factum, quam modo intimavimus. Pro abſterſione vero et depuratione pectoris a materia hac putrida ſub quacunque deligatione tepide injecimus vulneri decoctum purificans et balſamicum ex herbis amaricantibus abſinthii, ſcordii et centaur. min. mixtum, cum terebinthina in vitello ovi ſoluta, melle roſato, eſſ. myrrhae camphorata et Elixirio vitae balſamico Overkampii, quod aeger optime perferebat,

bat, ejusque ſaporem et odorem ejecta poſtmodum cum tuſſi purulenta illi per os etiam exacte referebant. Interim tribus vicibus per diem interne propinavi quotidie decoctum vulnerarium et pectorale, inſtillatis ſemper 15. guttulis miſturae ſequentis e balſam. ſulphur. terebinthinato, Eſſentia Myrrhae ♀ſat. et tinctura balſami peruviani aa M.

Cum denique d. 2. Auguſti materia purulenta magis ſpiſſa et cocta appareret, imo ſucceſſive per vulnus nil amplius emanaret, quam ſola injectio balſamica immiſſa, et hujus injectionem poſtea prorſus intermiſimus, vulnusque ſucceſſive ſic conſolidavimus. Quoniam autem pedes poſtmodum ſeroſo-oedematoſo tumore afficerentur, decoct. lignor. et rad. 5. aperit. major. cum guttulis ſupra dictis, ad diaphoreſin ſimul ac diureſin promovendam per octiduum continuavi, tandemque potiunculam blande laxantem aliquoties repetii, usque dum ſub finem Auguſti per D. G. Aeger nunc perfectae ſanitati reſtitutus et a ſymptomatis praedictis tuſſis etc. plene liberatus ſit; quod quidem rarum, pariter ac exemplum parallelum a Bartholin. c. 2. Ep. 85. adductum.

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. Maximiliani Preuſſii.

Vulnus globulo ſclopeti plumbeo narium ſummitati inflictum, ultra cranium profundius penetrans, globulo licet non extracto feliciter ſanatum.

A. C. 1703. Mart. d. 27. pomeridie brevi poſt ſonum horae tertiae, in Pomoerio Vratislav. Michaëli Galſcher, cuſtodi et hortulano vallorum ibidem, aetatis praeter propter 45. annorum, cominus e ſclopeto globulo plumbeo aliquot paſſus retro metam rotundam ex aſſeribus ligneis formatam, (hinter der Schieß-Scheibe) poſtquam hanc transfoderat, impetusque ejus maximam partem fractus, vulnus figurae rotundiu-

ſculae

ſculae inflictum in ſummitate naris ſiniſtri, ita ut globulus ibidem prope canthum oculi majorem penetraverit per ſummitatem oſſis maxillae ſuperioris et per ſpatium ſive interſtitium ſub proceſſu laterali ſellae Turcicae a reliquo oſſe cuneiformi nonnihil diſtante, ſubque Meninges et cerebrum dein deflexus in ſinum amplum et profundum, quem os praedictum cuneiforme cum eminentibus introrſum proceſſibus oſſis petroſi ibidem format, deſcenderit ac ſine inſigni moleſtia et ſymptomatibus quietus ibidem poſthac haeſerit remanſeritque; quantum ſcilicet exploratione cauta cum ſtylo digiti longitudine in foramen vulneris penetrante, judicioque caetera ſano deprehendere licuit. Statim ac vero laeſio haec facta, globulo tactus inſtar ſemi-mortui mox concidit, multumque ſanguinis per vulnus et nares effudit, analepticisque refectus, a Friderico Böhmio, ſeniore chirurgorum et balneatorum deinde decenter deligatus debitoque modo tractatus fuit partim fotibus cephalico-nervinis, partim etiam aliis congruis topicis, ac balſamo inprimis Peruviano mediantibus filamentis concerptis ac convolutis vulneri profundo calide ſaepius immiſſo, et poſtquam illud legitime mundificatum, oſſiculaque ſive fragmenta eorum aliquot, a globulo contundente ac perforante diffracta, ſucceſſive tum mediante ſuppuratione abſceſſerint, tum volſella fuerint exemta, internisque etiam praecipitantibus, vulnerariis et cephalicis balſamico-nervinis laeſioni huic ac inde ortae febri ſymptomaticae, aliisque, utut levioribus accidentibus, a me proſpectum, vulnus, ſpatio 4. ſeptimanarum exacto, tandem feliciter conſolidatum, ſine ulla hinc labe vel oculo, vel cerebro relicta, globulo quamvis intus in praedicta concavitate ſive ſinu oſſis ſphaenoidis inferiore et interiore ſub cerebro ſine ulla hujus offenſa, quantum judicare licuit, permanente, utpote exemtu, ob cerebrum adjacens molle, impoſſibili, ita ut t. t. vulneratus ferme annos adhuc 15. poſthac ſalvus et incolumis usque ad praeſentem 1718. annum ſuperſtes vixerit, quo ipſo ſenex 60. pene annorum placide extinctus eſt. Morte autem ejus ſtudio nobis tunc occultata, ne cultro anatomico, adeo

omnibus hic utplurimum inviſo, ipſum ob globulum intus procul dubio adhuc latentem luſtraremus. Parallelum tamen huic aliquomodo caſum lege ſis in Act. Erud. Lipſ. Latin. Anno 1718. p. 14. de globulo plumbeo per aliquot annos ſine incommodo aut perceptione in cerebro Ducis cujusdam bellici haerente.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 24. Sept. An. 1718. miſſae.*)

OBSERVATIO XCVI.

Dn. Lic. Roſini Lentilii.

De Oſtreis quaedam.

NEmo, niſi valde ſtupidus, aut ſaltem rerum humanarum incurioſus, *Eccleſiaſtici* axioma facile in dubium vocaverit, quod habetur in ejus *cap.* XXVI. 28. XXVII. 1. 2. 3. *Mercator vix evitabit delictum, et caupo culpa non vacaverit. Multi peccaverunt propter inopiam, et qui quaerit divitias, oculum ſuum avertit. Vt fixus inter compages lapidum paxillus: ita peccatum inter venditorem urget et emtorem.* Germanica verſio longe ſignificantius has veritates eloquitur. Integri nunc proſtant libelli, quibus indicantur mercium variarum iniquiſſima adulteria, ſic, ut fraudibus hiſce detegendis vel Argus quidam non ſatis ſit oculatus. Quum An. 1713. *Hagae Comitum* appuliſſem, paucis ante ſeptimanis magni cujusdam principis legatus aliquot ſui ſimiles utriusque ſexus ad lautiorem coenam invitaverat. Appoſita fuerunt, ne gulae quidquam deeſſet, *Oſtrea*, quae ex *Anglicano* litore aſportata credebantur, reliquis *oſtrearum* ſpeciebus minora, colore viridiuſcula, et prae aliis expetita, quae colorem *Batavis* appellantur *Groenpatjes*. Omnes illi, qui de his comedebant, ſine mora peſſime habebant, anxietates patiebantur, enormiter vomebant, ſibique vix reſtituebantur. Compertum poſtea nebulonem quendam avarum, *oſtrearum* venditorem, *oſtrea* vulgaria nondum adulta

viridi

viridi aeris tinxiſſe, ut ſcilicet haberentur pro genuinis illis *oſtreis anglicis viridiuſculis.* Legatus, cui tale quid acciderat, *Sereniſſ. Principem* noſtrum a comeſtione *oſtrearum* ante tempus hybernum, ubi jam gelu eſt maximum, ſerio dehortabatur. Tunc enim temporis *oſtrea* genuina demum *Hollandis* advehuntur, ut tuto comedi poſſint. Sub poena quidem capitali iſtud mangonii prohibitum eſt, non tamen deſunt, qui tantum crimen perpetrare audent, lucrum ſuum potius habentes, quam proximi ſalutem.

SCHOLIUM.

NObiſcum aliquando *Hagae Comitis* pranſus eſt Vir Nobilis, ubi ſermo de *Oſtreis* incidebat; ipſe negabat ea generari in mari *Hollandico*, ſed ex litore *Anglico* per nautas *Selandos* aſportari granula teſtacea ad inſtar arenae, quae vocentur *ſemen oſtrearum.* In dicta *Selandia* immergi limo in caſulis quibusdam parvis in hunc finem exſtructis; ibi ſenſim incrementum ſumere, ut veſcae fiant. Alius praeſens, omnium ajebat plurima nutriri *Middelburgi, Selandiae* metropoli, et in confinibus; generari quoque et capi in *Holſatia.* Eadem ratione ſaginari *oſtrea veneta*, majora quidem illis *belgicis* et *anglicis*, quibus tamen ſuavitate multum cedant. Idem de *venetis* confirmat *Miſſon Voyag. d' Ital.* Tom. I. p. 165. qui addit, quod ea inſalubria cenſeantur, nec ab exteris tanta, quanta alibi prognata, copia manducari.

In *Boſphoro Thracico* frequens olim quoque fuit *oſtrearum piſcatura*, et quidem ad locum inde *Oſtreoden* dictum ad maris vadum. Diſperguntur et diſſeminantur quotannis in hoc vado *oſtrea* integra, non, ut alii falſo tradunt, in fruſta diſcerpta. Eſt autem locus optimus in ſuburbano litore *Galatae* prope *Conſtantinopolim*, etiamnum albo fere colore tincto ab *Oſtrearum* ibi ſponte provenientium inſigni copia. Non enim hic per ſementem propagantur, uti, modo ſupra dicto, circa pro-

 mon-

montorium *Metopicum.* Hoc ex *Gyllii Tract. de Boſphoro Thracico Bandurius Imper. Orient. Vol. I. p. III. p.* 283. quem *Bandurium*, patria *Raguſanum*, Virum doctiſſimum, *Lutetiae* vidimus in Monaſterio ſeu Abbatia *Benedictinorum*, quae vocatur *S. Germani in pratis.* Nunc dignus eſt ſucceſſor celeberrimi olim magni Ducis Hetruriae Bibliothecarii, *Ant. Magliabecchii.*

Repetit porro *Bandurius* ille *oſtrearum* in dictis locis productionem ſequenti modo: Poſteaquam Graeci, a piſcibus, quippe ſanguine praeditis tempore jejunii abſtinent, oſtrea, ſanguine, ſecundum ipſos, carentia ſurrogarunt: Naves oſtreis repletas ad loca maritima urbi propinquiora advehunt, eaque palarum miniſterio in mare projiciunt integra, non, ut mendaces quidam monſtroſarum narrationum fictores in *Italia* diſſeminaverant, in fruſta conſciſſa. Vnde quotannis *oſtrearum* eſt maximus proventus. Nuſpiam autem circa *Byzantium oſtrea* capiuntur guſtu ſuaviora, quam circa inſulam, *Oxya* dictam. *ib. p.* 340. *Oſtrearum autem* excellentiam tanta multitudo *Conſtantinopoli* capitur, ut tot dierum jejuniis, quibus Graeci a piſcibus ob ſanguinem abſtinent, abunde ſufficiat; quotidie nempe in foris piſcariis multa navigia, non niſi *oſtreis* onerata, viſuntur. id. p. 346.

Apicius, qui de *re culinaria* ſcripſit, *Imperatori TRAIANO* ex *Italia* in *Perſiam* transmiſit *oſtrea* aeque recentia, ac primo die, quo ex *Italia* abierant. Didicerat vero methodum ea ſervandi, quam ſibi ſecretam retinuit. Ex Auctore *des cauſes de la corruption du goût, Journ. liter. d' Hollande Tom. VII. Part. II.* p. 332.

Venerandus ſenex *Leuwvenhoekius* Obſervationum ſuarum miſcroſcopicarum benigne participem me faciens, d. 9. *Jan.* 1714. *Delphis* inter alia mihi monſtravit *oſtrea* nondum nata cum ſuis conchis, per quas, adhuc pellucentes, cônſpicari dabatur animalcula, quantitate circiter lentis minoris, una cum ſuis conchis. Dicebat vir optimus centuplo majora exhiberi a ſuo micro-

microſcopio, quam quidem per ſe ſint, velut etiam nudo oculo videri non poterant. Hoc phaenomenum valde dubium reddit opinionem illorum, qui conchas ab animalculorum ſucco viſcido demum oriri credunt: cum potius conchae animalibus connaſci, et cum his ſenſim augeri videantur. Sententiam, quae conchas ex viſcido demum animalis humore per tranſpirationem exhalante vult generari, operoſe ſuſtinet *Reaumur Hiſtoir. de l' Acad. royal des ſcienc. Ann.* 1709. *p. m.* 21. et *dans les memoires* p. 475. ſ. Sunt, qui *oſtrea* inter *Zoophyta* numerare ſunt auſi, de quibus vid. *Andry Trait. des alim. de Carém. part. I. p. m.* 335. Occaſionem dediſſe credit *Andry* (quem *Lutetiae* Fautorem noſtrum comperimus) admirabilem modum *oſtrea* per ſementem, quo de jam ſupra, producendi, quem et *Chinenſibus* eſſe familiarem tradit. Quemadmodum vero haec res nil habet difficultatis, ubi *oſtrea*, quod etiam in *Selandia* fieri ſupra dictum, minutiſſima, ceu ſemina ſparguntur, ita ex iisdem conquaſſatis nova procreari fidem ſuperat. Idem *Andry* notat, in *Antillis* reperiri arbores adeo *oſtreis* onuſtas, ut inde rami frangantur, quod itidem Dn. *Childereus* in libro *des merveilles d' Angleterre* prope *Pleimuthiam* fieri aſſerat. Veriſimiliter *Andry* concludit vi fluctuum marinorum ſemina vel ova potius *oſtrearum* projecta ramis arborum adhaerere, ibique vel excludi vel augeri. Quis autem *Plinio* veteribusque aliis credat, *ſexum non eſſe oſtreis*, eaque generari ſolummodo ex putredine materiae cujusdam coenoſae, vel ſpumae marinae, quae affigitur navibus. vid. *Lemery trait. des alim. Part. II. c.* 77. *p.* 440. *Verulamius* ajunt, inquit, , *oſtrea colcheſtriana* puteis impoſita, reciproco maris aeſtu prolui ſolitis, ne tamen dulcis aqua deſit, quae refugo mari ea ingrediatur, ſic magis pingueſcere ac creſcere. *Silv. Silv. Cent. VIII. experiment.* 703.

Pauca quoque dicamus de alimento, quod *oſtrea* praebent. Laudantur ab his, culpantur ab illis. Id tamen certiſſimum, genus humanum eis commode carere poſſe. Animal eſt aſpectu

et horridum et nauſeoſum, ſive id ſpectes in ſua concha clauſum ſive apertum, ut audax fuiſſe credi queat, qui primum ea labris admovit. Niſi luxus jam antiquorum hujus cibi fuit inventor, penuriam aliquos, experiundi, num famen hoc edulio ſedare queant, ad ejus comeſtionem impuliſſe crediderim, qui, neſcio quid ibi jucundi ſibi invenire viſi, aliis hoc cibi genus laudarunt, qui, quod antea neceſſitatis erat, in luxum verterunt. Idem cum teſtaceis aliis eveniſſe puto. Quidquid ſit, diu ſane jam eſt, quod ciborum horumque lautiorum, catalogo inſeri meruerint, cumprimis a Graecis horumque luxus imitatoribus, *Romanis*, qua de re *vid. Plinius, Cicero, Seneca Athenaeus*, alii, quos collegit *Nonnius de re cibar. Lib. III, cap.* 37. *Sebiz. de aliment. facult. lib. III. p. m.* 1036, *Aldrovand. Lib. III de Teſtac. cap.* 66. Vt vero, quae ad menſas vocantur, reliqua ferme omnia inter ſe tum forma, tum qualitate varie differunt; ita et *oſtreorum* eſt inſignis non minus varietas et ſelectus. Apud veteres *Cyzizenis* primae deferebantur, ceu, quae majores *Lucrinis*, dulciores *Britannis*, ſuaviores *Medulis*, acriores *Lepticis*, pleniores *Lucenſibus*, ſicciores *Coryphantenis*, teneriores *Iſtricis*, candidiores *Lirceienſibus* habebantur. Habes hic ex *Plinio Lib. XXXII. cap.* 6. quaſi in compendio omne *oſtreorum* genus illi ſeculo famigeratum. Graeci *Abydenis* praecipuam tribuerunt nobilitatem, uti ex *Clemente Alexandrino*, *Ennio* et *Archeſtrato Nonnius l. c.* Romani *Lucrinis*, uti idem ex *Petronio* et *Martiali*. *Moderni Britannica* plerumque reliquis, puta *Gallicis*, *Italicis*, *Germanicis*, praeferunt. Sed et ipſo colore variant, quippe, in mari Hiſpanico *inveniuntur* rubentia, alibi et carne et teſta nigra; In *Anglia*, ut ſupra dictum, *virideſcentia*, qualia prae aliis ſunt *Colcheſtriana*. vid. *Mund. Biochreietol.* p. m. 286. et *Lemery l. cit.* In *Scotia* maxima quoque reperiri et ſuavia teſtatur *Sibbald. prodr. Hiſt. nat. Scot. p. II. L. III. cap. XII. p. m.* 27. Eliguntur recentia, pinguia, mediocriter magna, tenera, humida, capta circa rivos mari proximos: contemnuntur vetuſta, ſemiputrida, qualia ad nos in ſuperiorem Germaniam advehuntur,

tur, ita, ut ſapore recenti vix ulla haberi queant, dura, amara, verminoſa etc, vid. *Lemer. loc. cit.* Optima autem perhibentur verno tempore et ineunte aeſtate, tunc enim, teſte *Xenocrate*, craſſeſcunt, expleta albo humore lacteo. *Nonnius* l. c. Secundum *Lemery* continent multum olei, phlegmatis et ſalis eſſentialis. In horum facultatibus deſcribendis, uti fere in aliis ſolet, ita hic quoque peccatur in exceſſu ac defectu. Quis enim *Plinio L. XXXII. cap. 6.* dicenti, non poſſe videri ſatis dictum eſſe de *Oſtreis*, cum palma menſarum diu jam ipſis tribuatur etc. quis, inquam, illi adſtipuletur? Sed et *Seneca* nimium ea damnat, dum ait: quid illa *Oſtrea*, inertiſſimam carnem, coeno ſaginatam, nihil exiſtimas limoſae gravitatis inferre? apud *Nonn.* Medio modo, uti alibi fere ſemper, ita hic quoque plerique modernorum recte incedunt. Incolarum in *Belgio*, aliisque locis maritimis myriadibus, qui *oſtrea*, viva quoque et cruda, innumerabili numero devorant, refelluntur illi, qui tantum non deleteriam illis vim tribuunt. Olim cocta crudis multum anteferebantur, hodie contrarium ubivis obtinet. Plurimos ipſe querentes audivi, ab *oſtreis* coctis aut aſſis longe magis, quam a crudis, ſtomachum gravari. Ajunt ipſis *oſtreis* vivis adeſſe muriam quandam ſvavem, quae ea efficiant concoctu faciliora, condimenti ad inſtar inſerviant, appetitum, ad comedendum non tantum, verum ad venereos quoque complexus incendant. Videantur plerique auctores moderni a nobis citati. Verum et hoc mihi apud *Batavos* dictum: *Cerviſiam longe melius eorum coctionem juvare, quam vinum*; hoc enim *oſtreorum* carnem compactiorem, adeoque digeſtu difficiliorem reddere. Credendum experientiae, cum ratio non abludat. Ego ſemper ea ſum averſatus, cumprimis autem viva, quod contra naturam mihi videretur veſci vivis animalibus: hinc expertus loqui non poſſum. Memorabilis plane eſt *Riedlini* noſtri obſervatio *Lin. Med. Ann. I. p.* 236. Comederat aliquando quidam *oſtreas*, non „ tamen admodum recentes, adeoque non ſine nauſea, cui qui- „ dem ſtatim potu vini generoſioris ſuccurrere, quamvis fruſtra, „

ten- „

„ tentavit: non ſolum enim inde appetitus magis proſternebatur, „ tur, ſed et laſſitudo omnium membrorum et quaedam inconſueta „ ſueta anxietas ſubſequebantur, ac per tredecim dies malum ita „ crevit, ut jam in lecto ſe detinere cogeretur, accepto autem, „ viribus adhuc ſat validis vomitorio, unaque et altera *oſtrea* per „ vomitum adhuc integris rejectis, brevi poſt plenarie convaluit. Duo hic notanda veniunt: 1. vini generoſi potum ad digerenda haec *oſtrea* nil quidquam contuliſſe, unde, quod ſupra diximus, confirmatur. 2. Poſt tredecim dies eorum aliqua adhuc integra evomita fuiſſe; unde apparet, *ſtomachum non aggredi cibos ſibi moleſtos, ſed indigeſtos diu relinquere*, cum tamen aggrediatur alios cibos moleſtis ſuperingeſtos, quod obſervavit quoque hinc inde illuſtris *Stahlius.* Veriſimile enim eſt, aegrum, de quo *Riedlinus*, non per integros tredecim dies plane impranſum, vel incoenatum manſiſſe. Alios inter planctus non eſt omnino ſtomachi poſtremus ille, quem edit apud *Swalve querel. et opprobr. ventric. p. m.* 164. inertiſſimam nempe illam *oſtrearum* ac muſculorum carnem inferre ſibi gravitatem etc. O! quanto melius nobiſcum ageretur, ſi adhucdum hodie imitaremur epulas Patriarchae *Abrahami Gen. I.* 18. Quoties hic locus mihi legendus occurrit, veneror antiquam in victu ſimplicitatem, valetudini noſtrae unice litantem, et *Apicianis* ferculorum ſtruicibus multis modis anteferendam. Quid? quod hoc modo nobis metuenda non eſſent, a lucripetis mercatoribus in noſtri perniciem excogitata mille eduliorum adulteria, qualia mihi occaſionem haec ſcribendi ſuppeditarunt. Rarum eſt, ac in praxin vix deducendum, corrumpi nempe carnes domeſticas, farinas, lac, butyrum: At vero, quae caro veneunt e regionibus exteris advehenda, maleferiatorum corruptelis longe ſunt magis obnoxia. Novi admixta gypſo, arborumque certarum corticibus aliquando farinam adulteratam fuiſſe, butyrum admixta adipe etc. Sed haec rariſſime fiunt et facile deprehenduntur. Egregie celeberrimus quondam noſter *Pechlinus* in aureola diſſertatione *de Solitudine*, quam, ſub ficto nomine *Venantii Pacati* elegantiſſime

ſcri-

ſcripſit; ſic enim queritur p. 46. Jam nihil apparet linguae ac- „ ceptum et propitium, quam quod phantaſia, inepta illa ſae- „ pe ac triſtis, ſapidum aut delicatum effecerit, tituloque ra- „ rioris uſus ac pretii, quae et ipſa voluptatis imaginariae aliqua „ pars eſt, commendarit. Hoc in eis apparet, quae natura et „ ratione abſurda in gulae illecebras vocata ſunt. Quid in delectu „ illorum indulſit ſibi libido? ad quae non depravatus ille guſtus „ tandem prolabitur? Reſpice, anima, illas perditorum hominum „ comeſſationes, et miraberis, tam peregrina et abjecta terrae ex- „ crementa, nidos avium glutine aliquo unde undehauſto contex- „ tos, cochleas, ungulas, labra, priapos, vulvas, ſumina, fungos „ et quae plura deſperatio invenit, in illam appetentiae car- „ nalis ſcenam produci. „

OBSERVATIO XCVII.

Dn. Joh. Gabr. Doppelmajeri. ANIMADVERSIONES

Circa uſum vitrorum planorum Obſervationibus Aſtronomicis.

QVantum commodi et incrementi ab eo tempore, quo inventum Tuborum opticorum nobiliſſimum, nempe ab elapſi ſeculi initio, utilitati publicae dicatum, e vitris ſphaericis ſcientifice combinatis (qua cognitione nihil majus meliusve a ſolertia hominum profectum ingenioſiſſimo videtur Hugenio) ad haec noſtra in Aſtronomiam redundarit, omnibus jam notum perſpectumque eſt, quod vero in Obſervationibus Aſtronomicis et vitra plana, quae paucis hactenus obvia, ſua utilitate non deſtituantur, de his quaedam dicere ſcopus eſt. Vſum vitrorum planorum in Eclipſibus ſolaribus primus jam jam circa annum 1540, qui anticipat inventum tuborum 70 annis, apprime commendavit in Caeſareo Aſtronomico Petrus Apianus, Mathematicus Ingolſtadienſis, ſuadens, ne ſolis lumen viſum graviter percellat, ut per vitra duo craſſa plana colore imbuta ſolem intueantur Obſervatores. Hoc monitum aliis dein anſam dedit, ut ſibi Tubos e lentibus colore tinctis, quos ab uſu Helioſcopia vocarunt, parari curarent, cum vero tales ad nulla alia Aſtra quam ad ſolem lumine fortiſſimo praeditum adhiberi potuiſſent, con-

ſilium hoc noſtris temporibus immutare coeperunt Aſtronomi, et vel duo, tria, quatuorve vitra plana colorata, vel duo vitra plana craſſa, prout Hugenius docet, fuligine e flamma candelae aſcendente obfuſcata, capſulae cuidam indita, Tubo cuilibet ad oculum adaptare, per quae etiam ſolis maculae et planetae inferiores ſuo tempore, oculo intemerato, ſub ſole non ſine animi delectatione conſpiciuntur. Vſum vitrorum planorum porro commendabilem reddit celeberrimus Anglus, Robertus Hookius in Animadverſionibus in Machinae coeleſtis Hevelianae partem primam, perdocendo, cum diviſio graduum in limbo Quadrantis, etc. per lineas transverſales multum faceſſat negotii, vitrum planum tenue, in quo unicus tantum gradus cum lineis transverſalibus adamantis acuti ope exactiſſime ductus conſpicitur, huic limbo facili negotio poſſe applicari, ut et cuique gradui, quod inventum ſane utiliſſimum eſt. Hookium excipit alius magnae pariter famae et exiſtimationis Vir, Philippus de la Hire Regius Mathem. Profeſſor et Scientiarum Academiae Pariſienſis Socius, qui in Tabulis Aſtronomicis ſaepius etiam commendat uſum vitrorum planorum, primo enim eadem vitra, in quorum medio lineae ad angulos rectos decuſſatim adamante inciſae apparent, pro filis ſericis in Tubis opticis ſubſtituit, porro pro menſurandis Aſtrorum Diametris cum celeberrimo Petro Petito fieri jubet Micrometron, loco filorum lineas exiguas in plano vitro ductas adhibens. Denique pro magnitudine Eclipſium exploranda vir laudatiſſimus laminam vitream, in qua adamantis fruſtulo vel quinque circuli concentrici, vel tredecim lineae rectae inter ſe parallelae in diſtantiis aequalibus leviter ducantur, loco reticuli vulgaris, quod e filis ſericis componitur, in focum Teleſcopii collocat, quibus certe nihil fere utilius in tota Aſtronomia activa hactenus inventum optime ipſe judicat. Pro magnitudine Eclipſium ſolarium alio modo indaganda ſequentia addo, ſurrogo nempe in locum vitrorum planorum coloribus imbutorum et vitri politi in foco poſiti unicum tantum, quod leviter aſperum eſt, das noch matt geſchliffen iſt/ in quo vel circuli vel lineae rectae ope circini atramento

mento ducuntur, et in dicto foco adhibeo, ſic Eclipſes ſolis intra Tubum eodem modo, prout in lamina vitrea Machinae meae Helioſopicae, quam in Appendice ad Ephemerides Centuriae III. et IV. aliquot ab hinc annis exhibui, conſpici poterunt.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. Joh. Guilielmi Widmanni.

De uteri vaginae tunicae rugoſae procidentia, verum uteri corporis prolapſum referente.

EA eſt humani corporis imbecillitas, ut ipſius etiam ortus noſtri incunabula ac ſedes, uterus ſcilicet muliebris morbis cum multis, tum graviſſimis, iisque ſcrutatu et inveſtigatione difficillimis obnoxius ſit, expoſitusque. E quibus tamen omnibus nullus fere eſt, de quo viri etiam doctiſſimi, Medici, Anatomici et Chirurgi, magis diſſenſerunt ac litigarunt, quam ejusdem procidentia. Quid, quod verum et ipſius uteri corporis prolapſum in quaeſtionem non tantum vocarint viri rerum anatomicarum atque chirurgicarum longe peritiſſimi, ſed et ejus exiſtentiam penitus negarint, e quorum numero praeter Theodorum Kerckringium, celeberrimi nominis Anatomicum, fuere peritiſſimus Amſtelodamenſium Chirurgus Heinricus a Roonhuyſen, (a) et ab ejus partibus ſtans Anatomicus quondam Lugdunenſis eximius Joh. van Horne, (b) neutiquam contingere poſſe uteri corpus extra vulvam propendere, et contrarium aſſerentes a vaginae uteri tunicae rugoſae prominentia ſaltem decipi, ſtatuentes. Eandem fovet ſententiam Chirurgus Amſtelodamenſis, pariter celeberrimus Job a Meek'ren (c) quippe qui vanum eſſe Antiquorum de perfecta uteri procidentia aſſertum, experientiae propriae nimium fidens pronunciat.

Verum enim vero, quamvis negari haud poſſit, vaginae tunicae rugoſae laxioris juſto quacunque de cauſa redditae prolongationem non tantum hominibus chirurgiae imperitis, ſed ocu-

(a) Obſervat. Chirurgic. Part. II. cap. 1. Epiſtol. ad Paul. Barbette data. (b) Microtechn. Sect. 11. Part. 1. §. 28. (c) Obſervat. Medico chirurgicar. cap. LIV.

latiſſimis etiam ſaepius impoſuiſſe, ipſum tamen uteri corpus extra pudenda revera et diverſimode procidere poſſe atque pro-lapſum fuiſſe, excellentiſſimorum multaeque autoritatis virorum ocularis experientia ſatis ſuperque teſtatur.

Vterum quippe, ejusque fundum in ipſo partu aut mox poſt illum, per dilatatum tum temporis orificium internum vel ſponte in pudoris ſinum deſcendiſſe, vel obſtetricum incuria protractum fuiſſe, ut inſtar marſupii plane inverſus foras propenderit, Anatomicorum oraculum Excellentiſſimus Ruyſchius (d) atque dexterrimus Pariſienſium chirurgus Franciſcus Mauriceau (e) ut teſtes oculatiſſimi obſervationibus ſuis evicerunt, ut Pauli Barbette, Stalpartii van der Wiel, aliorumque Autorum, et quae Miſcellan. Acad. Nat. Curioſ. paſſim inſerta ſunt exempla, brevitati ſtudens omittam. Conſtituunt alteram veri atque perfecti uteri prolapſus ſpeciem Autores illam, quando uteri corpus citra tamen inverſionem eum in modum in vaginam, et dehinc extra rimam decidit, ut ſubtus orificium uteri internum emineat viſendum.

Haec, quamvis illam omnis aetatis, ac conditionis foeminis, gravidis, non gravidis, imo etiam virginibus, virum nondum paſſis accidere poſſe, cum ſupra laudato Franciſco Mauriceau (f) aliisque non diffitear, priore tamen intricatior multo eſt, et conceptu diſtinctuque a tertia paulo inferius alleganda ſpecie difficilior.

Non equidem contradicere animus eſt obſervationibus fide digniſſimis et ejusmodi uteri prolapſus poſſibilitatem luculenter probantibus, (g) aut de earum autoritate dubitare, quin potius ejusdem exiſtentiam extra omnis dubitationis aleam ponere poſ-ſit,

(d) Obſervat. Chirurg. Cent. Obſ. X. et XXVI. (e) Traité des Maladies des femmes groſſes. Liure III. Chapitr. VI. et Obſervations ſur la groſſeſſe Obſ. 355. 685. (f) Traité des Malad. des femm. groſſ. l. c. et obſervations ſur la groſſeſſe Obſ. 96. (g) Miſcell. A. N. C. An. II. Obſ. 121. Decur. II. ann. 1. obſ. 84. Ann. VI. obſ. 91. Stalpart van der Wiel obſ. rarior. medico anatomico chirurgic. cent. 1. obſ. 69. Frederic. Ruyſch. chirurg. obſ. cent. obſ. 1. 7. 9. Mauriceau Traité des Maladies de femm. groſſ. l. c. et obſervations ſur la groſſeſſe. obſ. 96. 171. 589.

ſic, vel unica teſtis omni exceptione majoris celeberrimi Ruyſchii de utero ſcirrhoſo, inque magnam molem aucto extra pudenda propendente, in cujus partis extimae centro oſculum conſpiciendum fuerat, hiſtoria, (h) omiſſam in aliis omnibus, quae extant obſervationibus, dirimendae tamen controverſiae ſumme neceſſariam circumſtantiam ſuggerens, quod nimirum ſub diſſectione cadaveris foeminae affectu illo olim laborantis, aperto abdomine in pelvi, ut ipſius Autoris verbis utar), qui locus eſt uteri, nil praeter unum ex ovariis cum annexa tuba et ligamento lato deprehenſum fuerit, ipſo utero ex ſede ſua deturbato. Nec minoris in dilucidanda hac doctrina ſunt ponderis obſervationes Doctiſſ. Schelhammeri (i) atque Hünervvolffii, (k) qui in parturientibus totum uterum cum orificio ejus interno hiante, prolapſum, ſed et per illum infantem feliciter editum fuiſſe, viderunt. Ejusdem commatis quoque eſt ab Argentinenſi Medico, pereximio Dn. D. Friedio, amico meo integerrimo, anno haud ita pridem elapſo mihi communicata hiſtoria, qua ipſe refert, ſe Pariſiis, cum in Noſocomio, quod L'Hôtel-Dieu appellant, foeminis in partu laborantibus auxiliatrices manus ferendi ſtudio operam navaret, in muliere octo menſes jam gravida obſervaſſe ejusmodi verum oſculo notatum uteri prolapſum, capitis infantilis minoris magnitudine extra vulvam, cum contento, quem digitis in orificium immiſſis palpare licuit, foetu propendentis.

Id ſaltem annotare velim, modo allegatam ſecundam procidentiae uteri ſpeciem non eſſe adeo frequentem, ac vulgo creditur, ſed quam tertiam faciunt, omnium communiſſimam, et in ſola uteri vaginae tunicae internae rugoſae extenſae vel relaxatae protuberantia conſiſtere, omnes conſentiunt, et uteri procidentiae imperfectae ſeu ſpuriae nomine inſigniunt, globoſa ſua figura veram et perfectam ipſius uteri fundi procidentiam ſaepiſſime mentiri, adeoque ab illa in arte licet exercitatiſſimos haud raro deceptos eſſe, et adhuc falli poſſe; ea potiſſimum ratione inductus, quod in extima propen-

(h) Obſ. chirurg. cent. obſ. 7. (i) Miſcell. N. C. Dec. II. ann. IX. obſ. 149. (k) Dec. III. ann. 1. obſ. 114.

dentis corporis parte reperiundum oſculum, in quo tamen omnem diſcriminis cardinem hactenus poſuere Autores, nota verae procidentiae neutiquam ſit ſufficiens, id quod clarius adhuc patebit, ſi, quae mihi praeſente honoratiſſimo Collega praeſtantiſſimo D. D. Chriſtoph. Lud. Goekelio, amico meo cum ſuaviſſimo tum certiſſimo, circa hanc rem acciderunt, narravero. Occaſionem enim nactus, mulierem quandam, quae per plures annos gravi et moleſto uteri prolapſu laboravit, poſt ejus obitum diſſecandi, omittere haud potui, quin in veram ejus conſtitutionem inquirerem; antequam autem ad ipſam ſectionem deveni, externam illius prolapſus faciem probe examinavi, eamque talem, qualem adjecta Fig. 1. Tab... exprimit, et quam Ruyſchianae delineationes et deſcriptio ſiſtunt, offendi, corpus nimirum extra pudenda propendens ſubſtantiae ad contactum nonnihil durioris et quaſi ſcirrhoſae figuram obtinebat pyriformem,, quae in ejus baſi, radice, in vaginae canali firmato, ampliore in conſpectum veniebat perforatio, oſculum uteri internum exactiſſime referebat; nihil itaque videbatur obſtare, quin hic prolapſus pro vera et perfecta ipſius fundi uteri procidentia haberetur, atque ad ejus ſecundam claſſem referretur, imo certe perſuaſus eram, me idem inventurum, quod praeter celeberrimum Ruyſchium, quantum ego quidem ſcio, nemo adhuc notavit, uterum nimirum ipſum e ſede ſua naturali depoſitum, quam ob rationem ipſam procidentiam nullatenus loco moveri mihi cavebam. Immiſſus quidem in orificium ſtylus exploratorius dubium mihi movebat, eo quod illum ad dimidii pedis fere longitudinem ſine ullo obſtaculo in cavitatem adigere potuerim, ſectioni tamen, ſcrupulum hunc optime diſſoluturae, quid ſtatuendum ſit, commiſi.

Sed ecce! ventris imi integumentis diſſectis atque abdominis cavitate aperta, inteſtinis circumſpecte remotis, uterum ſanum, et quoad externam faciem legitime ſe habentem cum omnibus ſuis annexis, ligamentis, ovariis tubisque Fallopianis in ſitu ſuo naturali et debito loco collocatum, praeter omnem expectationem reperi. Vt autem eo accuratius in hanc rem, mihi admodum curioſam viſam, inveſtigare poſſem, uterum totum quantum e corpo-

re

re exemi, exemtumque juxta longitudinem diſſecui, quo facto diſſectam vaginam rugoſa ſua tunica orbatam atque denudatam plane deprehendi, media eidem ſubjecta ſpongioſo fibroſa in conſpectum ejus loco veniente, circa extremum namque vaginae terminum ſaltem mutuo nexu adhuc junctae erant modo dictae tunicae, relaxata autem, et per omnem cervicis atque vaginae ambitum avulſa rugoſa, reflexa propria ſua gravitate deorſum tendens, extra ſinum pudoris propendens corpus formabat, ſicque verum uterum mentiebatur.

Cervix uteri in ſtatu naturali, juxta elegantiſſimam Celeberrimi Ruyſchii delineationem (l) in apicem quaſi vergens, tunica rugoſa privata multo erat laxior et magis ampla, ac ordinario modo eſſe ſolet, ipſum etiam in illa exſculptum orificium, quod ſecundum naturam alias nonnihil prominens et duriuſculum eſſe ſolet, atque aliquo modo coarctatum, amplitudine vaginae non cedebat, quinimo illud vix amplius diſtingui potuiſſet, niſi relicta quaedam levia ſaltem veſtigia ejus regionem indicaſſent. Vnde patet, quantum ad formandum uteri oſculum internum conferat tunica rugoſa, inque hac potiſſimum reſidere vim illam elaſticam, cujus ope uteri os re ita exigente vel aperiri, vel claudi, aut certo tempore magis grato hoſpiti excipiendo propius accedere poteſt.

Vſus autem obſervationis hujus is imprimis eſſe poterit, quod ſi hujus generis procidentia tractu temporis in tantam molem excreverit, ut in priſtinum locum non amplius redigi, nec repoſita in cancellis ſuis ullo modo contineri queat, vel ob ejus ſcirrhoſam duritiem, inaequalem redditam ſuperficiem, vel eam obſidens ulcus, aut inflammationem et gangraenam imminentem, aut jam praeſentem, repoſitionem nec moliri quidem liceat, ipſius extirpationem, urgente neceſſitate, non reformidandam, ſed jubente atque praeeunte peritiſſimo chirurgo ſupra jam allegato Jobo a Meck'ren, intrepido potius animo perficiendam eſſe, utpote quae ſola, inter ambigua alias conſilia ad mortem properaturae aegrae ſolatium ferre poteſt. Neque enim in tam praeſens vitae periculum patientem praecipitare ſolet, ejusmodi procidentiae extirpatio, ac illi, qui pro perfecto uteri prolapſu eam haberent, crederent, cum hic nil niſi tunicae rugoſae, laxitatis nimiae culpa ad exteriora protruſae portio auferatur.

Quinimo penitus ſum perſuaſus, quae apud obſervationum ſcriptores extant hiſtoriae de uteris adeo felici cum ſucceſſu amputatis, ut in vivis non ſolum permanſerint, ſed et liberos procreaverint mulieres parte iſta privatae, nonniſi ejusmodi nothas a tunicae vaginae relaxatae protuberantia effictas procidentias ſiſtere, uterum enim integra manente vita ſalvaque

(l) Obſerv. Chirurg. Cent. Obſerv. VI.

vaque conceptione extirpari poſſe, quis auſit ſtatuere, cum praeter rationem ipſam et aliae, de triſti eventu earum ab imperitis ſuſceptarum operationum, quas mors tanquam individuus comes ſecuta eſt, obſervationes, contrarium ſatis evincant.

Methodum, qua tales, tunicae nempe rugoſae, extirpationes perfici debeant uti ſimpliciſſimam, ita et tutiſſimam, tradit ſaepius laudatus Jobus a Meek'ren, (m) atque ſupra allegatus Henric a Roonhuyſen exemplis feliciter peractarum operationum eam corroborantes.

Caute tamen procedendum, ne quis ejusmodi a tunica rugoſa ſaltem mentitae atque ſpuriae creditae procidentiae loco, ipſum revera propendentem uterum, unde hoc morbo affectam mors, ipſum vero famae detrimentum certiſſime ſequitur, temere abſcindere conetur, priusquam ex variis ſignis, quorum unum alterumve commemorat Doctiſſimus Pechlinus(n) uteri lapſum a vaginae caſu probe diſtinguere noverit.

(m) Obſervat, Medico chirurg. cap. LIV. (n) Lib. I. obſerv. 2.

FIGVRARVM EXPLICATIO.

FIg. I. Vterum totum quantum cum ſuis annexis, quamvis non artificioſe praeparatum, ut et ipſam procidentiam ſiſtit. AA. Pudendorum labia. BB. Nymphae. C. Inter illas deliteſcens clitoris. D. Orificium urethrae. E. Orificium vaginae. F. Ex eo propendens corpus uterum prolapſum referens. G. Hujus radix. H. Baſis ejus. I. Foramen, oſculum uteri internum repraeſentans. K. Vteri fundus. LL. Vagina uteri. MM. Membranae peritonaei propagines. NN. Abſciſſa et ligata vaſa praeparantia. OO. Ovaria. PP. Tubae Fallopianae. QQ. Ligamenta Vteri teretia.

Fig. II.

Vterum ejusque vaginam juxta longitudinem diſſectum exhibet. a. Cervix uteri. b. b. b. In ea notata veſtigia oſculi uteri interni. c. c. Vagina rugoſa tunica denudata, d. d. Regio, circa quam rugoſa tunica maximam partem extra corpus prolapſa, cum ſubjecta media adhuc cohaerebat.

OBSER-

Fig. I.



Fig. II.



OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. Mich. Fried. Lochneri.

Quid ſit θηρίδιον δασὺ *Plutarchi? ejusque occaſione de vermibus cum urina excretis.*

Ad Generoſ. et Excellentiſſimum
DN. ANTONIVM VALLISNERIVM
ex Nobilibus de Vallisneria, Acad. Carolin. Imper. N. C. et Reg. Londin. Soc. Coll. nec non Primar. Theor. Medic. Profeſſ. Patav.

Licet in receſſu meo literario urbi proximo amoeniſſimus quaquaverſum conſpectus, curis practicis laſſatum animum ſatis recreet; nil tamen mentem magis afficit, quam longior in muſeolo mora. Hoc verum mihi ψυχῆς ἰατρεῖον.

Temporis, Aonides, juvat o! meminiſſe beati,

quo ex auctoribus antiquis, licet non medicis illic collectis, aliquid tamen haurio, quod divinae, quam profitemur, artis illuſtrationi inſervire poteſt.

Hos inter ſcriptores haud ultimum meretur locum Plutarchus ille Chaeronenſis, Trajani Imperatoris optimi Praeceptor fidiſſimus, conſulari ideo ab illo dignitate tantaque ornatus auctoritate, ut ne quisquam Illyrii magiſtratum absque ejus conſenſu agere poſſet, annotante hoc Suida. Latet in hoc certe Auctore omnis, profundiſſimae etiam, eruditionis inexhauſtus theſaurus, ut jure meritoque φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη καὶ λύρα vocatus fuerit Eunapio in Prooem.

Nec Philoſophi tantum, ſed et Medici affatim habent, quod inde hauriant. Produco hic locum e millibus unum. Vermes in viis urinariis plurimas dediſſe turbas, indeque excretos fuiſ-

ſe, faſtis medicis illatae rariores obſervationes docent. Hoc jam olim Plutarchus quoque obſervavit; qui Συμποσ. Προβλ. Libr. VIII. Quaeſt. IX. p. 1305. Edit. Henr. Steph. ſequentia retulit: Καὶ τὸν ἡμέτερον ξένον ἔφηβον Ἀθήνησιν ἔσμεν ἐκβάλλοντα μετὰ πολλοῦ σπέρματος ΔΗΡΙΔΙΟΝ ΔΑΣΥ καὶ πολλοῖς ποσὶ ταχὺ βαδίζον: *Et hoſpitem noſtrum novimus Athenis ephebum, cum multa urina genitali ejeciſſe* beſtiolam aſperam *multis pedibus celeriter ambulantem.*

Vertit δασὺ Xylander *aſperum* vel *denſum*, nec ſine ratione: δασὺ χωρίον enim locus arboribus denſus, ſive fruticetum; et δασύφλοιος caſtaneae epitheton, *aſperum* ſcilicet *habens corticem*, apud Nicandr. Coloph. in alexipharmac. v. 269:

Καστήνου καρύοιο δασυφλοίοιο κάλυμμα,

ubi nonnulli δαχυφλόιοιο, nonnulli magis corrupte λαχυφλοίοιο legunt.

Sed ſecurior verſio erit, ſi vocula δασὺ vertatur, *hirtus, hirſutus, piloſus*; cui opponitur λεῖος. Sic Theocrito vocatur δασύκερκος, qui hirtam vel piloſam caudam habet. In Theſmophoriazuſis vocatur δασυπώγων, *hirtam habens barbam*, cui apud Dionem Tragicum in Tragoed. Comitis opponitur σπανοπώγων, *raram barbam habens*, ſive *depilem*. Sic apud Heſiodum in oper. et dier. v. 514.

ψυχρὸς ἐὼν διάησι δασυστέρνων περ, ἐόντων,
Frigidus cum ſit, perflat, hirſuta licet pectora habentes.

Sic apud Homerum occurrit ἱμάτιον ἐνεύναιον καὶ περεύναιον μέγα καὶ δασὺ, *veſtimentum cubatorium et inſtratum magnum et hirſutum*, cujus Pollux in Onomaſtico pariter meminit Libr. X. cap. XXVII Segm. 120. p. 1302. Edit. Hemſterhuiſ. Idem Auctor Lib. V. c. XII. Segm. 68. p. 512. δασύπες habet, et leporem deſignat ab hirtis pedibus, quod et Gaza ex Ariſtotel. Libr. I. de Anim. refert; notatus tamen a Cael. Rhodigin. Antiq. Lect. L. XXX. Sed Brodaeus ſcholiis ad Libr. I. Epigr. c. 33. partes Pollucis ſuſcepit, citando plurimos Auctores, quibus δασύπους, lepus. Nec Luiſinius

nius hac in re Polluci parcit Libr. I. Parerg. c. 26. Quam litem eruditiſſime diremit Jac. Nicolai Epiphyll.) L. III. et Jungermann. Not. in Polluc. Excretum autem eſſe animalculum, ad θηρίδιον δασὺ Plutarchi accedens, ſequentibus probabimus.

Varia apud varios poſteriorum ſeculorum medicos beſtiolarum per vias urinarias excretarum injicitur mentio, et coloris et ſtructurae ratione differentium.

Et quidem prioris ratione, cruenti vermis meminit ille, cui ob ſingularem prudentiam, cum ſumma integritate conjunctam, a civibus ſummus patriae magiſtratus delatus eſt, ampliſſimum Tulpium innuo, Obſerv. Libr. II. Obſerv. 49. et Danorum Podalirius rubicundum poſt uſum pulveris cantharidum profert Act. Hafn. Vol. V. Obſ. 21. p. 83. et maximus Cimbrorum Archiater vermiculos annulatos, et molli rubore in urina vagatos, recenſet Obſerv. 18. Lib. I. Animalcula nigricantia per urinam excreta vidit Bartholinus Hiſtor. Anat. Cent. IV. nigros cornutos Riverio miſit Pachequus Obſerv. 40. fuſcos cornutos amplius quinquaginta in urina nobilis Poloni ſolertiſſimus Rhodius in Obſervatt.

Excell. Borrichius albicantem obſervavit, quem inter rariora ſervat Anatomicus Londinenſis Edoard. Tyſon, Act. Hafn. Vol. V. Obſerv. 105. et albicantes vermiculos aſcaridibus minores facta hypoſtaſi ilico in urina produci credit Bartholinus loc. ſup. cit.

Ratione ſtructurae plures vermes, ſi non plane fabuloſi, certe dubiae fidei eſſe videntur, plurimos tamen experientia certiſſima rerum magiſtra firmat. Inter dubios per mictum excretos ponendum inſectum illud, locuſtae, vel avis neſcio cujus formam referens, a Comite de Mansfeld cum urina excretum, cujus apud Paraeum et alios effigies conſpicienda. Subſcribo de hoc animalculo cenſurae ingenioſiſſimi Clerici, qui hanc obſervationem recenſens in Hiſtor. Lator. Lumbric. cap. XIII p. 276. ſtatuit, Paraeum eximium extitiſſe Chirurgum, ſed nimis credulum, mouſtrorumque ideo aucupatorem aviddiſſimum;

 quip-

quippe inſectum hoc de alatorum genere in matulam incidiſſe urinaeque commixtum fuiſſe potuit.

Hollerii Scholiaſtes Libr. I. de morb. intern. c. 50. meminit vermiculorum duorum, acuto capite corniculato, ventre et dorſo teſta tectorum et inductorum, nigrorum, niſi quod ventre rubebant, a calculoſo excretorum. Scarabaeorum hanc progeniem in aedibus piſtorum, molitorum, aliorumque farinacea extractantium, nimis frequentem, cum urina aliquoties mihi exhibitam fuiſſe recordor, aegris ipſis ſponte fatentibus, non cum lotio excretos fuiſſe, ſed jam in vaſe praeexſtitiſſe, cum ſumma licet adhibita cura, ne panis quidem ab inſecti hujus inſidiis et ingreſſu immunis maneat.

Cave tamen, hos ſarabaeos farinaceos, vermes farinaceos Mouſeti credas, horum enim tres ſpecies teredinibus ſimiles, deſcripſit ſumme induſtrius Rajus Hiſtor. Inſect. p. 4. Sed hi ſcarabaci, quorum mentionem injeci, ſunt ſcarabaci piſtrinarii, μυλάκριδες, μύλικοι, μυλάκριαι Heſychii, de quibus plura in diſſertatione noſtra de Molucro morbo, et Σίλφαι ἀρτοκοπείων Dioſcorid. quas Mouſetus deſcripſit in Theatr. Inſect. p. 139. et ſolertiſſimus Charlton. de different. et nomin. animal. p. 47.

Inter dubias iſtas vermium excretiones per urethram recenſenda ſunt pariter concreta nonnulla polypoſa, animalcula et monſtra mentientia. Huc certe referenda Taenia illa pituitoſa, quae per acidulas Goeppingenſes e pene cujusdam Juvenis eximia longitudine prorepſit, teſte Cel. Lentilio Bethesd. Goepping. p. 258. Has inter polypoſas excretiones Excell. Clericus numerat Dracunculum illum cum alis et cauda, cujus Argenterius et Rondeletius mentionem injecere; et illuſtr. Valliſnerius nelle conſiderazione et Eſperienze intorno alla Generazione de verme ordinarii del corpo umano. p. 20. 21. viperam illam a Capucino in urbe Peſaro an. 1677. cum urina excretam, cujus R. P. Athanaſius Kircherus Append. Libr. 9. Part. II. Mund. ſubterr. fol. 160. meminit, firmiſſimis argumentis probat, non viperiforme quid, ſed potius concretum longiuſculum portionis albicantis

cantis ſive fibroſae et ſanguineae, uno verbo, polypoſum fuiſſe; quo certe omnes ſerpentum, viperarum, taeniarumque et longiorum lumbricorum concretiones referendae videntur: his enim niſi accenſeas, vix ſalvanda erit virorum in arte olim Medica celebertimorum auctoritas, nec abſolvendi ab intentato ipſis nimiae credulitatis vitio. Supereſſent alia excretorum per urinam inſolita, quibus citius in Palaephati Incredibilibus, quam inter veras obſervationes medicas, de quibus pluribus adhuc agendum, locus eſt concedendus.

Recenſeatur inter animalcula haec per mictum reddita, quaedam aſcaridibus ſimilia, qualia obſervavit Cel. Tulpius loco modo citato. Capillaribus vermiculis ſimiles ſibi occurriſſe, ſcribit Rondeletius de piſcibus Libr. XII. c. 25. quales et Fernelius, Hollerius, Mundella et Hildanus obſervarunt. Vltra centum diverſae magnitudinis et figurae urinae innatantes vermiculos in infante duorum annorum obſervabat Excell. Menzelius Ephem. Dec. III. Ann. III. Obſerv. CXVIII. quorum nonnulli adeo parvi, ut aciem oculorum fere fugerent; alii inſtar vermiculorum caſei, alii vero inſtar parvarum angvillularum capitulis nigris hinc inde natantes. Sic illuſtr. Francus de Franckenau myriadas vermiculorum capitulo nigro, corpuſculo albo magnitudine aſcaridum aut eorum, qui in caſeis inveniuntur, et in filiola bima circiter obſervavit Dec. III. Ephem. Nat. Curioſ. Ann. IV. Obſerv. II. et in ſtudioſo quodam vermiculos albos vivos, craſſioresque aſcaridibus, ac ſimiliores illis, qui in pomis juglandibusque reperiuntur, capitulis rubris. Forte his non abſimiles erant, quorum myriadas poſt Goeppingenſium acidularum uſum per alvum et urinam excretos viditCeleb. Roſ. Lentilius in Paralleliſm. ad Ann. V. et VI. Dec. III. et quidem ad Obſ. 160. In aceto natantibus vermiculos ſimiles per lotium excretos vidit in juvene Gonorrhaea correpto Cel. Lanzonus Ephem. Cent. III. et IV. Obſerv. 59. p. 142. Sed cave, ne vermiculi ſeminales ab acutiſſimo Loevvenhoekio obſervati, confundantur cum his lotii vermiculis. Benedictus Sylvaticus in Veſtali Vicentiae, obſervavit porro vermes pedicu-

diculorum magnitudine in ſero urinoſo Profeſſoris Patavini Vicontii; imo vermes breves tenuiſſimos, qui nec pediculi dimidium aequarent diuque viverent, animadvertit Cardanus. Huc pertinet lepida illa, modo non ſuperſtitioſa, Ludovici Bonacioli Ennead. muliebr. cap. 4. exhibita obſervatio; *Praegnantis*, ſcribit, *lotium triduo, vitreo vaſculo apprime obſepto, in umbra aſſervari volunt alii, exinde perpurgato linteo percolari. Quod ſi minutiſſima animalia, pediculis ſimilia in eo offenderis, conceptum plane praemonſtrant, quae ſi rufa extiterint, marem, ſi candicantia, fœminam indicant.* Sed fictitium hoc graviditatis indicium non faſtis medicis, ſed obſtetricum et anicularum fabulis inſerendum.

Lumbriciformia pariter recenſentur urinariarum viarum excreta animalcula. Sic lumbricum teretem per urethram emiſſum notavit ſolertiſſimus Rhodius Obſerv. Libr. III. n. 36. Matthaeus Obſerv. Med. cap. 3, aliique a Rhodio citati. Huc trahi poterit D. D. Planteovii caſus, qui obſervavit vermem excretum, cujus craſſities — trium autem cubitorum longitudo. Vid. Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. VI. p. 85. Lumbricos per penem multos excretos et inter alios maximum inſtar viperae habet Zodiac. Medic. Gallic. Ann. I. Sic lumbricum pariter cum urina cruenta excretum vidit Experient. Lentil. Miſcell. T. I. part. I. Ad hanc claſſem trahimus obſervationem D. D. Simonis Schulzii Dec. I. Eph. Ann. IX. Obſerv. XIV. qui faſciculum oblongum vermiculorum vidit, veſicula peculiari incluſum, per penem a puero annorum XI. excretum. Forte his vel aſcaridibus accenſenda, quae Excell. Pechlinus Lib. I. Obſerv. 18. habet; obſervatas eſſe ſubſultim euntes particulas mobilique petulantia per urinarum ſpatia vagatas. Videbantur illa vitalium ſalientiumque particularum indicia ſollicite intuentibus eſſe vermiculi annulati, et molli rubore in illa ſedimenti albedine infecti. Potius quam priores lumbriciformis fuit vermis plusquam σπιθαμιαῖος, per vulnus in ſectione calculi inflictum, e veſica poſt intenſiſſimos dolores nephriticos prodiens, et emplaſtro detracto adhaereſcens,

ſcens, cujus mentio apud eundem Pechlin. Obſerv. L. I. Obſerv. 4. quales olim canibus inter luſus Anatomicos vermes exemit, quos conſtabat ante multis ejulatibus dolores latentes prodidiſſe. Jungimus his canum tortoribus, vermes in eorum renibus repertos, quorum indagationi ſolertiſſime incubuit laudatiſſimus jam Vallisnerius l. cit. qui obſervationem D. D. Euthii Ephem. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. VII. et VIII. Obſerv. 3. p. 6. de foemina, cujus ren dexter lumbrico lato inquinatus erat, citando credidit, potius rotundis, quales in renibus earum ſunt, quam latis fore annumerandum.

Hirudinibus non abſimiles utrinque in extremitatibus capitulo nigro inſtructos, longioris ſi in aqua calida contineantur, vitae, Ronſſaeus in epiſtolis profert, qui talem vermem in ſeptimum usque menſem caldae beneficio nutrivit. Sic eruciformes per urinam excretiones dantur, quales illi vermiculi, quos Tulpiana Obſervatio Tab. VIII. Fig. 3. oſtendit ad Obſ. 51. Libr. II. Sic quidam vir nobilis provectioris aetatis poſt urinae incontinentiam et perpetuum fere ſtillicidium cum nocte dieque torquente ardore et dolore, paucis ante obitum diebus globulum quendam adipis ingenti conatu cum urina excrevit, cujus in medio vermiculus inveniebatur erucae minimae, aut bombyci haud ita pridem nato qua forma et magnitudine ſimilis, coloris carnei pallidiuſculi, ſex pedibus ſatis velociter currens, id quod Dec. III. Ann. III. Obſerv. 82. retulit Excell. Garliep van der Mühlen.

Datur enim eruca pilis brevibus hirſuta, cujus dorſum medium lineae duae e tuberculis ſeu agminulis pilorum brevibus compoſitae ſecundum longitudinem percurrunt; pedibus plurimis exiguis licet inſtructa, motus velociſſimi, hinc millepedis ſive aſelli forma et magnitudine deſcribitur ab illuſtr. Rajo Hiſt. Inſect. p. 177. Amicum olim integerrimum, νῦν ἐν ἁγίοις, D. D. Septimum Andream Fabritium, cujus, ad Praxin medicam Daduchi fideliſſimi, cineres ſancte ſemper veneror, mihi oſtendiſſe erucam proxime deſcriptae prorſus ſimilem recordor, a Coriario hujus urbis poſt intolerabiles fere dolores excretam, ad ϑηρία propria ſive ferina animalcula cum Tulpiano

verme

verme releganda; viva erat haec eruca, hirſuta, articuli pollicis longitudine, celerrime ſe movens currensque. Animalculum iſtud, ipſiſſimum θηρίδιον δασὺ *Plutarchi* eſſe, vel illi ſimillimum extitiſſe, quod huic obſervationi anſam dedit, nemo credo inficiabitur.

Ad hoc θηρίδιον δασὺ pertinent vermes millepedi ſimiles, ſaepius cum urina redditi. Horum numerus omnes alios hactenus memoratos longe ſuperat. D. D. Joh. Schmidius Dec. I. Ann. IV. et V. Obſerv. CLVI. in Canonico Warmienſi binos ſine dolore per urinam excretos, vermiculos vivos vidit, qui per microſcopium obſervati erant velut θηρίδιον δασύ, multis pedibus praediti, vitamque ultra diem, ut ex motu velociori et greſſu agnoſcebatur, protrahebant. A Millepede vix abludens animalculum vivum per urethram cum urina rejecit, et quidem poſt longum difficilemque morbum fidiſſimus Hippocratis interpres, Ludovicus Duretus, Medicus omni exceptione major, fideque digniſſimus, qui ipſe hoc Paraeo retulit, ab illo poſtea memoriae mandatum Libr. XX. cap. XXX.

Jungimus huic Gallorum eruditiſſimo, Danorum doctiſſimum Olaum Borrichium, qui ex continuato pulveris millepedum in calculoſo Anglo uſu, poſt dolorem urethrae et titillationem inſolitam, vidit excretum aſellum ſive millepedi ſimilem vermem vivum, plane albicantem. Hariolabatur vir acutiſſimus, in aſſumto millepedum pulvere, vel delituiſſe adhuc ovula, unde inſecta generantur, vel antea vivum ab inſcio hauſtum fuiſſe; tandemque iterum excretum, quemadmodum aſſumta plura ac deglutita ſaepius per vias urinarias exirent. Nec alios quam millepedibus haud diſſimiles judico illos vermes, quos illuſtris Bartholinus poſt diuturnum nephriticorum uſum excretos vidit, ſcorpionis forma, ſed diſpari longe magnitudine.

Et mihi pariter aliquoties vermes per canaliculum corporis excretos millepedes mentientes videre contigit, absque ullo tamen millepedum uſu praevio. Senex octogenario major generoſiſſimae proſapiae et Senatoriae in urbe hac noſtra dignitatis,

tis, ſaepius tales vermiculos emiſit, millepedibus rotundiores et minores ac magis albicantes, ſine ullo penitus dolore, quos ab ovulis ſeminalibus intro aſſumtis cum Cl. Borrichio credideram, tum maxime cum oniſcorum ſive millepedum turma, cellas vinarias, illaque loca, ubi potus et cibus aſſervatur, inhabitare ſoleat.

Alium adhuc, nec diſſimilis argumenti caſum, repetitus laudatiſſimus Parreirae bravae uſus ſuggeſſit. Vir quadraginta annorum, negotiorum ſuorum cauſa terris multum jactatus et undis, frequentiori urinae ardore ſtillicidioque laborans, de rodente ſaepius circa veſicae orificium cruciatu conqueſtus, meam expetens operam, infuſum Parreirae bravae ſaepius aſſumit. Continuato remedii hujus uſu ad aedes meas advolans tres vermiculos oſtendit cum urina una vice non ſine maxima urethrae titillatione excretos. Regerenti mihi, an non in vaſe, cui lotium immiſſum, minus bene eloto praeexſtiterint, ſancte affirmabat, illos, per viam urinae excretoriam prodeuntes et ſenſiſſe et vidiſſe. Poſt biduum rediens quippe iterum, ejusdem cum prioribus ſtructurae offerebat, qui eandem, quam priores ſelegerant viam, poſt aliqualem tamen urinae ſuppreſſionem et remoram. Erant autem vermiculi millepedibus multo minores et rotundiores; armato oculo apparuere hirſuti, corpus arcuatum ut in millepedibus, et in XIV. ſectiones ſive circulos diviſum: primus annulus ſive circulus reliquis minor et anguſtior capitis, ex poſterioribus aliquot, caudulae bifurcatae vices ſupplebant, ſinguli pedum pari inſtructi, ut merito inter τεσσαρεσκαιδεκάποδα referendi. Capitis eminentia antennulis tenuiſſimis ideoque vix viſibilibus inſtructa, rictus lamellulis vel ſi mavis barbula occluſus. Colore magis quam millepedes albicabant.

Vix ac ne vix quidem diſſimiles hi vermiculi illis, quos ampliſſimus Tulpius Obſerv. L. II. . . . deſcripſit, et Tab. VII. fig. 2. quales naturali et armatis oculis conſpecti fuere figura, aeri incidi curavit. Apparuit his in vermibus per microſcopium

Plutarchi illud δασὺ ſive hirtum in tergore; ſeſeque viſui exhibebant πολλοῖς ποσὶ ταχὺ βαδίζοντες, et multis pedibus celeriter ambulantes. Non levis tamen intercedit differentia hos inter vermes per urinam excretos, et millepedes veros, hi enim inter inſecta ἀμεταμόρφωτα, quae nullam ſubeunt formae mutationem, referuntur, lotii autem vermes ad μεταμορφούμενα pertinent.

Vt mutarem, quam de intro-aſſumtis millepedum ovulis conceperam ſententiam, facem primitus accendit Cl. Merettus, in hiſtoria naturali patria indaganda vir ſolertiſſimus; qui in Libr. inſcript. Pinax rer. natural. Britann. non obſervari tantum, ſed etiam gigni vermes in urina ſtatuit: evolvens enim forte fortuna Metamorphoſin et hiſtoriam naturalem inſectorum Johannis Goedartii per Johannem de May primitus editam, experim. 51. poſtea ab illuſtri Liſtero in methodum redactam, et additis doctiſſimis notis luci expoſitam N. CXXX. hoc ex opere geneſin vermiculorum ex urina putrefacta ſive corruptione edoctus ſum. Meretur certe Goedartiana diligentia, ut hic recenſeatur.

Experiri volens, quid ex hominum urina putrefacta et corrupta proveniret, infundibulum feci ex charta ita complicata, ut inter plicas ejus nulla muſca aut aliud animalculum poſſet intrare; atque infuſo ei infundibulo aliquoties humano lotio, expertus ſum intra plicas ex adhaerentibus urinae faecibus vermes aliquos prodiiſſe. Vnum ex iis, experimenti ſumendi gratia, reſervavi, qui ſe ad transformationem compoſuit primo Martii, ac decimo quarto die ejusdem menſis formam habuit muſcae. Caput ejus rubrum eſt, corpus nigrum, poſteriora flava; habita originis ratione eam *Pis-Vliege* ſive lotii muſcam nominavi.

Firmat hanc Goedartianam geneſin Obſervatio viri non Senatoria tantum apud Lucernates dignitate conſpicui, ſed in hiſtoria

ria naturali ſcientiſſimi, Dn. D. Caroli Nicolai Langii, annexa cum plurimis aliis p. 212. Tractatui exaſciatiſſimo vernacula lingua inſcripto: **Beſchreibung es biß dahin niemahls erhörten Genuſſes der Kornzapffen in dem Brod und des darauf erfolgenden ohnverſehenen kalten Brand.** Hujus libelli praecipua contenta nobis elapſo anno ſumme induſtrii Actorum eruditorum Lipſienſium Collectores dedere. Obſervavit vir hic clariſſimus duos vermes, his Goedartianis perquam ſimiles rotunditate, coloris albedine, et coacta brevitate tantum differentes, a juvencula excretos; quos Goedartianis junctos aeri incidi curavit.

Conciliat haec urinariorum vermiculorum metamorphoſis plurimis aliis obſervationibus lucem. Sic Dec. I. Ann. III. Obſerv. XXVIII. Ephem. N. C. Clar. D. D. Ehrenfr. Hagendornius retulit; puerum IV. annorum poſt variolas per aliquot ſeptimanas ſemper cum urina excreviſſe vermiculos alatos, (nymphiformes nempe ex parte dimidia,) urina exiſtente calida, recenterque micta ſe moventes; eadem vero frigefacta, a motu ceſſantes et morientes. Quae Obſervatio, inſcia hac Goedartiana metamorphoſi dubia videretur, indubiae nunc veritatis.

Dat accipitque ex hactenus dictis lucem ſtupendus et nunquam ſatis laudandus Anatomici qua patet orbis ſine exceptione ſolertiſſimi, Dn. D. Fried. Ruyſchii labor, cui venerando ſeni ſumme vegetam ſenectutem aquilaeque inſtar renovandas tot auſibus vires precantur, quotquot excultioris Anatomiae ſtudium curae cordique eſt. Facem accendit plurimis dubiis in ejusdem Theſauro Anatomico primo, p. 54. ubi arcula quarta inſtructa eſt aliquot minutiſſimis muſcis, ut et exuviis ſeu pelliculis Nympharum, e quibus muſcae excluſae ſunt. Hae autem Nymphae per vias urinarias ſimul cum urina expulſae ſunt.

Cum caſus et cauſae harum Nympharum et muſcae urinariae, illuſtrationi hactenus dictorum inſerviant, hiſtoriam a viro ſummo deſcriptam, bona ejus pace recenſebimus.

Nobilis quidam vir queſtus aliquo tempore de pruritu in perinaeo et moleſta urinae excretione, chirurgum et paucos poſt dies me quoque accerſi juſſit. Vrinam invenimus non admodum ſaburroſam, ſed particulis exiguis oblongo-rotundis, granula mentientibus permixta.

Hiſce viſis petii ab aegro, ut mihi liceret aliquot in capſula domum auferre, ulterius perſcrutandi cauſa, id quod conceſſit. Cum autem altero die capſulam aperirem, reperi eam muſcis innumeris, ut et pelliculis, e quibus excluſae, refertam.

Attonitus hiſce phaenomenis microſcopium in auxilium adhibui, et ſic diſtincte reperi dictas particulas nil aliud fuiſſe, quam Nymphas, quae produxerant haſce muſcas: omnes autem muſcae per capſam diſperſae vivebant, et nonnullae volabant, quas inter una pelliculae ſeu exuvio adhuc adhaerens, omnem dubitandi anſam mihi adimebat.

Pergit acutiſſimus vir ulterius in cauſas phaenomeni inſoliti inquirens: Dixerit forſan aliquis, unde tales Nymphae in perinaeo et quidem in collo veſicae, ubi haerebant ante excretionem? Reſp. Cum ductus urinarii via ſit ſatis patula, haud neceſſarium eſſe exiſtimo, ad alias minus aptas confugere vias. Per hanc viam veroſimile eſt vermiculos minutiſſimos inſenſibiliter intraſſe et circa veſicae collum haeſiſſe, donec Nympharum formam adepti ſunt. Cum hanc hiſtoriam Viro nobili proſapia oriundo referrem, regerebat mihi, ſeſe hoc non ſolum quoque expertum fuiſſe in proprio corpore, verum etiam tale quid olim vidiſſe in urina cujusdam mulieris. Non abſonum mihi videretur credere, hocce affectu homines corripi in latrinis, praeſertim ſi quis diutius ſolito ibi manſerit, idque certis tem-

temporibus, cum tales vermiculi graſſantur, id quod forte raro contingit, et per conſequens rariſſime obvius dictus affectus.

Diſcrepat tamen Goedartiana lotii muſca ab illa latrinarum, cujus metamorphoſin videre licet in Goedartii editione Liſteriana N. CXXVI. et N. CXXVII. et in Hiſtor. Inſect. illuſtr. Ray p. 272.

Patet ex hactenus recenſitis, ceteras quoque illas obſervationes a nobis, de vermiculis per urethram cum urina excretis, aſcaridibus, vermibus capillaribus, pediculis, eruculis, alatis inſectis ſimilibus et ad hanc muſcarum lotii Goedartii claſſem et transmutationem referri poſſe, ſi nempe in triplici metamorphoſi vermis, nymphae et muſcae conſiderentur. Quae ſi inſuper e lotii putredine ipſi prodeant et generentur, non eſt quod earum ſive in latrinis ſive extra corpus generationem quaeramus.

Quae res cum ulteriori et intimiori indigeat ſcrutinio, vir autem ad rerum naturalium cauſas non tantum rimandas aptus natus, ſed et in omnibus artis noſtrae partibus ad ſtuporem doctus, Dn. Vallisnerius, in eruditiſſimo Tractatu vernacule inſcripto: *Nuove Oſſervationi et Eſperienze intorno all' ovaja de Vermi* p. 94. ſeq. ſpem uberioris in hos lotii vermes inquiſitionis fecerit, publice hac diſſertatiuncula virum indefeſſi ſtudii ea, qua par eſt, veneratione compello, ut ſe exorari patiatur, et experimenta cum Ephemeridibus noſtris N. C. quae jam ipſi plurimum debent, benevole communicare velit.

Dedimus hactenus obvias de hac re obſervationes, quae tamen ſequitur, et θαυμάσιος noſter Thomaſius, animae dimidium meae, ſuppeditat, phaenomenorum raritate obſervatu digniſſima erit.

OBSERVATIO C.

Dn. D. Godefridi Thomaſii.

De

Concretis vermiformibus copioſe per veſicam egeſtis.

* * *

PERIANDRO SVO

S. P. D.

VINDICIANVS.

CVm nihil ſit facile ſuavius mirifica Tuſculani tui amoenitate, quae Te ſubinde curis ac laboribus feſſum recreat, et amicis pariter melioris doctrinae amantibus ſeceſſum praebet loci non minus oportunitate, quam feſtivo Heri genio longe gratiſſimum; tum vero iſtud praecipue me capit, utque te ſaepius, ibi agentem, conveniam allicit, quod optimorum ſelectu librorum ſtipatus in promptu habes, quicquid in omni liberalioris diſciplinae genere reconditum aeſtimari poteſt aut exquiſitum. Pereant, qui nobis ſaluti mortalium unice operantibus eam invident felicitatem, ubi nos gravi adductoque ſupercilio adſpiciunt in Muſarum Apollinisque maxime commerciis lenimen quaerere iſtius taedii, quod praxis clinica ſaepenumero obiicit, cum aliis vino aleaeque praeter modum deditis impune ſit bonas horas male perdere. Mihi vero, abſque Te ſi eſſet, mea Suavitas, dudum ſane hujusmodi deliciae fuiſſent exuendae, periiſſetque omnino earundem guſtus, niſi Tuo ſubinde in muſeo cupediae mihi apponerentur, ne quaquam publici ſaporis, et quod magis eſt, delicato optimique ſucci pabulo animum nutrientis elegantioris alimoniae avidum. Quanta fuit heri nobis in lectio-

ne ſcripti luculenti delectatio, quod magno Illuſtris VALLISNERII nomini conſecratum terminalia ponet noviſſimae Ephemeridum noſtrarum, quae ſub prelo gemit, Centuriae! Quantam Chaeronenſi magiſtro lucem affers loci a quamplurimis praetervisi aut neglecti explanatione, rerumque cognitu apprime jucundarum copia, qua tanquam ſeſami papaverisque ſparſione mirifica condire ſoles, quaecunque ex ampliſſimo ingenii doctrinae tuae penuario deprompta in publicum exponuntur! Quam eſt curioſa tot diverſorum ſpecie animalculorum collectio, quae per naturalia cum obſcoeno humore prodiiſſe animadverſa fuere gnavis hiſtoriae naturalis et medicae obſervatoribus! Vt fruſtra ſit futurus, credo, qui eminenti et plane exaggerato cumulo granum ſe poſſe credat adjicere. Deſideras, tamen et quod jubere poteras, abs me petis, ut poſt productas a PLVTARCHO aſellos diaria apponam ſingularis recenſu eventus in demortui ex maraſmo anatome, qui vivens copioſa lumbricorum in inteſtinis alias hoſpitantium glomeramina, pullitiem pene dixiſſem, viſus fuerat plus vice ſimplici in matellam excernere. Age igitur, expediamus actutum officioſi ad nutus etiam tuos calami miniſteria, neque pigremur fulgenti nativis coloribus purpurae tuae vilem, quoniam ita vis, ſubitariae ſcriptionis pannuciam attexere. Tu vero, conjunctiſſime Amicorum, me porro, quod facis, ama et aſſem para, ſi lubet, non fabulam, ſed hiſtoriam rarioris in arte, quam facimus, phaenomeni, multis ſane nominibus memorabilem accepturus.

Vir et natalium dignitate et muneris, quod in Republica adminiſtrabat, amplitudine conſpicuus, ea gaudebat corporis conſtitutione quam bilis phlegmate ex aequo temperata producere ſolet. Latera firma, habitus quadratus et ſatis robuſtus, ciborum ingeſtioni egeſtionique pariter opportunus, ac laborum patiens, florenti cumprimis aetate, ubi officii ratio crebriores deambulationes, vitamque adeo fere deſultoriam injungeret.

Quam

Quam ubi poſthac cum ſedentaria permutaſſet, aetate ultra ſtatam provecta priſtinus ille vigor viſus fuit nonnihil remittere, hypochondriacis ſubinde paſſionibus, vario genere moleſtiarum rem turbantibus. Parum tamen haec curabantur, cum nec admodum eſſent graves, et pharmacis ex praeſcripto adhibitis facile miteſcerent, donec annum agenti a ſexageſimo quartum arthritis etiam inſultaret; doloribus tamen, quales in primo conflictu eſſe ſolent, nec ultra modum acerbis, neque nimium diuturnis. His ita ex voto feliciter ſuperatis, in compoſito videbantur eſſe omnia, creſcentibusque cum orexi viribus nemo facile potuiſſet latentis in occulto hoſtis inſidias ariolari. Quae, ubi annus eſſet vix elapſus, inſperato manifeſtabantur, urinae ſubſtillio, (venia ſit vocabulo CATONIS) repente oborto, tametſi nec arenulae fuiſſent obſervatae lithiaſeos metuendae indices, nec lumborum inguinumve dolores, nec in diaeta quidquam admiſſum, quod ardores meatui ſenſus tenerrimi graves potuiſſet inducere. Vocatus ad opem clinico ferendam PHILADELPHVS noſter, doctrinae pariter atque felicioris experientiae laude clarus medicus, cujus ante hoc ſemeſtre demortui obitum luget ordo noſter, diuque lugebit, praeſidiis malum oppugnabat convenientibus ac uſu crebriori firmatis, eo qui optari poterat eventu, ut altero ſtatim die repagula ſolverentur, ſed cum impetu, ſex ſeptem ad ſpeciem lumbricis una cum ſanguine florido exeuntibus, antequam lötium ſine moleſtia profflueret. Mira res neque facile creditu, oculos tamen ac mentes intuentium inſolito ſpectaculo faſcinans, cui deſcribendae operae, credo, erit pretium nonnihil immorari. Corpora erant ſane lumbrici inteſtinalis ex eorum genere, quos teretes vocant, formam exacte referentia, niſi quod colore eſſent magis rubicundo a ſanguinis, cui immerſi, prodierant contagio, qui tamen rubor ubi calida eloti in ſpirituoſo vini ſtagmate aſſervarentur, apparebat dilutior. Extremitatum altera plerumque obtuſior, altera ſenſim attenuata, ut capitis et caudae inſtar crediddiſſes repraeſentari. Menſura ſpithamam plus minus excedebat. Textura initio mol-

molliuſcula, quae tamen in liquore ardente rigeſceret prompte ac utcunque ſolidaretur. Vnde et factum reor, quod abſorpto paullatim eo, quo recens excluſi turgebant, humore mox in contractiora filamenta attenuarentur. Neque vero, ceu fas omnino erat ſuſpicari, in longitudinem protracta haec ex urethrae anguſtiis educebantur, ſed implexo in gyros glomeramine, viis duntaxat a ſanguinis una profluentis liquido tantiſper lubricatis, non ſine tenſionis ac moleſtiae ſenſu, quaſi agmine facto prorumpebant. Quod ſane mirum prae ceteris aeſtimandum, mihi etiam crucem fixiſſet, niſi ex PROSP. ALPINO (a) morem antea didiciſſem Aegyptiis frequentatum, qui ore ad urethram calculoſorum applicato eam pariter atque os veſicae flatu in tantam diſtendunt amplitudinem, quae non lapillis duntaxat veſicariis, ſed calculis etiam grandioribus viam faciat, ut absque horrido et cruento ſectionis miniſterio, leniori ſolum digiti ſtrictim ſequentis preſſu, maximo laborum et periculi compendio, qua data porta, exiliant.

Inciſurae quoque, unde nomen inſectis animantibus, poterant ſpectari, non aſperiores equidem illae, quales in annulis lumbricorum terreſtrium corpuſcula cingentibus, ſed teneræ levioresque, quas dudum in iis, qui hujus ſunt loci, inteſtinalibus notavit EDVARDVS TYSON. (b) His ita ſeſe habentibus tametſi portentoſum videri poterat, lumbricos ea copia ac forma per veſicam excerni, quoniam tamen externa ſpecies iſtos inteſtinorum incolas plene planeque referebat, rumor inſolitae rei dicto citius per urbem diffundebatur, aegro interea per aliquot dies et vires colligente et ſpem firmioris in poſterum a propulſo hoſte valetudinis. Sed breves ac fallaces inducias conflictus mox alii ex aliis acriores conſequebantur, ut vix octiduum praeteriret ſine ſanguinolenta plexuum vermiformium excluſione, quae quatuor nonnunquam, ſaepenumero plures horas duraret, et ubi ceſſaſſet, mox urinae tantiſper cohibitae copiam poſt ſe duceret.

(a) *De Medicina Aegypt. L. III, c. XIIII, p. 104. ſeqq.* (b) *Philoſoph. Tranſact. n. 147. 154.*

ret. Neque enim, cum natura cruentos hujusmodi partus moliretur, lotii quidquam reddebatur, antequam omnia eſſent expulſa, neque in urinoſa lympha, quae momento ſtatim profluebat citrini ac diluti coloris, ſanguinis guttula poterat obſervari. Me igitur ad ſubſidiarias una cum amantiſſimo PHILADELPHO operas in perplexo ac dubio caſu ferendas vocatum princeps tenebat cura ac ſollicitudo, ut quid de verminoſa hac, ut credebatur, progenie ſentiendum ſit, planius conſtaret. Suſpecta jam erant pleraque, quae abs auctoribus, nimis quam par fuiſſet, credulis de vermibus per mictum ejectis erant notata, inprimis monſtra illa ac prodigia, quae ab AMBR. PARAEO (c) delineata conſpiciuntur, cujus ſcripta, praeſertim iſtas farragines ab inſtituto chirurgico alienas junioribus tum in urbe Pariſienſi medicis magnam partem deberi, JO. RIOLANVS F. (d) dudum monſtravit. Magna eſt Obſervationum Magni Tulpii elegantia, nec minor exquiſitae doctrinae copia, quas a Cl. Viri Jo. ANTON. van der LINDEN genio plane Hippocratico adornatas, olim in Belgio accepimus, et res ipſa ſatis clamat. Teres tamen ille, quem adducit, (e) vermis et rubicundus, a Volcando Aita per veſicam excretus, nomen jam cum ſpecie mutare juſſus eſt acuto ſagaciori, et inter polypos renales relatus DAN. CLERICI (f) accuratiſſimi harum rerum cenſoris ſuffragio. Cucurbitinorum in rene canis lumbricorum copia, quam αὐτόπτης amicus MART. LISTERO (g) retulerat, parum nos movere poterat, cum nihil haberet quidquam cum portentis noſtris commune. Neque iſti in urina febrientis Cauſidici ſubſultantes vermiculi, celeberrimo quondam LANGELOTO, hujusque genero pari fama JO. NIC. PECHLINO (h) obſervati magis ad forum noſtrum ſpectabant, minutiae potius appellandae verminoſae, non vermes. Vnicus ſaltim occurrebat cum noſtris mire conveniens a Matthaeo Mil-

(c) *Opp. L. XIX. c. III. f. 572.* (d) *Anthropograph. L. I. c. V. p. 51.* (e) *Obſervat. L. II. c. XLIX. p. 172.* (f) *Hiſt. lat. lumbr. c. XIII. p. 280.* (g) *Philoſoph. Tranſact. n. 95. p. 6064.* (h) *L. I. Obſervat. XIX. p. 44.*

Milfordo cum urina excretus, (i) ſed vivens, capite quaſi ſerpentino, cauda in cuſpidem deſinente, longitudinem etiam ulnae dimidiatae excedens. Exiſtimat eum GEORG. ENTIVS in rene formatum difficilimoque poſt tractu in veſicam delatum; noſtri autem glomi neque dolores produxerant acriores ac lithiaſeos aemulos, neque magnam adeo creare obſervabantur in egeſtione moleſtiam. Manus igitur cultello proſectorio, oculi microſcopio armati in ſubſidium vocandi videbantur, ut conſtaret, ecquid heic ſubeſſet monſtri aut prodigii. Quod cum agerem, maſſas ſane deprehendebam ſatis diſſimilares et a vinoſi ſpiritus affuſione redditas nonnihil rigidiores, quam fuerant antea ab excluſione recentes, fibrillis hinc inde confuſas magis quam diſtinctas, minus enim erant ordinatae, nec tenſae ſatis; neque interanea poterant deprehendi eo poſitu atque forma, quam laudatus ſupra ED. TYSON in lumbrici teretis anatome * delineavit. Ita tamen erant comparata omnia, ut ſi libuiſſet genio indulgere hariolatori, et in obſcuro architectari licentius, pronum utique fuiſſet animati corporis particulas hinc inde curioſioris phantaſiae ſubſidio, aut harum ſaltim ideas exſculpere. Sed cohibebat obviam fingendi audaciam vipera a KIRCHERO (k) graphice delineata, quam Piſauri a Capucino cum continuo ſanguinis profluvio per meatum urinarium ejectam refert, notatumque abs anatomicis, ad inſolitae rei ſpectaculum confluentibus, hepar verbis diſertis aſſeverat, ALEXANDRO etiam COCCIO primario urbis medico, qui curationem perfecerat, hiſtoriam vernacula ſcriptione complexo. Nihil tamen heic ferini latuiſſe monſtravit poſtea Illuſtris VALLISNERIVS (l) perſonatique ſerpentis ſchema ingenioſa metamorphoſi mutavit in polypum. Satius itaque viſum, cum nihil adeo certi potuiſſemus expiſcari, cohibere tantiſper fluctuantis per incerta animi ſententiam, donec fatalis vitae terminus, qui omnia ſolvit, huic quoque aenigmati ſuum daret Oedipum. Neque

Ppp 2 lon-

(i) *Philoſoph. Tranſ. n. 140. p. 1009.*

* *Ibid. n. 147. p. 154.*

(k) *Mund. ſubterran. T. II. f. 160.* (l) *dell' orig. de vermi nel corpo umano. p. 21.*

longius abeſſe poterant extrema, cum jam trimeſtre eſſet exa-ctum languores inter ac ſuſpiria, nec exquiſitiſſimis ex arte prae-ſidiis cederet ulla ratione malum contumax et diuturnum, cujus etiam origo atque indoles tenebris deprehendebatur obvoluta plusquam cimmeriis. Raro hebdomas fuerat traducta, quin ad minimum ſemel, non nunquam etiam bis lumbriciformis haec atque infauſta propago ex latibulis ſuis prodiret. Quod cum ſine notabili haemorrhagia nunquam accideret, deficere demum et exhauriri purpureum vitalis humoris fontem erat neceſſe, prae-ſertim cum ſtomachi vis appetens pariter atque coctrix indies magis langueſceret, nec praeter juſculi modicum poſſet aliud quidquam deglutiri. Quis heic non videat marcorem totius, quietem interdiu ac noctu turbatam, in præcipiti omnia, lym-pham cum ceteris animatae compagis fluoribus ex aequo fa-tiſcentem, corpuſculumque adeo pene exſuccum ac prorſus in-validum lenta paulatim tabe conſumptum iri? Admittebat oportune propitia votis noſtris neceſſariorum familia officio-ſas ac laevigatas jamdiu eum in finem novaculas, ut reducto denique ſyrmate, quod arcana iſthaec nobis velaverat, nudam in ſecretiori receſſu naturam mirandaque ejus non uno nomine opera conſpiceremus. Externa abdominis nihil praeferebant inſoliti, nec elatum erat illud praeter morem aut tumidum. Omentum vero livore funeſto pictum in putrilaginem ſolvi cer-nebatur, glandulisque diſtinctum albicantibus, induratis ac ſo-lito craſſioribus. Inteſtinorum plexus omnis, praeſertim in coli cellulis, flatu multiplici turgidus. Colon ipſum leviter inflam-matum; coecum vero extenuatum ac prorſus marcidum. In meſenterio praepingui nihil, quod corruptelam argueret, po-terat obſervari. Stomachi parietes attenuati ac rugis obſiti con-ciderant, ut ſub manibus fere diffluerent, neque funderent quid-quam lymphae animalis, quae fermenti toties decantati vicem praeſtat; venae autem cum arteriis muſculoſam ventriculi ſub-ſtantiam perreptantes, ſanguine cernebantur fartae corrupto ac retorrido, ut atramentum crederes, quo triſtes inflammationis

notae

notae ſignaretur, tametſi in extremis verſantem nec ſitis acrior vexaſſet, nec dolores acuti et immanes, funeſti ſymptomatis perpetui comites una proceſſiſſent. Hepar aderat ſcirrhoſum, ejusque pars concava expers viſebatur amoeni ruboris, cujus locum lurida ac lugubris ſpecies occupaverat. Lien pariter ſqualidus, cruore mephitim ſpirante turgens, ut et nares feriret ſecantium, et viſum triſti cadaveroſaque forma offenderet. Glandularum in pancreate acervus, ductusque ex iisdem procedens, nihil equidem monſtrabant dignum notatu. Ad veſicam itaque ſumma animi contentione properantes, veluti nidum vermicularis hujus geniturae exiſtimatum, eum ſane opido deprehendebamus vacuum, neque quidquam aliud continentem, praeterquam lapillum formae lenticularis, cetera eandem ſervabant formam, quae in ſanis vegetisque corporibus obſervatur. Nihil heic foedum, nihil corruptum, neque ullae comparebant reptilium tanto impetu atque copia antehac in pelvim exoneratorum reliquiae aut veſtigia. Conticuere omnes; nos autem ad renes jam accurate luſtrandos omnem et viſus et cultelli aciem dirigebamus. Quorum etiam dexter hiantes nos corvos deludere videbatur, adeo erant omnia ad amuſſim naturalis moduli exacta atque comparata tam interioris ſtructurae reſpectu, quam externa facie, cujus moles nativam in adultis neutiquam excedebat, et bilanci appenſa ſex duntaxat unciarum pondere librabatur. Jam eo pene reducta res apparebat, ut lumbricina, quae tot cruces nobis fixerant, monſtra cum lemuribus et larvis evaneſcerent et in fumos abirent, niſi commodum ad ſiniſtrum renem converſis alia ſe ſe ſpecies obtuliſſet, quae inventuros nos denique, non quod pueri in faba, ſperare jubebat. Vaſta ejus amplitudo dextrum quater ad minimum ſuperare agnoſcebatur; exterior membrana non adipe heic, uti alias, ſed ſpiſſo lentore referta perinde uti omnis hujus viſceris ſubſtantia nil, niſi craſſamentum ſiſtebat penitus ſcirrhoſum, quo artificioſa papillarium tuberculorum, acinorum, fiſtularumque ſtructura erat obliterata, neque quidquam ex renali contextu ſupereſſe cernebatur, niſi in ſuperiori limbo particula, quae unguem vix excederet. Gravitatis etiam magna a dextro differentia, qui ſelibram medicinalem pendens, immane quantum ab iſto triginta et octo unciarum pondere ſuperabatur. Pelvis exigua cavitas nihil continebat, ureter vero amplior ſolito, quo propius veſicam attingebat, eo magis extendebatur. Renalis glandula, quam capſulam vocant atrabilariam, amurcam fundebat pultaceam. Calloſa erat circa emulgentes aortae portio et ad oſſeam duritiem tendens. Cavae truncus paullo inferius polypo turgebat digiti longitudine, qui pedunculis ſuis tunicae interiori laxe adhærens facile inde divellebatur. In thorace nihil fere, quod animadverſione dignum eſſet magnopere, deprehenſum, cor

 flacci-

flaccidum, ut ſolet in extinctis morte lenta; ex pulmonum lobis dexter pleurae magis adhaerebat, quam ſiniſter, in utroque vero corruptionis ſigna erant ſatis manifeſta. Hisce ita ſubitaria ſectione expeditis divinare tandem licebat obſcuram antea vermiformium coagulorum geneſin, quae ſanguini maxime faeculento torpidoque adſcribenda intra viſceris urinae ſecretioni dicati meatus cohibito, quos ubi lento viſcidoque glutine oppleviſſet univerſos, ex pelvi in ureterem regurgitavit, periſtaltica hujus vi deinum ad veſicae ima detrudendum. Notum fecit ſagax proſectorum induſtria, ex triplici, quae ureteres conſtituit, tunica mediam meris deberi muſculorum oblique expanſorum faſciculis, quibus tendines praeſto ſunt alternatim interſperſi, quorum contractioni per vices actae adſcribenda videtur anulorum ille, qualis in lumbricis terram perreptantibus notari ſolet, character, qui prae ceteris formam inſecti conciliaverat ſcirrhoſis hujusmodi craſſamentis. Haec enim initio profundius curatiusque inciſa deprehendebantur, uretere tum anguſtiori, qui ubi diuturno laborioſoque molimine magis fuiſſet expanſus, amiſerat ſine dubio priſtinam illam vim circulorum in extima texturae vermiformis facie productricem. Vnde quae circa finem tragoediae prodierant in ſcenam corpora, glabra magis ſiſtebantur et undecunque complanata. Haec in veſicam ſucceſſivis injectionibus delata, ubi multiplici intricatoque funiculorum plexu eam fere oppleviſſent, peſſundabatur inde virium expultricium vigor et vitium capiebat, donec diureticorum præſidiorum uſu reviviſceret ad excludendos funeſtos ingratosque incolas, quibus una cum cruore protenus et cum impetu eliminatis urinae demum ſuccedebant limpidae et expedito tractu profluentes.

Has naturae quaſi ludentis praeſtigias diſtinctius libuit pingere, ut conſtare queat iis, quibus haec curae ſunt, non polypoſas ſolum concretiones ſaepenumero lumbricorum habitum formamque mentiri, quae ſingularis eſt et accurata ſummorum virorum VALLISNERII CLERICIque, animadverſio, ſed ſcirrhos quoque, cum rariores in renibus ſint obſervati, nonnunquam poſſe pari faſcino oculos ea ſaltim, quae magis ſunt expoſita, contuentium praeſtringere.

APPEN-

APPENDIX
AD
EPHEMERIDVM ACADEMIAE
CAESAREO - LEOPOLDINO-
CAROLINAE NATVRAE
CVRIOSORVM
IN
GERMANIA
CENTVRIAS VII. et VII.

Mo. Bot. Garden
1902.

CONTENTA APPENDICIS.

Variae Conſtitutiones Epidemicae p. 1. ſeqq.
D. D. Joh. Hieronymi Zanichelli de Ferro ejusque Nivis Praeparatione Diſſ. pag. 25
D. D. Rud. Jacob. Camerarii Stationes Baroſcopicae. p. 71
D. D. Laurentii Civinini Anatomia Dn. Alexandri Marchettis. p. 76
D. D. Gothofred. Benjam. Preuſſii Biga Obſervationum Medicarum ad Illuſtr. Acad. N. C. Dn. Præſidem. p. 81
Anonymi Relatio de Serpentium Antro Romano ad *D. D. Anton. Valliſnerium.* p. 129
D. D. Marci Gerbezii Reſponſum ad Epiſtol. *D. D. Franciſc. Sigismund. Catharinii* de Curatione Febrium Petechialium. p. 143
D. D. Joh. Phil. Breynii de Alcyonio Britannici maris ad Ephemerid. Directorem. p. 153
D. D. Mich. Fried. Lochneri de Acriviola ejusque novis ſpeciebus flore pleno et Peruviana foliis quinquefidis ad *D. D. Joh. Georg. Volkamerum.* p. 161
D. D. Joh. Adam. Genſelii, Memoria Raygeriana p. 189
D. D. Michael. Erneſti Ettmülleri Diſquiſitio, an Plantae Venenatae ante lapſum protoplaſtorum extiterint? adjuncta memoria Schmiederiana. p. 209

CON-

CONSTITVTIO EPIDEMICA INFERIORIS HVNGARIAE

Anni 1711.

Dn. D. Joh. Adami Genſelii.

HYems ſat rigoroſa, Euro dominante, nivibus copioſis, purpura rubra maligna multos, praeſertim vero infantes corripuit, ſecunda et tertia die accedentibus convulſionibus, quinta et ſeptima lethalis. Manus, pedes, dorſum poſt mortem atra ſummae malignitatis ſigna conſpiciebantur, in duobus facta anatome pulmones et hepar lividis conſperſa maculis inveni.

Ver nimis ſiccum, 25. Aprilis hora X. ſol duobus ſtipatus pareliis obſervatus, quorum unus vividiſſimi erat coloris, ſubſequente Majo aeſtu fervente cum fulminibus et fragore tonitruum.

Junius frigidus in principio ac pluvius, ipidum, ſcarabaeorum, erucarum, aliorumque inſectorum ferax, circa finem aeſtuoſum. Variolae et morbilli invaleſcebant, aliquibus etiam funeſtae, illis praeprimis, quos vetulae curabant, parotides crebrae erant, aſt paucae ſuppurabantur, vel enim a natura ſponte reſolvebantur, vel emollientibus et reſolventibus diſcutiebantur, ſudoris guttulis in cute et emplaſtris inſtar roris conſpicuis, in duobus pueris illas induratas vidi, quae cum ab incauto barbitonſore contra nutum apertae fuiſſent, in cacoëthica degenerabant ulcera.

Julii principium calidum, interſparſa quandoque pluvia frigida. Auguſtus in initio ſerenus et temperatus, circa medium frigidiusculus et pluvius. Septembris major pars ſerena et calida.

Febres tertianae absque ullo rigore graſſabantur, per 24. horas et ultra durantes, quinque et ſex ad ſummum ſeptem terminabantur paroxyſmis: petechiae quoque ſporadice vagabantur cum dyſenteria ſeptima et nova lethales. Foemina 57. annorum gravida pro hydropica a medicaſtro quodam reputata, cum ſtupore omnium puellam vegetam ac ſanam enixa eſt. Octobris et Novembris Conſtitutio pluvioſa et nimboſa, flante pluviarum pincerna auſtro, ſeptem enim fere continuos dies et noctes durabant. Decembris principium itidem pluvium, medium ventoſum, at ob auſtrinam aëris temperiem temperatum. Febres intermittentes increbeſcant, diarrhoeae, item, rheumatiſmi ac aſthmata ob ἀδιαπνευστίαν ab humido coenoſo atmoſphaerae ſtatu cauſatam, apoplexiae quoque et paralyſes frequentes erant, ut et variolae et morbilli, in infante trium annorum motibus convulſivis in dentitione difficili mortuo dentes atros et ob gangraenam carie infectos ſua ſponte excidentes obſervavi. Annus hic utcunque fertilis erat, vinum etiam generoſum ac optimae notae.

Conſtitutio Epidemica inferioris Hungariae
Anni 1712.
Cum hiſtoricis, et meteorologicis Obſervationibus
Dn. D. Joh. Adami Genſelii.

PRincipium Januarii rigido gelu fuit horridum et ventoſum cum nivibus copioſiſſimis, adeo ut in quibusdam locis novem pedes ſuperarent altitudine, circa medium menſis nix coepit liquefieri, flante Zephyro, nubibus in pluviam reſolutis, circa finem intenſum frigus gravidis imprimis valde pernicioſum, abor-

abortus quippe epidemicus plurimis lethalis graſſabatur, vid. Hipp. aph. 12. ſect. 3. ob inaequalitatem et improportionem aetheris, quaedam apoplexia tactae ἄφωνοι reddebantur, quaedam pleuritide, multae purpura alba correptae exſpirabant, febres etiam intermittentes invaleſcebant, vario typo anomalo revireſcentes. *Februarius* in principio turbidus, circa medium et finem temperatus. *Martius* circa medium procelloſus ac nivoſus, cum tonitruis et pluviis circa finem, febres cauſavit acutas, ſumma cum vehementia prima et ſecunda die ſaevientes, quinta et ſeptima ſubſequentibus deliriis fatales. Ver pluvioſum cum terrae motu trematorio ſat notabili in noſtris partibus, imprimis Neoſtadii, ubi multae fornices dirutae ac domus ruinatae a motu illo concuſſorio conſpiciebantur. *Majus* itidem pluvius, ut plane diluvium quaſi appareret in quibusdam Hungariae locis, imprimis in Holing, ubi vites e terra evulſit, et domus aqua vix non cooperuit. Hoc menſe mirae fuerunt metamorphoſes febrium, in principio mentiebantur continuas, calor enim per tres continuas durabat dies, quarta remiſit, quinta paroxyſmus bis mane ſcilicet et circa noctem invaſit aegros, die ſexta etiam bis, tandem octava in tertianas veras degenerarunt, ſervato ternis vicibus typo ordinario, hinc rurſus typo anomalo calor per triduum continuavit, remittente denuo per 24. horas calore, bis de die paroxyſmus afflixit aegros, et porro cum in tertianas degeneraſſent, adhibitis temperantibus, mineram bilioſam praecipitantibus, leniterque evacuantibus, ceſſaverunt, et cum natura eo, quo vergit ducenda ſit, hic ad ſudorem critice vergebat, ideo diaphoreticis illam cum εὐφορίᾳ juvimus: qui vero inſcio medico denuo naturam turbarunt, venaeſectione nimirum vel purgantibus, omnes recidivam paſſi ſunt, quae enim judicantur et judicata ſunt integre neque movere, neque novare aliquid, ſive medicamentis, ſive aliter irritando, ſed ſinere oportet: Hipp. Sect. I. aph. 20. Notandum quod hoc menſe temperies quoque aeris proteo mutabilior fuerit, v. g. circa matutinam ſextam

 frigus,

frigus, circa decimam calor ingens, tertia pomeridiana iterum frigus, et appetente veſpera obſervabatur calor, quae viciſſitudines aëris ſubitaneae non parum ad haſce generandas contribuerunt febres, juxta Hipp. aph. 1. et 4. ſect. 3. quo major eſt aëris inaequalitas, imprimis citiori viciſſitudine, eo magis corpus alterat et afficit, motus enim contrarios minus ſufferre poteſt natura, ſi quidem valde a ſe differant. Vid. Wedelii Commentar. in h. l. *Menſe Junio et Julio* aeſtus magnus, et copia inſectorum, imprimis reptilium, et in ſpecie ſerpentum, qui ruricolas ſaepius infeſtarunt, morſuque communicatum miaſma venenoſum fermento bilioſo volatili ſulphureo-ſalino inquinatum totum peragravit corpus, cujus omnes illico intumuerunt partes, imprimis lingua, ut nec verbum articulatum proferre potuerint cum ingenti cephalalgia; pecora etiam mirum in modum ab illis affligebantur magna ſubſequente ſtrage, ex hominibus multi, non adhibitis prima ſtatim die remediis, veneno illo exſtincti ſunt. Notatu dignum, quod ex quodam fonte certis horis foetidus ac rubicundus promanaverit liquor, quem ſuperſtitioſum et fatidico-credulum vulgus ſanguinem eſſe dicebat, inductum argumentis ab odore et conſiſtentia illius ad coagulum accedente deſumptis, poſt aliquot dies limpidum iterum acquiſivit colorem; per chimiam deprehendi, in illa aqua terram rubram martialem inſtar boli vel cinabaris, particulis nitroſis et vitriolicis mixtam, ab aeſtivo ſolis calore percoctam, quam in cavernis ſubterraneis alluebat, illaque tingebatur, foetorem vero attribui materiae viſcidae bituminoſae aſphaltum redolenti, ut adeo non neceſſe ſit ad ſupernaturalia confugere et myſteria, ſi naturales proſtent cauſae et principia, in quae iterum reſolvi poſſunt mechanice. Vid. Ephemerid. N. C. A. 1712. appendic. p. 193. et 209. Item Nova litteraria German. A. 1705. menſ. Mart. p. 103. *Auguſto* nimis pluvioſo increbuerunt febres erraticae bis de die aegros invadentes cum deliriis continuis, ſuſpiriis ac ejulationibus, multi attoniti et quaſi cataleptici ſine uſu rationis neminem agnoſcentes

tes jacebant, calore per duas durante dies, tertia demum intermittente, in aliquibus quinta et ſexta. Eodem menſe ſtrages pecorum invaleſcebat, corripiebantur ſcilicet certis puſtulis albicantibus cum anhelitu difficili, quibus diſſectis mareria purulenta mephitim ſpirans effluxit, ex faucibus quoque foetor morticinus intolerabilis, ad aliquot ſenſibilis paſſus prodiit, cumque maximis boatibus crepuerunt, in ventriculo reperti fuerunt certi globi magnitudinis nucis majoris, repleti pilis tunica membranoſa dura aciem cultri vix non eludente inſtructi; ferae quoque omnis generis ad Somogy in copia periere, et in nemoribus paſſim a ruſticis repertae fuere, canes ex voratione tam illarum ferarum, quam pecorum praedictorum rabidi facti, a quorum morſu homines in phrenitidem inciderunt ac hydrophobiam, latratum etiam et rabiem imitati canum, morſibus in adſtantes ſaevire triſti cum ſpectaculo coeperunt, imo aliqui remedium laturi aceto et ſale ora rabidorum pecorum lavando, rabiem contraxerunt ab illo venenato miaſmate, id quod et Matthiolus Comment. ad L. 6. C. 36. Dioſc. obſervavit: multae nihilominus beſtiae rabidae ſervatae fuere, data ſtatim in principio fuligine cum cupro vel orichalco raſo pulveriſato.

Principio autumni exundationes fuere maximae, in unico pago quadraginta et ultra periere perſonae, medium autumni itidem pluvioſum cum tonitruis, aſſiduisque imbribus, qui febres, dyſenterias, catarrhos, et in multis apoplexias cauſarunt, juxta Hipp. aph. 16. ſect. 3. a frequentibus quippe imbribus, ob inſenſibilem prohibitam tranſpirationem ſucci corporis redduntur frigidiores, fuligines coacervantur, ſpirituumque et ſeri inferuntur morbi. In vineis maxima ſterilitas, generoſitate vini quadantenus eandem compenſante, nec agri adeo erant fertiles. Circa ingreſſum ſolis in ſignum Capricorni, variolae regulares et idcirco mitiores quoque obſervabantur, tardius tamen (quam ordinarie fieri ſolet) ſuam abſolverunt periodum, licet absque ulla fuerint malignitate, nec foveas ſolitas poſt ſe reliquerunt. Notatu dignum ſenem 65. annorum variolis correptum, felici-

ter reſtitutum fuiſſe, pulſus in eo obſervabatur oppido curioſus, intra momenti ſpatium ex celeri et inaequali tardus et aequalis, mox ex parvo magnus et vice verſa. Cum jam videam inſtitutum hoc anxie hucusque deſideratum, multis probatum fuiſſe, imprimis Schelhamero Kılonienſi Machaoni in ſua medendi methodo, animus eſt impoſterum quoque conſtitutiones epidemicas inferioris Hungariae, ſummo adſpirante Numine continuare, dummodo Academia noſtra Mecaenatum ſuffulciatur munificentia.

Conſtitutio Epidemica inferioris Hungariae

Anni 1713.

Vna cum hiſtoricis et meteorologicis obſervationibus

Dn. D. Joh. Adami Genſelii.

P*Rincipium Januarii* temperatum, humidum ac nebuloſum, circa medium furente Euro-noto fortiter gelare coepit, in omnium dierum operoſa enumeratione non ero multus et moleſtus, cum inutile ſit et taedioſum verborum inanitate aures defatigare. Vigeſima pluvia, ſequentibus nimbi cum ventis vehementioribus. Hoc menſe febres quartanae graſſabantur, quae dato catharctico in veras degenerarunt tertianas, quatuor et quinque acceſſionibus ſuam abſolventes periodum. Variolae continuarunt, aſt malignae et confluentes, illisque funeſtae, qui non ſtatim in principio remedia adhibuerunt congrua, temperata nimirum diaphoretica et bezoardica, omiſſis volatilibus generoſioribus. Vigevanno fama ad nos deferebatur, intra montes cecidiſſe nivem rubram ad ſpithamae altitudinem, quae ab exhalationibus terrae rubrae procul dubio ſuam traxit originem.

Menſe Februario creſcente luna ingraveſcebat etiam frigus, quod ſexta remiſit, decima pluviae calidae, duodecima caligo cum pruina ſubſequente pluvia per tres dies, circa finem coelum

ſere-

ſerenum absque ullis nivibus. Hoc menſe obſervavi digitorum apices duarum puellarum ſine dolore ſua ſponte absque ulla vulneratione, aut cicatriculae ſigno ſanguinem floridum curioſo ſpectaculo guttatim ſtillaſſe: in alia puella idem obſervavi in facie, vide Ephem. N. C. An. 1712. p. 72. Act. Erud. Lipſ. An. 1686. Menſ. Auguſt. p. 387. febres malignae petechiales inceperunt graſſari, quinta lethales cum ferocibus deliriis, verum pulſu (quod notatu dignum) tardo et aequali, ſanorum pulſui ſimillimo. In adoleſcente 13. annorum loco tibiae carioſae, per manus chirurgi fere ad patellam usque genu forfice excerptae, cartilago quaedam usque ad oſſa tarſi vices tibiae obiens ſuccrevit, qua etiamnum oſſeſcente nititur, et pedetentim ambulat, provida certo natura defectum oſſis a vicinia ſuperioris proceſſus oſſis tibiae ſupplevit.

Principium Martii ſerenum et temperatum, octava primae cecidere nives copioſae, ſequente die liquefactae pluvia per ſex dies continuos, hinc exundationes damnoſae fluviorum ac rivorum cum magna hominum, animantiumque ſtrage. Continuarunt febres malignae multis funeſtae.

Aprilis usque ad 15. contra morem ſuum ſerenus, aſt frigidulus, decima octava pluviae frigidae furente aquilone in nives hoc anno ſecundas verſae quatuor geometricorum pedum altitudinis cum turbulentiſſimis procellis, maximas campanas ad ſonum impellentibus, ſubſequente exceſſivo frigore in regnum animale et vegetabile deſaeviente cum internecione, gemmarum in arboribus et proh dolor vitibus, alitum quoque ovis incubantium imprimis ciconiarum et cornicum. Vigeſima ſeptima grando cum turbine, ne prior calamitas ſola eſſet, admiratione autem dignum, quod in diverſis grandinis granis vermes ac ſcarabaei alati inventi fuerint, quos in praeſentia multorum oculis meis uſurpavi: utrum e ſeminibus in nubes elevatis, ibidemque excluſis et nutritis oriantur, an aliunde accedant, curioſioribus relinquo; ex atmoſphaera ſaltem noſtra ob penuriam morae vix abripi poſſunt. Confer de hac materia Jonſton. tavmatograph.

graph. claſſ. 3. C. 1. Fromond. libr. 5. meteorolog. C. 6. Scottus phyſic. curioſ. libr. 2. Ephemerid. Germ. D. I. An. IV. et D. II. An. II. III. Ruſticus quidam calcem vivam clam ſurripiens, cum domum properaret nimis feſtinans currum evertit, ita ut in aquam caderet, hinc ſubito calcis vivae ebullitione et impetuoſa effervescentia orta, ſtramen adjunctum flammam concepit, quae aſſeres contiguos accendit curioſo ſpectaculo, totusque conflagraſſet currus, niſi ei ſuccurriſſent.

Principium Maji cum fulgure, tonitru ac imbribus frigidum, usque ad 17. ventoſum ac nubiloſum, vigeſima pluviae copioſae, vigeſima quarta calor ingens ſubſequente fulgure et tonitru horribili, cum imbre frigido ac turbine boreali, vigeſima ſexta imber, reliquum nubilum. Bruchi et volucrae numeroſae (de quibus plura hoc loco addere libet) teneros pampinos et uvas praeroſerunt immenſo damno: infauſta haec et damnifica animalcula, vites conſumere nata in lingua ſancta appellantur ילק a radice לקק lingere, lambere (vid. Joël. c. 1. ℣. 4.) quod lambendo quaſi virulentia ſua uvas inficiant, easque abſumant, graece vocantur ἴπεσ et ipides ab ἴπτειν laedere, nocere, quod vites ſummopere ab iis laedantur. Plinio L. 18. c. 18. dicuntur convolvuli, et volvoces, Columellae volucrae, Tullio butyri, Plauto involvuli (in Ciſtell. Act. 4. ſc. 2. v. 63.) quod in pampini foliis, ovula ponentes ſe involvant et implicent, illaque proboſcide ſua virulenta quaſi conglutinent. Ipſo corpore ceruleo, pedibus obſcure luteſcentibus, naſcitur ex ovis bombicum ovis ſimilibus magnitudine, colore rubicundis, hic cum parere vult, multa cumulat, volvitque folia et in his ſua ova reponit; germani antiphraſtice vocant Weinzedel vel Weinzierl/ quod minime vineas ornent et excolant, ſed potius deturpent, et ad incitas redigant ſummitates palmitum, uvarumque gemmas depaſcendo. Oriuntur ut plurimum ſpirante auſtro, flante vero borea pereunt. Confer Samuel. Bocharti

charti hierozoic. p. II. L. IV. C. IV. Vlyſſes Aldrovand. L. IV. de inſect. c. 1. iconiſmum tamen ipidis minus accuratum exhibet. C. V. italis ruſticis eſt tagliadizzo, ringavis Rebſtichel / hungaris Vinzellir, proprium illarum eſt in vitibus verſari, easque ut et cornua arrodere. Qui ſerpentis genus eſſe putant, ab Hermolao redarguuntur, vide Jonſton. L. 3. H. N. p. 86. ſeq. quid quod ex vitis pampinis enaſcantur vermiculi, qui pubeſcentes uvas praerodunt, vid. Columella de arboribus c. 15. Theoph. Ereſio L. 3. de cauſ. plant. C. 27. ips vitiarius beſtia nominatur damnifica, quae in pampini folio intorta implicet ſe. Tremellius cum nonnullis vocat melolontham, eſt autem melolontha ſcarabaei genus, quod alio nomine teſte Heſychio χρυσοκάνταρος h. e. aureus ſcarabaeus vocatur, de quo Gesnerus ait: μηλολόνθη eſt galleruca inſectum pennatum, ſcarabaeo ſimile χρυσοκάνταρος dictum; a quibusdam vero ea animalcula hac voce deſignari exiſtimantur; quae Galli Hanetons nominant (de quo vide Dictionar. Richelet) ea autem ab Anglis appellantur Dors. videatur Liveleus T. III. Critic. Sacr. p. 946. Quomodo differant ipes, ikes, thripes, vide apud Aldrovand. l. c. et Bochartum c. 17. ubi bene monet in Galeni verbis perperam legi σκνίπες pro ἴπες, cum dicit: ἀμπελίτιδα γῆν perdere τοὺς γεννωμένους ἐπ' αὐτῶν σκώληκας, οὓς σκνίπας ὀνομάζουσιν, ubi etiam notandum, quod ipes certam ſpeciem locuſtarum in vitibus generari idem aſſerat, cui adſtipulatur Theophraſtus l. c. de Cauſ. plant. c. 27. cauſam hanc ſubnectit, utpote cum vites humeſcant, atque aër foetificet, tum ipes quoque materiem ſibi congenerem ſtatim erodunt, addens: vitibus hoc potiſſimum evenit, quia natura praehumidae ſunt, et humor earum inſipidus ſit atque aquoſus, humor enim qui talis eſt, facillime affici poteſt, nonnunquam ipes omnino nequeunt generari, ſcilicet loco placidi ſpiritus, neque humido, neque ſuccoſo. Non ſolum autem illo anno, quo vites infeſtat et veneno quaſi inficit, colluvies haec exitioſa exiſtit, ſed etiam futuris, hinc inter ſeculi incommoda et res orbi noxias numerantur ab Ar-

nobio L. 1. adverſus gentes, quibus negotia incurſantur humana, aſpectu quidem ſunt pulchra, coloribus rutilantia diverſis, aſt ſumme damnifica et maligna. vid. Salmaſius in exercit. Plinianis ad Solin. p. 272. Joh. Friſchmuth diſſert. 1. de hirco emiſſario. c. 1 § 5. D. Dan. Henrici diſſert. V. de relig. Zwingl. p. ult. Dan. Guil. Mollerus in meditatione de quibusdam inſectis hungaricis. Francof. 1673. in 12. Bern. Saccus in hiſt. Ticin. L. 4. inquit: dirum hoc animal frequentiſſimum eſſe prope Alagniam in Lomellino agro urbem, ubi vitis folia depaſcunt, quibus ablatis areſcunt exiles et immaturi racemi ſine umbra relicti, ab uvarum vero cupidis ſturnis poſtmodum caſtigari. vide Eph. Nat. Cur. Decad. II. A. VI. p. 202. ſeq. Cornar. in Theolog. Vit. L. 1. c. 17. p. 205. D. Phil. Jac. Sachs. in ampelograh. L. 1. c. 6. p. 47. Mouſeti theatr. inſect. L. 1. c. 19. p. 142. ſeq. imprimis D. Joh. Theod. Moeren Obſerv. in Decad. II. Ephem. N. C. A. V. p. 220. paſſim per vineta volitat animalculum magnitudine piſi, ſcarabaei parvi figuram corporis referens, variegati plurimum coloris etc. Graeci duas res aequaliter malas exprimere volentes, dicere ſolebant: κακὰ μὲν θρῖπες, κακὰ δὲ ἶπες, mala quidem thripes, mala rurſum ipes: thripes culicibus ſimiles, ſunt teredines ſive coſſi arborum fructus, ipes vero uvarum germina praerodentes, de quibus Prudentius in Hamartigen. v. 266. ſeq. canit:

> Quamvis maceries florentes ambiat hortos
> ſepibus, et denſis vallentur vitea rura,
> aut populator edet gemmantia germina bruchus,
> aut avibus diſcerpta feris lacerabitur uva.

Majores noſtri vix obſervarunt, quod horrenda iſtorum depopulantium animalculorum rabies tot annos in tanta copia duraverit, ſubque nive et glacie illaeſa tam in limoſis quam ſaxoſis locis, imprimis intra cortices arborum permanſerint. De hujus inſecti exſtirpatione video ſollicitos antiquos pariter et recentiores operoſa ſubminiſtrantes remedia, quidam vineta ſulphure herbisque graveolentibus ſuffiebant, alii vites illinebant

terra

terra ampelitide, ut docet Galenus L. 9. ſimpl. Medic. quam pharmacitin vocat Dioſcorides L. 5. eo quod vitium morbo medeatur. Laborioſius exſtirpant perniciem hanc Ringavi et Sempronienſes, aſſignatis enim temporibus quisque patrum familias mittit ſuos homines, qui e vitibus colligant ipſum animal, et convoluta folia ovis foeta, urceoque aqua ſemipleno injiciant, ut veſperi in unum cumulum ante Praetoris vel heri aedes, aut in foro coacerventur, et ſuperſtructo igne comburantur. Vide D. Moeren l. c. Petr. Andr. Matthiol. L. 3. Epiſt. Medic. p. 141. Hohbergii Georgica Curioſ. P. 1. p. 341. et 481. D. Samuel Ledelii relationem in Ephem. Dec. III. A. Ult. p. 368. In libris Geoponicon (qui Imperatori Conſtantino Porphyrogenetae adſcribuntur) tria grana ſinapis juxta vitem implantanda commendantur, verba L. 13. ſic ſonant: *περὶ τὸ ςέλεχοσ τῆσ ἀμπέλȣ παρὰ τὴν ῥίζαν τρεῖσ κόκκȣσ σινήπεωσ χῶσον φυτευόμενα, γὰρ ταῦτα τῇ ὀδμῇ τὸν βρȣ̃χον ἀναιρεῖ*: cum vero in noſtris regionibus ſemen ſinapis nimis tarde procreſcat, vix finem ſuum paterfamilias obtinebit exoptatum. Alii vites aqua, in qua ipides enecati ſunt, vel cultros, quibus palmites amputantur illinunt, ita Plinius Hiſt. Nat. L. 17. C. ult. ne convolvulus fiat in vinea, amurcae congios duos decoctos in craſſitudinem mellis, rurſusque cum bituminis tertia parte, et ſulphuris quarta ſub dio coqui, usque quo exardeſcat ſub tecto, hoc vites circa capita et ſub brachiis ungi, ita non fore convolvulum: quidam contenti ſunt fumo hujus mixturae ſuffire vineas ſecundo flatu continuo triduo, plerique non minus auxilii et alimenti arbitrantur in urina, quam Cato de re Ruſtica c. 95. in amurca, addita modo aquae pari portione, quoniam per ſe noceat: alii falces cum ſint exacutae, fibrina pelle detergunt, atque ita putant, aut ſanguine urſino liniri volunt poſt putationem easdem; ex aliis autoribus Aldrovandus l. c. p. 191. ſequentia contra cantharides (forſan et ipides) remedia tradit; Baptiſta pius in ſuis ad Plauti comoedias contra animalcula, quae vitibus nocent, accipit cantharides, quas in roſis invenire conſuevimus, ſi oleo immergantur, ne in tabem

 reſol-

reſolvantur, alii non obſervantes, quo loco, aut qua in herba naſcantur, ipſas qualescunque ſunt, cantharides in oleo coquunt, ex eoque cotem, in qua falx exacui debet, obducunt; idem praeſidium praeſtabit falx illita cum hircino adipe, aut ranarum ſanguine, aut coticulae cinere,] vel oleo illita, qua falcem exacues: Gaudentius Merula, cantharides vitibus noxias, ſtercuris bubuli, cui aliquantulum galbani commiotum ſit, ſuffitu procul abigit, cum ſpirant aurae. Fabuloſum remedium narrat Claudius AElianus, mulierem ſcilicet menſibus laborantem erucis et ſcarabaeis perniciem afferre. Ethnici pro poena a Diis immiſſa, inſecta agnoſcentes, idolis ſuis ſacrificabant, certaque inſtituebant feſta, de quibus videatur Coelius Rhodiginus Lect. antiqu. L. 4. c. 15. hinc et idolum Ekronis vocatur בעל-זבוב Deus muſcarum, vid Bochart. l. c. P. II. L. 4. c. 9. et p. 1. L. 1. c. 5. et Hercules appellatur *ἰποκτόνοσ* ipidum occiſor. confer Alex. ab Alexandr. Genial. Dier. L. 2. c. 14. Coel. Rhodig. lect. antiqu. L. 6. c. 7. Bochart. P. II. c. 17. 27. Aldrovand. l. c. Optimum, quamvis laborioſum remedium eſt, illos mature et indefeſſe e vitibus colligere, ac una cum ovulis comburere.

Hoc Menſe in Auſtria imprimis Viennae febres malignae cum atris exanthematibus et bubonibus (quos benignos appellabant) magna cum hominum mortalitate graſſabantur, quidam exſectum bubonem cum carne bubula cani ad devorandum absque ejus noxa dabant, et ex hoc peſtem negabant, cum tamen longe alia ſit ratio carbunculi et bubonis in corpore vivo, quam ex cadavere ſecti, et juxta Celſum nihil ſit ineptius, quam quale quidque in homine vivo eſt, tale exiſtimare eſſe moriente vel mortuo et vice verſa; accedit quod ex bubonibus peſtilentialibus et carbunculis nonnulli per chimiam ſpiritum antipeſtilentialem et ⊖ volatile elicere conentur, qua de re plura dabo in ſchediasmate de differentia peſtis humanae et brutorum; licet itaque morbum tantum contagioſum vocaverint, peſtemque nomine contagii velaverint, vera tamen febris erat peſtilentialis, quod et internecio tot hominum, praecipue vero decem Medicorum comprobat, vide Franciſci

Xave-

Xaverii Benſae hiſtoricam relationem peſtis Auſtriam et conterminas partes infeſtantis. Viennae A.1717. 8.

Junii principium pluvioſum, ventoſum atque frigidum cum exundationibus torrentum et fluviorum damnoſis, octava aeſtus usque ad duodecimam, 13a pluviae ſubſequente frigore, medium ſerenum et calidum cum intermixtis imbribus ac procellis, circa finem pluviae furente Euro. Peſtis in Auſtria incrementum ſumpſit ut et Poſonii in Hungaria.

Julius usque ad 5tum Serenus, ventoſus et frigidus, ſexta calor mediocris, ſeptima pluviae copioſae cum frigore extraordinario, usque ad finem menſis (paucis exceptis diebus) flante aquilone durantes. Peſtis in Auſtria, et aliquibus partibus inferioris Hungariae, ut et Poſonii valde ſaeviit; meteora quaedam lucida ſub forma draconis apparebant, ab exhalationibus ſulphureo ⊕ſis in ſublime evectis, per continuum attritum incaleſcentibus, tandem accenſis, ac in tonitrua et fulmina fatiſcentibus, ſubſequentibus inundationibus et fragminibus nubium.

Principium Auguſti pluvioſum et frigidum, a quarta usque ad 9nam calor ingens, undecima tonitrua horrenda cum fulminibus ac pluvia frigida, 16a nubilum inſequentibus pluviis ingentibus, rubigine et uredine vitibus et frugibus ſumme pernicioſis, circa finem nebulae denſiſſimae quaſi hybernae in altum evectae, et in pluvias frigidas reſolutae cum tonitru et fulmine; incus fabrilis ab ictu fulminis urentis et concutientis, partim fuſus, partim fiſſus obſervabatur, globum quoque igneum ſeu glomerem flammeum in terram delapſum conſpexerunt maximo cum fragore diſſilientem, tetrumque odorem et fumum ſpargentem, incrudeſcente magis magisque tempeſtate, iteratisque ictibus fulminum horrendis. Peſtis tam in Auſtria quam Hungaria continuavit ſaevire, graſſabantur etiam variolae malignae confluentes cum petechiis intermixtis, illisque qui non ſtatim in principio remedia adhibuerunt, fatales, jamjam ſuppuratae, rurſus materia ichoroſa repletae conſpiciebantur, et ſecun-

da vice ad ſuppurationem pervenere, inque interſtitiis ſuppuratarum novae ſubinde oriebantur variolae, in defunctis per nares, aures, et oculos ſanguis prorupit copioſus, nonnulli a barbitonſoribus imperitis male tractati, tubercula circa artuum juncturas; et his retropulſis per topica, totalem reportarunt contracturam, alii coecitatem, ſtrumoſosque colli tumores, quibus evaneſcentibus corripiebantur vomitu cruento lethali.

Septembris initium pluvium et caliginoſum, octava Eurus effluvia humida diſſipando ſerenitatem conciliavit, medium itidem pluvium, circa finem ſerenum et frigidum. Sempronii quoque morbi contagioſi coeperunt graſſari cum vomitu, et ardore in abdomine tertia et quinta lethales, petechiae item atrae cum dyſenteria, puſtulis in ſcapulis, ac bubonibus ſub axillis et in inguine, ſeptima et nona funeſtae, nec vomitoria, nec purgantia, nec venaeſectio in principio conducebant, nec ⊕ſa aut acida, ſed bezoardica balſamica cum volatilibus refracta doſi mixta, imprimis tinctura noſtra antipeſtilentialis cum ſpiritu CC. maritata, quae et in peſte Ratisponae ſalutari effectu ſe probavit. Lanio quidam nomine Lidel dyſenteria exſtinctus, herniam habuit raram, non quippe in ſcroto, ſed intra cutem et muſculos ad femur usque inteſtinum ileon prolapſum obſervabatur, hanc herniam a caſu cum equo ante decennium reportabat: in viſitatione medicus peſtilentiarius tumorem hunc herniosum (qualem antea nunquam viderat) pro bubone peſtilentiali ſat craſſe reputabat, domumque ejus ceu infectam, qualis tamen minime erat, obſignabant. Similem herniam extraordinariam ex prolapſo inteſtino ad femur obſervavit Barbette c. 7. chirurg. et B. D. Petermannus in viro ſeptuagenario, ultra triginta annos eadem laborante, et ego in Italia bis talem conſpexi: Stalpart van der Wiel quoque in Obſervat. medico-chirurg rarior. Obſerv. 54. Cent. I. ſimilem errorem medici cujusdam et chirurgi rudis detegit, bubonocelen in juvene quodam pro bubone peſtilentiali cum laeſione ipſius inteſtini aperientium. vide Rhod. Obſerv. M. Cent. 2. c. 72. Hoechſtetter. Dec. 10. Variolae confluen-

fluentes etiam increbuerunt multis fatales, apoplexiae quoque frequentes erant, qui morbi omnes pluvioſae hujus anni Conſtitutioni adſcribendi juxta Hipp. Aph. XI. ſect. III. *ſi ver pluvioſum et auſtrale fuerit, neceſſe eſt febres acutas, et dyſenterias fieri.* et aph. 16. morbi in pluvioſis conſtitutionibus plerumque fiunt, febres, putredines, ſiderationes &c.

Principium Octobris ſerenum et temperatum, quarta aether nimbis cinctus usque ad ſeptimum cum frigore, 14a pluviae cum inſolitis nivibus flante vulturno, coeteris ferme omnibus, vel caliginoſis, vel pluvioſis exiſtentibus diebus. Febres increbuerunt tertianae duplices gravidis exitioſae cum vomitu, cardialgia et diarrhoea febres continuas mentientes, in quibusdam cum deliriis, invitaque fecum excretione, octo et novem acceſſionibus periodum ſuam abſolventes, febris quoque peſtilentialis continuabat, ſed ſporadice tantum cum pulſu tardo et inaequali, frequenter bubonibus, raro carbunculis erumpentibus, chirurgus expoſitus egregio bubone (ita enim Peſtilentiarius ille Medicus appellabat) correptus, quinta obiit, adhibita damnoſa et inconſiderata venae ſectione, vix non omnibus illo tempore funeſta, prouti et in peſte comitatus Caſtri ferrei agrum depopulante, Anno MDCCX. obſervavi, de qua peculiarem diſſertationem editurus ſum. Coeterum eryſipelas, atheromata, ſteatomata, aliique affectus cutanei etiam minimi in quibusdam ſubjectis pro ſignis peſtilentialibus ex ignorantia vincibili et craſſa reputabantur.

Prima Novembris imber atrox ſed calidus, tonitrua inſolita et terribilia cum fulminibus, aliquibus in locis urentibus, et grandine, a tertia usque ad decimam pluviae, undecima nives ſecundae cum frigore extraordinario furente aquilone quatuor pedes altae, circa finem frigus intenſum cum ſaevis turbinibus. Febres acutae cum petechiis et bubonibus ſubreptitie quaſi hinc inde homines invadebant, in autumno enim morbi acutiſſimi et omnino mortiferi juxta effatum Hippocratis aph. IX. ſect. III.

Circa Neoſtadium terra dehiſcente agri portio viginti aliquot orgya-

orgyarum una cum arboribus (absque ſenſibili terrae motu) hiatu vaſto aperto ſive chasmate periit, relicto poſt ſe lacu. *Hoc anno annonae ubertas erat et vilitas, vini autem et fructuum maxima ſterilitas et caritas, etiam racematione* (ob vindemiam imprudenter a nonnullis ante nives neglectam) *in maximis nivibus inſtituta, vinum erat tenue, inſipidum ac vappeſcens.*

Decembris principium horridum cum procellis, nivibus et gelu immani usque ad duodecimam, reliquum temperatum, variabile et pluvium. Bubones adhuc vagabantur, ſed benigniores, rigore forte temporis malo hoc mitigato: febres vero quartanae mirum quantum invaluerunt, rebelles admodum et contumaces.

Conſtitutio epidemica Auguſtana.

Anni 1717.

Dn. D. Lucae Schröckii.

Cum poſt Anni principium nix crebrior decidiſſet, caelumque ſerenum redditum eſſet, frigus ſub Euronoto obortum eſt, quod usque ad principium Februarii continuavit; ubi a zephyro, interdum et Africo, nivis liquatio ſenſim ſucceſſit; die autem 9. novum obortum frigus, euro praepollente, per undecim dies duravit; et diebus 18. 19. ac 20. adeo intenſum fuit redditum, ut fere frigus Anni 1709. aequaverit, ſed zephyro tum oborto mitius coelum evaſit. Vbi etiam variolae ſenſim diſparuerunt, poſtquam in Anni principio, in pluribus confluentes, non ſine malignitatis nota, infantibus, rarius adultis infeſtae eſſe perrexerunt: Erant, in quibus puſtulae nigrae interſperſae notabantur, morte ſubſequente. Puerulo ſexenni, ſub temperato regimine, variolae diſcretae rite prodierunt, die vero morbi ſexto paſſim puſtulae ſanguine turgidae ſunt redditae, cum mictu ſanguinis, deliriis, magna inquietudine, et letali die 8. morbi eventu: Erant, qui per totum morbi decurſum de alterutrius pedis vel genu dolore, ſine tumore et inflammatione, conquerebantur, cum variolarum exſiccatione iterum ſponte ceſſante.

Mar-

Martius, Aprilis et Majus varia conſtitutione, praeſertim autem humida ac frigidiuſcula praediti, adventum veris valde retardarunt; ſed poſt ſolis in Gemellorum ſignum ingreſſum temperatius caelum, et ſaepius valde calidum, intermiſtis tamen crebrioribus pluviis, ventis utplurimum ab occidente vel ſeptentrione ſpirantibus, factum eſt, et inprimis ſirius, ſub Euri praedominio, magnum aeſtum excitavit. Vbi, cum hactenus rariores aegrotaſſent, jam dyſenteria multis, potiſſimum ex plebeja gente, et adulta aetate, cum majori malignitatis, quam caloris ſenſu, ex magna virium proſtratione, contagii labe, breviorique morbi decurſu, (infantibus nonnunquam intra triduum ſuccumbentibus) colligenda, usque ad Aequinoctium autumnale infeſta eſſe cepit; quae poſtea ulterius progreſſa, puerili imprimis aetati multam ſtragem, non tantum ob teneram corporis diſpoſitionem, ſed medicamentorum etiam difficiliorem, tardiorem et incongruum uſum, intulit. Cauſa potiſſima ab aëris varia intemperie, primo frigida et humida, poſtmodum calida, ibi tranſpirationem ſufflaminante et collectioni ſeroſarum ſalſarum particularum favente, hic easdem in orgasmum concitante, imputari potuit; praecipue cum cereviſiae minus defaecatae et aceſcentis frequentior potus acceſſiſſet. Ex medicamentis, quae non tantum malignitati reſiſtere, ſed acres etiam humores edulcare, fibras leniter ſtringere, et dolores mitigare valent, ſub varia forma, provide adminiſtrata conduxerunt; qualia erant Vnicornu foſſile, Corallia rubra, bolus Armena, Terra ſigillata, ſmaragdus, Haematites, Tormentilla, ſuccus Catechu &c. cum et ſine opiatorum moderato acceſſu; Balſamum etiam Peruvianum cum vitellis ovorum ſubactum, in clyſteribus aliquoties injectum, egregiam opem in non paucis tuliſſe obſervavi.

Autumnus, zephyro, cum aquilone, denuo praevalente, (et illo quidem, ſaepe vehementer, praecipue autem a die 14. Decembris, ubi veſperi impetuoſiſſimus, ſive tamen aliquo, per Dei gratiam, damno, ſecus ac alibi, in Hollandia, Hamburgo

&c. tum temporis contigerat, per quatriduum furente,) humidas admodum ob nebulas et puvias, exſtitit; talisque aëris conditio ad finem usque anni, cujus ultima nox fulguribus illuſtrabatur, perduravit, nullis aliis morbis epidemice, pauciſſimis etiam ſporadice ſe offerentibus, praeter odantalgias et conſuetas hoc tempore tuſſes et coryzas.

Conſtitutio epidemica Ferrarienſis
Annorum 1716. et 1717.
Dn. D. Joſephi Lanzoni.

FRigus hyemale, quod Anno 1715. menſe Decembri incepit, anno etiam 1716. usque ad menſem Martii perduravit; multae nives, cum ventis borealibus ſuper faciem terrae glaciem ad multas hebdomadas conſervarunt, et licet remiſſum ſub martii finem videretur frigus, attamen recruduit menſe Aprili, et usque ad majum non ceſſavit. Itaque hoc durante frigore, Gravedines multae, ac Pleuritides obſervatae ſunt; quin imo oculorum inflammationes paſſim obortae et pertinaces adeo extiterunt, ut nonnullae ad menſem usque protractae, patientes vexarint. Ver acceſſit, et imbres frequentes tellurem infeſtabant noſtram, flumina augebant, et ſegetes nimio madore irrigabant, ſi vero mutatis ventis ſerenitas apparebat, vix ſol igne ſuo terram fovebat, ſtatim elevatis aqueis vaporibus nebulae denſiſſimae obortae ſunt, hinc natae in hominibus ſurditates, apoſtemata, et vagi dolores cum flatibus. Aeſtas calidiſſima ineunte Junio derepente invaluit, unde multae tertianae febres, tam ſimplices, quam duplices obortae ſunt, cum nauſea, vomitu materiae amaricantis, capitis dolore, ac immodica ſiti, quin imo nonnullos tertiana pernicioſà vexavit, quae omnes ope chinae chinae ſanatae ſunt, prius tamen leviter alvo exonerata. In autumni primordiis pluvia multa, qua ceſſante, ſerenitas, usque ad kalendas Decembris continuavit; ita ut ſemina terrae bono omnine tradita, et magna uvarum copia feliciter collecta, vinaque optima repoſita fuerint.

Hoc

hoc autem tempore, ſalubritas aëris, corporibus humanis bonam valetudinem impertita eſt, ità ut praeter aliquas leves quartanas, et placidas erraticas febres, nil aliud mali quoad ſalutem Ferrarienſibus acciderit; ſolummodo notatu dignum fuit, autumni tempore, multas gravidas abortum paſſas fuiſſe ſine ulla cauſa manifeſta. December ſanus extitit.

Terminato Decembri, menſis Januarius ingreditur anni 1717. et frigus primo remiſſum apparuit; aſt die hujus menſis undecima, aura ſeptentrionalis rigida advenit, et tam fortiter agitavit auras, ut quaedam arbores, quidam muri ab ejus impetu, erutae, ac collapſi ruerint, quatuor dierum ſpatio borealis hic ventus dominatus fuit, quo ceſſante illico magna nivis copia deſcendit, inde frigida ſerenitate favente, usque ad ſecundum anni menſem nives perduraverunt, mox aura dulciori reddita, diſſolutisque nivibus, ſub finem Februarii frigoris ſaevities evanuit. Hoc vero tempore, anginae multae, colici dolores, ac febres catarrhales ubique debaccharunt, imo epidemia in infantibus tali hyeme incepit variolarum, quae poſtea toto anno 1717. miſſerrime perſeverans puerorum ſtragem multiplicavit, et quod notabile fuit, hujus anni hyems, quoad morbos, plus juvenes, quam ſenes affecit; horum enim vix unum aut alterum curandum habui. Ineunte vere multae nebulae denſiores obſervabantur, quae tandem in pluvias terminabant, ſequebatur, imo ſemper major fiebat epidemia variolarum in puellis, ac nonnullae malignae febres obortae ſunt, quae in principio leves apparebant, progreſſu tamen temporis funeſtae, ac mortales manifeſtabantur, ex quibus febribus quatuor noſtri medicinae Doctores, praeter alios denati ſunt, primus Dn. Andreas Zuffi, alter Dn. Joſeph Vaccarius, juvenis optimae ſpei, tertius Dn. Caeſar Lollius diſcipulus meus, et quartus tandem Dn. Franciſcus Salmius, aetatis annor. 56. compater meus honoratiſſimus, et omni ſcientiarum genere inſtructus. Partus difficiles multi, et multae pariter icteritiae. Acceſſit aeſtas, cujus menſibus magna ſiccitas, et auſtrini venti calorem augebant; ſequebantur malignae febres, atque non-

nullos vexabant tertianae duplices melioris notae, cum vomitibus in principio acceſſionis, ac dolore capitis ſaevo, qui non niſi declinante febre miteſcebat. Menſe Auguſti nonnullae occurrerunt dyſenteriae, quae tamen Deo adjuvante ſanatae omnes fuere. Erat miſerandum cernere quotidie infantum cadavera variolis enecata ad tumulum deferri. In principio ſeptembris caelum mutavit faciem, et calore remiſſo, aquas dedit ſalutares ad terram irrigandam, ſic maligna febrium conſtitutio mitigata fuit, et tantummodo ſubortae vertigines, tuſſes, ac gravedines. Increſcente autumno iterum ſerenitas rediit, atque aureis ſolis radiis toto Octobris menſe gaviſi ſumus: Cereris, Bacchi, ac Pomonae dona hoc anno non modica fuere collecta, et valetudines paucae homines male habuerunt, non ita tamen in bobus, ac ſuibus accidit, in illa quippe animalia mors falcem immiſit; unde timor colonos invaſit, ne epidemica lues in bovino genere anni 1713. reſurgeret, et lacrymas iterum excitaret.

Caeterum praeter dictas febras, et magnam variolarum copiam cum lumbricis in puellis, annus 1717. ſalubris dici potuit, nullae enim Apoplexiae, paucae quartanae, in minima copia ſcabies, ac articulorum dolores. Menſe Decembri hyems apparuit, ſed parum ab autumno differebat, frigus enim tolerabile, ac mite obſervabatur. Quod vero notabile fuit hoc anno, extitit ventorum frequens copia, unde pericula multa, imo naufragia in mari Adriatico ad noſtra ora, et Pado, aliiſque noſtris fluminibus acciderunt, ſubverſis enim navigiis merces non tantum, ſed homines etiam miſerabiliter deperditi fuere. Aeſtivo tempore magna inſectorum copia ſegetes infeſtabat, ac hominibus ruri praeſertim degentibus moleſtiam inferebat. Arthriticos annus praeſens modice infeſtavit, et leviter tantum tacti, cito ad conſueta exercenda munia redibant. Ardente ſirio multi canes in rabiem perciti fuere, quod aliis annis mitius evenire obſervatum fuit. Parturientibus, ac puerperis Lucina favit, ita ut vix una puerperii vel partus tempore obierit; hyſtericas affectiones, ut plurimum mites, et magis in juvenibus, quam ſenibus tuſſes, et gra-

et gravedines in Autumni principio; hypochondriacis, ac melancholicis praeſens annus, nec profuit, nec nocuit, eorum enim ordo, parum conſilia Medicorum imploravit, unusque ex illis tantummodo gradum fecit ad maniam; nonnullae obſeruatae fuerunt icteritiae flavae, absque praeviis morbis, vel doloribus ortae, quae tamen adeo leves fuerunt, ut absque laeſione actionum non ſolum apparuerint, verum ſine ullo prorſus remedio evanuerint ſponte; iſtae autem potius in juvenibus, quam in ſenibus obſervantae ſunt; Lue venerea affectos peſſime vexatos vidimus, et multos ex hac peſte mortuos, licet multa tentaverint remedia, et ad uſum ipſius mercurii deſperati confugerint; ſic poſtremo Andreas Pareſchius Ferrarien. gallica lue affectus poſt decocta ſalsaeparil. Ligni Guaiac. et ſudoribus tentatis, tandem ad mercurialem unctionem deſperatus advenit, qua admiſſa gingivae, linguae, aliarumque oris partium gangraena ſuborta miſerabile veneris ſectatoribus exemplum, ultimam clauſit diem; in Sanctimonialibus pauciſſimi morbi, et Regularium Religioſorum ſacerdotum nonnulla tantum funera; noſterque Antiſtes Cardinalis de Verme aetatis ann. 77. febri maligna correptus ſancte obdormivit in Domino, in cujus cadavere reperta ſunt pene omnia viſcera ſana. In aliquibus noſtri ſuburbii locis nonnullae febres malignae peticulares, et contagioſae naturae, uno enim aegrotante, brevi temporis intervallo tota ſimul aegrotavit familia; haec tamen influentia trium tantummodo menſium ſpatio perduravit: accedente enim Autumno omnino evanuit; impetigines multae in fine Novembris adultos affecerunt, quae usque ad anni finem pertinaciter duravere. In principio decembris ophthalmiae multae, pertinaces tam in maribus quam in feminis. Obſervavi tandem in multis pauperibus ſola diaeta multas febres ſanatas, ſicque cum Joh. Damaſceno in ultimo aphoriſmo concludendum, *Diaeteticam medicinam praeſtantiorem eſſe pharmaceutica, et chirurgica.*

Conſtitutio

Anni 1717. a Dn. D. Marco Gerbezio, Labaco 10. Decemb. deſcripta.

QVantum ad annorum ſalubritatem, et humanorum corporum valetudinem conferat regulata ſuis temporibus proportionata aëris temperies, jam coties a nobis dictum eſt, praeſertim in Chronol. noſtra Med. Id quod equidem etiam manifeſte comprobavit ad finem decurrens annus 1717. Is ſiquidem, quod hyeme fuerit competenter frigidus, praeterquam circa Februarii dimidium, quo frigore eatenus exhorreſcebat, ut inde vel arbores ipſae fuerint notabile damnum perpeſſae, praeſertim molliores, quales ſunt perſicae; Vere temperatus: aeſtate ſaltem Junio, et Julio menſibus aeſtuoſus; quamvis, quantum publica nova peregre retulerant, alibi inſolenter tempeſtuoſus: autumno fere veris inſtar amoenus; humana corpora per totum adeo bene valuere, ut Medicis fere nullum negotium faceſſerint, niſi circa ſporadice patientes. Vnicum occurrerat, quod videbatur quibuspiam quid ex aëre forte ab aſtris taliter infecto ſuam originem traxiſſe, epileptice nimirum convulſiones, quae Septembri menſe intra eclipſim lunarem, et ſolarem plures homines unis iisdemque diebus praeter omnem expectationem adortae fuerant. Duorum talium cura mihi obtigerat: tertii alteri meo collegae. Duo mei ope divina fuere feliciter ad ſanitatem perducti: tertius ille, qui puella ſeptennis erat, quarta morbi die, erat e medio ſublatus. Duo illi mei non niſi primo exacto integro triduo aliquantum ad ſe redire et titubanter fuerre incipere fuere obſervati: tertiam illam autem, uti dixi, quarta morbi die ſuccumbere oportuit; num tamen revera, uti multis credebatur, ad eorum internecionem quid contulerint memoratae eclipſes? Aſtronomiae cultores certius dijudicare noverint. Interea mihi remedia, quae meos duos priſtinae valetudini reſtituiſſe videbantur, breviter ſpecificare lubet, forte in ſimili caſu quoque aliis ſervitura,

tura. Primum autem, a quo curam auſpicandam eſſe judicaveram, erat applicatio ex acrioribus, ſpecificisque confecti clyſteris. Secundum, et priusquam Clyſter praepararetur, cochleatim propinandum mixtura haec antiepileptica: ℞. Aq. hirund. comp. cum caſtor. epilepticae Langii, ceraſ. nigr. flor. tiliae aa ℥ß liquor CC. ſuccin. ʒj. Eſſent. anodyn. gt. IX. m. f. potio. Tertium te ſeqq. frictiones crurum deorſum verſus, perunctio verticis ungu. alabaſtrino cum ol. rutae, cran. hum. et ſuccin. commiſto. Sextum columbarum, et pullorum vivorum recens per dimidium diſcerptorum vertici raſo iterata applicatio. 7mum naribus ⊖ volatil. ſuccini admotio, nec non pulv. ſternutatorii per pennam in nares inflatio, ſucceſſive vero, et poſtquam aegri jam nonnihil ſeſe recollegerant, faciliusque quid introſumere poterant, pulvis March. ſpec. diacinnab. Mynſ. et ⊖ volat. ſuccin. Vltimum etiam corporis expurgatio. Quae ſingula quidem etiam ſaepius iterare oportuerat, quin et alteri eorum, quae puella 17. annorum erat, et menſtruis deficiebat, venam in talo ſecare, priusquam plene convaluerant.

Puellula illa ſeptennis a 4. hebdomadis prius febricitans, erat poſt mortem cultro anatomico ſubjecta, et deprehenſum, quod ejus cerebrum quoad piam matrem fuerit undique multa viſcoſitate obductum, quoad ventriculos autem plurimo, eoque procul dubio acri ſero, ſeu lympha repletum; unde vellicatum nervorum principium conjecturabatur convulſionum illarum immediata extitiſſe cauſa, meatuum cerebri a ſero illo inundatio autem mortis ipſius. Prouti ea de re perſpicaciter D. Anton. Pacchionus Regienſis Medicus Romanus *in Epiſt. de glandulis conglobatis durae Meningis* ad Magnif. D. D. Lucam Schroeckium data in *Ephem. Nat. Carioſ. Dec. 4. An. I. et II. App.*

Hinc mihi, uti reor, non vane perſvadebam quoque meos duos aegrotos ex ſimillima cauſa idem ipſum malum primitus contraxiſſe. Primus ſiquidem, qui vir obeſus erat valde, bibulus, et pridem quoad memoriam defectuoſus ad fauces tantas a capite defluxiones patiebatur, ut niſi ei injectionibus per os (poſtquam is jam aliqualiter ſeſe recollegerat, et os aperire poterat) tempeſtive ſuccurſum fuiſſet, ei infallibiliter vel ex ſolo hoc accidente intereundum fuiſſet. Adhaerebant ſiquidem fruſtatim utrinque circa uvulam et fauces ab aëre, qui ob obſtructas nares inſpirando ſaltem per os attrahebatur, indurata phlegmata nonniſi dictis injectionibus, et gargariſmis inde avellenda. Frequenter etiam ſimillima ſputa ejiciebat. In puella quidem

dem illa cauſa ſeſe non adeo clare manifeſtabat, conquerebatur tamen, poſtquam ad ſe redierat, de gravitate quadam oculorum, obturatione aurium, et narium, ac ſi eo ipſi aliquid defluxiſſet, qui oculi etiam ipſi diu poſtea debiles, et vacillantes, praeque fibrarum muſcularium a ſero relaxatione veluti confluentes permanſerant. Communiter forte et apud alios ſimilium convulſionum cauſa eſt ſimilis cerebri a nimia, eaque acri lympha inundatio, et propterea ei revellendae, et diſcutiendae nihil aeque prodeſſe ſolet, quam tempeſtive nuchae, brachiis, cruribusque, vel ipſi etiam raſo vertici adhibita veſicantia, quae cauſa forte etiam Florentinis eſt; quod infantibus ſuis vix natis, ut eos ab epilepticis inſultibus, quibus illi endemice obnoxii eſſe ſolent, praeſervent, nucham actuali igne adurant.

Recordor etiam in aula Auerſpergica ante annos ex epilepſia defunctum infantem, et poſtea anatomico cultro in mea praeſentia ſubjectum cerebrum ſimillime habuiſſe conſtitutum.

Reliquos affectus, qui mihi alias per anni decurſum occurebant curandi, tractabam feliciter Methodo, et remediis in Chronolog. mea medica notatis: puta febres, arthritides, colicas, haemoptyſes &c. Rarius tamen quid obſervaveram in duobus ſubjectis circa pulſum: nimirum quod unus eorum melancholico- hypochondriacus qua ſanus communiter habuerit pulſum adeo tardum, ut priusquam ſubſequens pulſus conſequebatur antecedentem, facile apud alium ſanum tres pulſationes praeterierint: qui tamen poſtquam elapſo Auguſto in febrim malignam incidiſſet, pulſum habuit adeo frequentem, et per omnes vitioſas differentias varium, ut talem nunquam obſervaverim. Propterea mox adhuc in principio morbi malum morbi exitum praedixeram. Tam notabiles ſiquidem naturae a connaturali ſtatu receſſus non poſſunt, niſi peſſima quaeque ominari. Vir alias erat robuſtus, et in actionibus ſuis accuratus, ſed tardiſſimus. ſaepius vertiginoſus, et ſubinde leviter inſultibus epilepticis obnoxius.

Alter vero ſimiliter robuſtus cum in febrim ſimilem incidiſſet, in decimum usque diem pulſum, et urinam prae ſe tulerat adeo ordinatum, et naturalem, ut niſi contrarium ſuaſiſſent peſſima quaeque, quibus una detinebatur, ſymptomata, virium nimirum ingens proſtratio, linguae ariditas, inquietus ſomnus, delirium, tendinum ſubſultationes &c. eum quis nullatenus febricitaſſe, neque ſingulari periculo fuiſſe ſubjectum crediſiſſet: qui 13. morbi die ſupervenientibus convulſionibus tamen ſuccubuit.

Adeo parum ſubinde fidere licet etiam optimo pulſui, et urinae, niſi reliqua ei bonitate correſpondeant, parum etiam de praeſentia, vel abſentia febris edicere: quantumcunque febrium praeſentia vulgo communiter arguatur vel ex ſola pulſus frequentia, et inaequalitate; ubi vero haec duo non animadvertuntur, ibi hoc ipſo non cenſeatur adeſſe febris.


Tab. X p. 25. App.
p. 58
2
p. 58
2
p. 58
i
p. 58
3
i
p. 53
4
5
A
B
6
C
6
D
E
7
F
8
p. 34
9
G
10
G
11
12

JOHANNIS HIERONYMI ZANICHELLI
DE FERRO,
Ejusque NIVIS Praeparatione,
Diſſertatio Phyſico-Chymica.

* * *

LECTORI BENEVOLO
Salutem.

HAbent ſcientiae humano acquiſitae ſtudio, ſe ſe invicem excipientes incrementi periodos. Cognoſcendi fructus, uberioris cognitionum meſſis ſemen eſt. Speculatio praxim monſtrat, praxis ad ſpeculationem excitat. Hinc eſt cur mihi Phyſicis facultatibus in re potiſſimum MEDICA jamdiu intento, non ſolum aliquid novi de meo penu proferre, ſed et aliorum inventa, Auctoribus ſua laude ſervata, propagare, curae ſemper fuerit: adeo ut laborem labor provocet; et aliquid ſciviſſe, ſciendi acuat deſiderium. Vix igitur pharmaci cujusdam ex Chymiae penetralibus eruti fama ad meas nuper pervenit aures, cum ſtatim illius aſſequendi me vehemens inceſſit cupido. Vidi, manibus contrectavi. Sed ex ſenſibus protinus pervaſit curioſitas ad intellectum, qui non ante quievit, quam accurata deſuper diſquiſitione habita, puriſſimam illam FERRI ESSENTIAM eſſe deprehenderit, a Domino de Sancto Hilario ex Chymici profecto expertiſſimi communicatione typis evulgatam, et MARTIS NIVEM allegorice nuncupatam. Mirifice hoc invento exhilaratus, ulterius diligentiam provexi. Sterilis tamen hucusque jacuiſſet labor, et aliis ſcilicet, non mihi cui praemium meruiſſe, praemium eſt. Quocirca cum de eſſentia boni ſit, juvare; eoque magis juvet, quo pluribus impertitur: cumque in bonorum communicatione ſitum

ſit humanae ſocietatis commodum; ideo tum ipſum medicamentum, cum medicamenti rationem evulgandam cenſui. Illud, noſtrum pharmacopolium, hanc iſte dabit qualiscumque libellus, in quo plura de FERRO cum ſcitu jucunda, tum ad praxim utilia collegi. Eſt enim Phyſicarum rerum geneſis non minus quam cognitio quibusdam inter ſe nexibus apta conjunctaque: et quemadmodum in minimi cujuslibet inſecti generationem totius naturae opes immediate, vel mediate impenduntur; ita unius perceptionem rei, aliarum plurimarum cognitio praecedat oportet, vel ſubſequatur.

Meum igitur nunc erit, Ferri naturam Philoſophica primum allegoria delineare, mox phyſice exponere, ratione aſſerere, experientia firmare. Ipſius copiam, differentias, delectum, uſum praeſertim Medicum, aliaque hujusmodi ſubdam, quae de eo metallo notitiam ſuppeditabunt non contemnendam. Propius deinceps memorati Viri veſtigia ſectatus, qua ratione laudata eſſentia, et quaſi FERRI ANIMA, craſſa quacumque impuraque materia rejecta, extrahatur, tradam. Nobiliſſimi demum medicamenti hujus dotes, et virtutes, ac miniſtrationis, ponderisque modum, appoſita aliquali pro meis viribus explicatione ſubnectam.

Haec ſunt, quae tibi, Lector doctiſſime, exhibeo humaniter ſaltem utilitate argumenti excipienda. Nonnulli fortaſſe Chymiae nomine, Chymicisque ratiociniis auditis, in detractiones irriſionesque effundentur. Sed tantum abeſt, ut iis deterrear ab opere propoſito, quin potius exciter ad proſequendum. Si enim eſt inſipientium illudere ſcientiae quam non percipiunt, et detrahere gloriae, quam non merentur; me non placere eisdem gaudeo. Apud hujus farinae homines audit Chymia tanquam ars circulatoria. Nihil ex ea colligi obtrudunt niſi fumum. Arcana promitti, ſed verba dari: imo nec verba quidem, cum illa adeo ſint exotica, et aenigmatica, ut praeter naturalem ſonum, nihil percipiatur. Quae pharmaca inde promuntur, vel inutilia eſſe, vel plena periculis. His dicteriis ſibi plaudunt, riſumque a vulgo captant. Sed declamationes, et ſatyrae ut plurimum iniqui litigatoris arma ſunt: Qui

juſtam

juſtam fovet cauſam, rationibus, experientia, peritorumque judicio nitatur. Cenſura in ſcientiis ſemper modeſta, nunquam ſine doctrina debet procedere; alias irriſor malignitatis erit notandus. Si nobiliſſimae hujus cum ſpeculativae tum practicae facultatis fama periclitaretur apud ſapientes; tunc ad arma conclamandum, acriterque pro illius excellentia et utilitate foret decertandum. Tota ſane, quanta ac qualis eſt, exhiberetur. Edocendum eſſet, ut de rerum cortice nihil ſollicita ad centrum penetret, ex quo, ceu ex throno, ſuas natura vires diffundit, et jura edicit: ut ibi arcana quaecumque rimetur, nihilque tam abſtruſum lateat, quod non revelet, quod non illuſtret: ut eſſentias extrahat, compoſita reſolvat, reſoluta componat; adeo ut non magis ars naturam imitari, quam natura ex arte operari videatur. Hinc doctiſſimus Daniel Duncanus erudite demonſtrat, quas in corpore animali natura explicat, eas omnes operationes, proportione ſervata, a Chymia adhiberi. Addendum eſſet, quam ſecuro greſſu incedat, ut ideo a ſenſibus aeque ac mente fidem extorqueat. Ob oculos praeterea ponenda eſſet efficaciſſima ignis, quo Chymia potiſſimum utitur, in operando actio, ac denique enumeranda utiliſſima ſimul, et praeclariſſima illius opera praeſertim in re Medica, quibus morbus vel arcetur, vel expellitur; quaeque, quantum corporum caduca ſinit conditio, morti obluctantur. Quod ſi ab iis cavendum eſſet, quia nonnulla ſunt acriora; exulare quoque a pharmacopaeis deberet Scammonium, Colocynthis, Elleborus, Gamandra, et ejusmodi alia, quae niſi per vim, ac vehementi corporum infectorum agitatione nequeunt tenacius haerentem abſtrahere perniciem.

Sed fruſtra his immoror. Superflua ſunt doctis, incognita imperitis, qui nullam ſcientiam, nullam artem vel verbo tenus callere profitentur, dum in Chymiae invehuntur voces, et allegorias: quaſi earum quaelibet propriam non habeat nomenclaturam, et quaſi familiare Philoſophis non fuerit, plurima eaque excellentiſſima, vel fabulis, vel allegoriis, vel notis ſymbolicis velare pariter, et explicare. De me quid dicam non habeo, nec, ſi haberem, dicere velim. Excellit Chymia, ideo pau-

ciores excellunt Chymici: hiſce tamen ſane perpaucis quamplurimi ſe ſe immiſcent verbo tenus tantum eruditi. Sicut igitur de aliis, ita et de me judicium ſit penes aequos rerum aeſtimatores. Quomodocunque tamen res evenerit, id auſim ſperare, fore ut mihi vitio non vertatur, quod in eo totus fuerim, ut artium omnium praeſtantiſſimam pro virium mearum tenuitate promoverem.

* * *

FAbulas, ſeu potius allegoricas narrationes, quas ut rerum Phyſicarum harmoniam et diſſenſum, mixtorum generationem et reſolutionem, ac demum abſtruſiora naturae arcana explicaret ſimul et velaret, priſca tradidit Philoſophia; easdem ad commentitiam illam Deorum catervam inducendam, ſtulta detorſit ſuperſtitio. Hinc inter alia, Martem Jovis Junonisque, ſeu ſolius Junonis filium, Parentum praerogativa, geſtorumque fama, in numerum Deorum relatum, bellique praeſidem finxit renunciatum: ac propterea durum, aſperum, trucem, ira rutilantem exhibebat; quique ferro undique cinctus, nonniſi ſanguine caedibusque delectaretur. Amaſium quoque Veneris fuiſſe addebatur, ſed tandem deprehenſum ab adulterae conjuge Vulcano: qui ferreo rete, firmiſſimo quidem, ſed adeo ſubtili, ut ſenſum falleret, utrumque interceptum, Deorum riſui, et ipſe irridendus objecit, donec Neptuno intercedente, ludibrii, ſed non irarum fuerit finis. Sub hujusmodi fabularum cortice nobiliſſima ſcientiarum arcana, ſi philoſophicam allegoriam ſpectes, et latent, et lucent a Coſmicae Phyſeos indagatoribus expoſita. Hinc etenim ſuum Martem planetam deſcripſerunt Aſtronomi: hinc ſuum Martem ferrum adumbrarunt metallicae rei profeſſores: hinc ab eo longe diſſitum, maximaque differentia ſejunctum, ſuum Martem Philoſophicum iſtiusmodi involverunt latebris ſolliciti Chymici. Cum vero, caeteris ſepoſitis, de Marte, nempe de metallo illo, quod vulgari vocabulo Ferrum nuncupatur, ali-

De Marte Fabula Allegorica.

qua

qua retegere, et ex abditis naturae penetralibus eruere, praeſentis inſtituti ſit; cur illud a doctis Martis nomine deſignetur, ſuperius inſinuata ſatis edocent. Id enim praecipue eſt in cauſa, tum quia plura de illo fabuloſo Deo Marte decantata verius ſecundum Phyſicam proprietatem ferro congruunt; tum etiam, quod in idem recidit, quia ipſius productionem ex planeta, Marte dicto, plurimum adjuvari communis erat opinio. Creditum enim, ſiderum radios peculiari vi et efficacia, juxta cujusque, ex quo promanant, ſideris naturam pollere; adeoque ubi indeſinenti profluvio ad terrae viſcera penetrarint, ſe ſe invicem miſcentes, ſimulque retundentes, prout ſubjectorum alteratio et temperamentum exigit, ad metallorum, inter alia, generationem concurrere: ea tamen lege, ut juxta alterutrius in influxu praepollentiam, diverſa metalli ſpecies efformetur. Hinc ubi planeta Mars praevalet, ibi ferrum accreſcere fertur, cui propterea tanquam filio, ſicut genitoris virtutes ſunt attributae, ita et nomen inditum: imo et eadem planetae characteriſtica nota inſigniri, jam uſu receptum. Ex his ſpecificam ferri naturam longe conſpicari licet: ſed ut menti clare reveletur, propius eſt contemplanda. Ea tamen me non tenet ſollicitudo, ut rigoroſam ad Peripateticorum leges efformatam definitionem inveſtigare mens ſit.

Quamobrem a meo ſcopo aberrare non videar, ſi dicam: *Phyſica Ferri deſcriptio.* Ferrum vulgare eſſe metallum perpauco aliquo Mercurio, non ita quidem pauco ſulphure, plurimo vero ſale conſtans, breviori coctione coagulatum, omnium duriſſimum, rarum tamen, adeoque valde corruptibile, et praeter ſtannum minus quam reliqua ponderoſum: inflammationis praeterea maxime capax, et tenax deprehenditur; fuſionis, niſi aliud adjiciatur, difficillimae; amalgamatis, ac cinericii inimicum; ſonorum, malleo aegre cedens, et cuicumque acido, tum occulto, tum manifeſto obediens; in medicina vero vi potiſſimum aperitiva, et pro diverſa ejus praeparatione, adſtrictiva pollens. Porro ne diutius amicum immorer Lectorem, curioſius inquirere ſuperſedeo,

quaenam ex adductis proprietatibus ad genericam ferri ideam, quaenam vero ad ſpecificam pertineant; id enim cuicumque, vel obiter in re Chymica, aut Metallica verſato, abunde conſtare arbitror. Mihi ſatis erit rem ipſam penitus evincere. Vt igitur ab ipſis ferri componentibus exordiar, ſcio quidem nonnullos non infimi ſubſellii Chymicos, qui ferri Mercurium non entibus Chymicis adnumeraverunt, aegre laturos a me nunc principiorum numero adſcribi. Verum, ut reliqua praeteream, quae a clariſſimis et fide digniſſimis Viris peti poſſunt, id tantum recenſebo, quod mihi olim dubitanti aſſenſum plane extorſit. Cum ergo cuidam operi intentus forem, ex ferro a qualibet externa materia, praeter ſalinum menſtruum ſimpliciſſimum, diſſociato, nonnihil fluidi Mercurii praeter inſtitutum et expectationem, ut extraherem, contigit. Rei novitate perculſus inexpectatum hunc Mercurium cum vulgari hydrargiro comparare coepi: lucidiorem et candidiorem ſe ſe exhibebat; diutius igni reſiſtebat: quod vero animum in ſui admirationem magis erexit, id profecto fuit, ubi ejusdem globulo ſupra planam tabulam ſito ferrum quoddam nitidum ad diſtantiam duorum transverſim digitorum admovi; confeſtim vi magnetica globulus ille ferro, ut ita dixerim, advolabat, perque ipſius ſuperficiem, quoad fieri poterat, ſumma extendebatur velocitate, ita ut nulla ferri eſſet pars, quam amplecti non conaretur. Quamplures hujusce phoenomeni teſtes adducere poſſem, verum duo prae caeteris ſatis erunt, probatae fidei, ſummaeque in re Chymica peritiae Viri, Illuſtriſſ. nempe Comes Joannes Ruſtica Patavinus, et Dominus Hieronymus Amadorus Ferrarienſis.

Ferro Mercurium ineſſe probatur.

Experimentum de Mercurio extracto ex Ferro.

Sanae igitur mentis non eſſem, niſi ſali, et ſulphuri, de quibus nulla eſt dubitatio, Mercurium etiam adjungam in ferro: ad cujus tamen productionem ea eſt horum principiorum (quemadmodum ſupra innuimus) proportio, ut minima Mercurii, major ſulphuris, maxima ſalis, et in cupro reſpondens concurrat quantitas: quae ideo ita a natura comparata videantur,

tur, ut ſal principii fundamentalis et radicalis; ſulphur calidi innati, Mercurius vero humidi primigenii munere fungantur. Verum cum haec omnium quidem metallorum principia ſint; hinc ad definiendam uniuscujusque ſpeciem ulterior inſtituenda eſt indago; inquirendum ſcilicet, quanam alteratione in ferro jam producto afficiantur: quapropter non ratione minus, quam experimento edoctus aſſerere non dubitabo, Mercurium impurum, terreum, craſſum, crudum, et alcalinum; ſulphur vero valde igneum, craſſioribus terreisque partibus arcte irretitum, ac propterea ad nativam puritatem aegre reducibile; ſalem denique adurentem, et maxime terreum ibidem exiſtere.

Alteratio principiorum in Ferro.

Vbique igitur craſſitiem, impuritatem, et terreſtres faeces intueris in ferro, adeo ut, ſi cum caeteris metallorum ſpeciebus comparetur, his maxime omnium abundet, et propterea omnium etiam immundiſſimum, et imperfectiſſimum audiat. Patet hoc ſenſui, quia in artificioſa metallorum purificatione, ex nullo copioſiora excrementa ſecernuntur quam ex ferro.

Ferrum metallorum impuriſſimum.

Haec autem dicta volo, dummodo quaelibet ſpecies in eſſe (ut ajunt) perfecto conſideretur: dari enim poteſt minera alicujus metalli immatura, quae cum ferro maturo collata uberiori excrementorum colluvie polluatur. Hoc tamen vitium minime naturae ſpeciei, ſed imperfectioni accidentali adſcribendum eſſe nemo inficiabitur. E contra cum ferri ſpecies imperfecta, imo imperfectiſſima dicitur, comparative, ut patet, nullatenus abſolute procedit aſſertio: ſi enim abſolute, et ſine reſpectu ad alia metalla conſideretur, perfectum in ſua ſpecie ferrum dicendum eſſe quis neget? Nefas quippe eſſet imperfectionis naturam arguere: ſed ſolum relative loquendo, quaedam imperfectio in aliquo ſubjecto dari poteſt. Porro maximae iſtius in ferro impuritatis obvia eſt cauſa: quia ſcilicet natura primigeniam ejus materiam excrementis, et heterogeneis multis ſcatentem non depurat: ubi nempe eſſentialis ejusdem

dem, quae ſupra memoravimus, principia coeunt, vel (cum Chymicis ut loquar) coagulantur, ab intermixtis Cadmiis non ſecernuntur. Sed inde acrior mentem vellicat curioſitas, cur nimirum haec ab excrementis depuratio, et Cadmiis ſecretio non abſolvatur? Hoc quidem explicatu difficillimum videtur; at ſi ſuam unicuique in re adeo obſcura ſententiam aperire datur, id primo adſcribendum crediderim certae ac proportionali principiorum mixtioni, unde ferrum emergit; quae ſane proportio ad expellendas faeces, ideoque ad depurandum metallum minime valeat; deinde breviori vel debiliori caloris coctioni: quo etenim brevius, aut languidius excoquitur maſſa illa ferrea, eo minus heterogenea disgregantur. Duplex eſt hujusmodi calor: alter extrinſecus (nonnullis centralem appellare lubet) quia ab extrinſeco nutrimentum parat; alter intrinſecus, qui metallo ineſt, perque omnes ipſius moleculas diffuſus paratum nutrimentum digerit. Liceat interim hic mihi parumper a ferro diſcedere, mox rediturus, ut ſubterranei praedicti caloris exiſtentiam evincam. Hoc autem abunde teſtari videntur erumpentes ab ignivomis montibus flammae, ut inter alios ex monte Hecla in Islandia, ex monte in Hermunduris, ſeu Miſenis, ex montibus Epheſtiis in Lycia, ex AEtna in Sicilia, ex Veſuvio prope Neapolim; Aquarum inſuper calentium, imo ebullientium indeſinentes ſcaturigines, et quamplures circa terrae ſuperficiem quotidie emergentes igniculi, quos ſane a ſideribus arceſſet nemo.

Cur ferrum impurum.

Probatur centralis caloris exiſtentia.

Hucusque Ferri geneſim ejusque productionis modum proſecutus, in poſterum metallum jam adultum, ut ita dicam, ejusque praecipuas dotes perſcrutabor.

Primo igitur duriſſimum, et elaſticum ſe ſe exhibet, praecipue vero ſi diutina percuſſione conſtipatum fuerit: ab iisdem autem cauſis duritiem aeque, ac elaterium induci nullus dubito. Cum etenim durities ſit facultas illa, quae in corporum conflictu mutuae partium divulſioni obſiſtit, vis autem elaſtica divulſas partes in priorem cohaerendi modum reſtituat; ab eisdem

Ferri durities perperditur.

dem prorſus cauſis utrunque effectum proficiſci facile arbitror.

Democritici omnia per Atomorum figuras expedire ſueti, duritiei cauſam acu, ut dicitur, tetigiſſe ſibi viſi ſunt, aſſerentes corpora dura particulis conſtare ramoſis, figuram uncinulorum prae ſe ferentibus, quibus nempe ſe mutuo amplexantur, et innodant. Hinc Lucretius ex Epicuri ſententia diſerte, ut ſolet:

Denique quae nobis durata, ac ſpiſſa videntur,
Haec magis hamatis inter ſeſe eſſe neceſſe eſt
Et quaſi ramoſis alte compacta teneri.
In quo jam genere in primis adamantina ſaxa
Prima acie conſtant, ictus contemnere ſueta,
Et validi ſilices, ac duri robora ferri.

Specioſa tamen haec ſunt, et ad vulgi captum magis accommodata, quam vero ſimilia.

Cum etenim iſti quos comminiſcuntur hamuli, extenſi procul dubio ſint, id eſt partes deſignabiles ſaltem extra partes habeant, licet ob atomi ſoliditatem minime dividuas; inquirendum adhuc ſupereſt, quo caemento hae partes cohaereant. Quamobrem, cum nullum hactenus excogitari potuerit internum vinculum aut gluten, quod inter particulas duriorum corporum intercedere poſſit; partium earundem cohaeſionem externae ambientis materiae preſſioni, aereae ſcilicet, et aethereae conſultiores Phyſici acceptam retulere. Hujus autem, quae ſint connectendi vires, celebre illud oſtendit experimentum de duobus marmoribus politis, et laevigatis, quae ſibi juncta, ut aer intercedat nullus, firmiter adeo cohaereſcunt, ut niſi maxima adhibita vi divellantur. Idem igitur praeſtat natura in coaptandis, et connectendis inſenſilium particularum ſuperficieculis, quod in duobus memoratis corporibus poliendo humana molitur induſtria; ut ideo duo potiſſimum ad conciliandam mixtis firmitatem et duritiem ſint neceſſaria, externa nimirum compreſſio, et ea particularum integrantium figura, quae ad

mutuam immediatam coaptationem, ſeu juxta poſitionem ſit accomodata: quamobrem cum eadem fere ubique in hac ſublunari regione vigeat ambientis aetheris preſſio, eo, caeteris paribus, duriora erunt corpora, quo pluribus in punctis ipſorum particulae ſe ſe contingent. Ad elaſticitatem porro quod attinet, ſatis ſuperque notum eſt, corpus nullum ſe ipſum movere poſſe; quocirca ubi ſemel diductae fuerint corporis alicujus partes, in eodem ſtatu permaneant neceſſe eſt, niſi ab extraneo agente priori ſitui, ordinique reſtituantur: Verum cum aliud nullum praeſto eſſe poſſit extrinſecum agens praeter memoratum aetherem propter ſuam ſubtilitatem cuncta permeantem; hinc eidem jure merito adſcribenda divulſarum partium reſtitutio, ſeu, quod idem eſt, corporum elaſticitas; quanquam illud praetereundum non eſt, idoneam requiri pororum ſeu configurationem, ſeu magnitudinem, quae in corporis flexura pertranseunti aetheri vim, ut ita dicam, inferat.

Cur Ferrum quanquam duriſſimum, minime graviſſimum ſit. Attamen, ut verum fatear, haud levis ex dictis emergit difficultas: Cum etenim ferri duritiem in partium juxta poſitione ſitam eſſe dixerim; hinc procul dubio colligendum eſſe videtur, duriora corpora reliquis quoque denſiora eſſe debere, quod tamen eorum gravitas ad lancem revocata falſum eſſe omnino oſtendit. Celeberrimus etenim Montanarius, ne a ferro, quod prae manibus habeo, diſcedam, multiplici experimento ſibi compertum fuiſſe teſtatur, ignitum chalybem, dum frigida extinguitur, rareſcere, et ſpecie, ut ajunt, leviorem evadere, licet hinc maximam ſibi duritiem comparet. *Ferri raritas.* Quamobrem ut enodetur difficultas, curioſius introſpicienda eſt intima particularum diſpoſitio. Id itaque pro rato habendum, denſiora eſſe mixta, quo pluribus in punctis eorum inſenſiles moleculae ſe ſe contingunt: ad quod apprime facere videtur particularum earundem aequalitas, laevitas, et figurarum ſimilitudo. Verum haec eadem particularum homogeneitas, et laevitas efficere poterit, ut una ſuper alteram haud aegre excurrere poſſit, quoties ab externa vi validius comprimantur: unde auri aliorumque metallorum ferro

gra-

graviorum adeoque denſiorum ductilitatem oriri nullatenus ambigendum. Quod ſi heterogeneae fuerint integrantes moleculae, cujusmodi partibus ferrum ſcatere ex ſupradictis facile patet, quanquam earum inaequalitas plura admittit inania ſpatiola, et contactuum numerum imminuit, prohibendo tamen aliarum ſuper alias excurſum, majorem corpori conciliat adverſus externos ictus reſiſtentiam, atque hoc nomine ferrum caeteris metallis duritie, minime denſitate praeſtare crediderim, quod pariter in chalybe ignito locum habere facile unusquisque intelliget.

Memoratam partium heterogeneitatem a breviſſima coctione, quam intra terrae viſcera ſubit ferrum oriri autumant Chymici; norunt quippe coctionis potiſſimum ope craſſiores ſubigi, et attenuari partes, heterogeneas ſegregrari, id eſt in caſu noſtro cadmias ſecerni, et univerſas ſingulasque mixtorum partes ad quandam, ut ita dixerim, aequabilitatem redigi.

Raritatem et terreſtris materiae copiam conſequitur corruptibilitas; ſi etenim verum eſt, quod ſane veriſſimum arbitror, Lucretianum illud: *Ferri corruptibilitas.*

Incolumi remanent res corpore, dum ſatis acris
Vis obeat pro textura cujusque reperta.

quo laxior erit partium compages, eo commodius ſe ſe hoſtes inſinuabunt; quoque major terrae colluvies, eo facilius quilibet adhaeret ſal, partibus diſſidium, et mixto exitium moliturus. Hinc ignis non modo, verum et aquae, et quod magis mirabere, aêris ipſius injuriis obnoxium eſt ferrum.

Ex dictis facile conjici poteſt, cur metallorum calces vulgari modo paratae nullo negotio in priſtinae formae metallum redigantur; ferri vero calx, quocunque modo comparata fuerit, nulla prorſus arte in ferrum revocetur: reliquorum etenim metallorum denſitas vetat, quominus in eſſentialia ſua principia menſtruis, et modis ſaltem uſitatis diſſolvantur; quamobrem cum in minima tantum, id eſt integrales ejusdem

prorſus ſpeciei, licet inſenſiles particulas attenuentur, haud aegre eam iterum prae ſe ferunt indolem, quam nunquam amiſere. In ferro interim e contra uſu venit; texturae quippe laxitas, cum intra ſua penetralia menſtrui cujuslibet cuſpides intimius admittat, facilius abire ſinit ipſa mixti elementa, ut ideo non partium attenuatio, quemadmodum in reliquis metallis contingit, ſed mixti diſſolutio celebretur. Nunc porro ſi injucundum non eſt memoratam toties ferri laxitatem ſtatico examini ſubdere, et ad amuſſim perſcrutari, experimenta afferam ex Ghetaldo deprompta, quibus ſolertiſſimus vir ſingulorum metallorum gravitatem, ac propterea denſitatem ſtatica indagine patefecit. Poſita igitur aequali corporum mole, auri, ſeu ſolis ad mercurium proportio in aëre deprehenſa fuit eadem, ac $1\frac{38}{95}$ ad unum; quam quidem proportionem ſi ad conſuetum loquendi modum revocare velimus, ſi Mercurius ponderet libram tantum unicam, aurum ponderabit uncias ſexdecim, et drachmas ſex, et grana vigintiquatuor. Auri ad Saturnum eadem, ac $1\frac{15}{23}$ ad 1. nimirum pendente Saturno libram unam, aurum pendebit uncias decem et novem, drachmas ſex, grana triginta ſex $\frac{12}{23}$. Auri ad argentum, ſeu Lunam eadem, ac $1\frac{26}{31}$ ad unum; ſcilicet ſi argentum ſit unica libra, aurum deprehendetur eſſe unciae 22. grana 30. $\frac{30}{31}$. Auri ad venerem proportio eſt, ut $2\frac{1}{9}$ ad unum; propterea pendente venere libram unam, aurum pendebit uncias viginti quinque, drachmas duas, ſcrupulos duos. Aurum ad ferrum, ſeu Martem ita ſe habet, quemadmodum $2\frac{3}{8}$ ad unitatem, nimirum non excedente libram unam ferro, aurum aequabit uncias $28\frac{1}{2}$. Ad Jovem denique ut $2\frac{21}{37}$ ad unitatem; ut ideo ponderante, ut ſupra, unicam libram Jove, aurum ponderet uncias 30. drachmas ſex, grana $29\frac{7}{37}$.

Metallorum inter ſe comparata gravitas.

Multus jure merito, et longe prolixior, ac inſtituti mei ratio poſtulet, audirem, ſi reliqua perſequi mihi mens eſſet experimenta, quibus celebratus Vir easdem proportiones confirmavit, adhibito pariter in aqua ſolertiſſimo ponderum examine.

Prae-

Praedictarum rationum inverſio (ut Geometrae loquuntur) magnitudinum proportionem apertam faciet. Poſita ſiquidem corporum aequali abſoluta gravitate, conſtat eandem materiae maſſam tanto majus ſpatium occupare, quanto laxius eorum partes diſpoſitae fuerint, adeoque quo denſius, id eſt, gravius erit corpus, eo minori ſpatio coextendetur. Sed ad alia progrediamur. Memorata partium, unde ferrum conflatur, aſperitas adeo difficilem ejus fuſionem reddit, quam quod difficillimum, ut nempe in ferro omnimode purgato eandem fere incaſſum moliaris. Cum etenim in metallorum fluore ipſorum particulae diverſimodis et miris modis contorqueantur, et revolvantur inter contiguas ſui generis moleculas, quemadmodum praeter alia ex eo colligitur, quod metalli fluentis moles inſigniter augetur; profecto quo magis aſperas, et anguloſas particulas eſſe poſuerimus, eo difficilius praefatis motibus obſequi debere perſpiciemus. Appoſite interim de ferro omnimode purgato mentio facta fuit: Nemini ſiquidem dubium eſſe poteſt, quin agentis cujuslibet vis adeo intendi queat, ut finitam demum reſiſtentiam longe percellat; quamobrem ſi ferro facces e minera ſimul erutas copulaverimus, uberrimus ſulphurum proventus, quibus eaedem facces ſcatent, enormem adeo in modum allabentium igniculorum vim auget, ut ferrum denique fluere cogatur. Accedit praeter jam dicta, minima Mercurii ad reliqua componentia proportio: multiplici namque experimento colligitur metallorum fluorem Mercurio ſummopere promoveri, qui ſane anguloſis, et aſperis metalli particulis commixtus eundem fere praeſtat uſum, ac ſebum, vel quodlibet aliud corpus unctuoſum, ope cujus arenulae aſpertimae lubricitatem acquirere poſſunt, facilique negotio circumvolvi. Cave tamen ne credas Mercurium unctuoſum eſſe a me aſſeri. Iisdem prorſus de cauſis aegertime malleo cedit, et ſecus ac reliqua metalla, quae frigida quanquam ſunt, facili negotio cuduntur, niſi igniatur, nequaquam cudetur.

Ferrum difficillimae fuſionis.

Ferrum malleo aegre cedit.

Facillime autem ignitur ferrum, quod ſane amplis, et crebris

Ferrum inflammationis

maxime capax.

ejuſdem poroſitatibus ignea corpuſcula facile admittentibus pronum eſt adſcribere. Verum ſi attentiore rem animo perpendamus, phaenomenon occurret et inquiſitu curioſius, et ſcitu jucundius.

Repetita percuſſione enormiter incaleſcit.

Non modo etenim igni admotum, extraneum et adventitium imbibit calorem, ſed mallei ſolum ope tantus ex frigidiſſimo metallo calor excitatur, ut referente * Boyleo, ſulphur incendere valeret. Atque hoc quidem in memoriam revocat laude et ſpectatore dignum experimentum, quod mihi jamdudum recenſuit oculatus teſtis, Dominus Abbas Lucius Marentius, acri Vir ingenio praeditus, et omnigena ferme eruditione praeclarus.

Mira in praeparato ferro ad incaleſcendum propenſio.

Is cum forte Berolini degeret, Chymicum quendam offendit Hermannum Sanſonium, vel hoc uno mehercle digniſſimum, ut honoris cauſa nominetur, qui ferrum in pera geſtare ſolebat affabre adeo mireque temperatum, ut quinque tantummodo vel ſex mallei ictibus excuſſum plurimo rubore micaret, proxima quaeque incenderet, combureret, et longe lateque ſcintillas ejacularetur. Vndenam ergo tantus e ferro repente calor emergit? Vetus etenim eſt aſſertio, eaque recentiorum fere omnium ſuffragiis firmata, mechanicam caloris generationem a vehementi inſenſilium particularum agitatione pendere; ferri autem particulas aegerrime divelli et diſſociari poſſe, plusquam decies dictum. Vt igitur difficultati ſatisfiat, animadvertendum eſt, motum illum, quem calorificum appellant, non directum, ſed perturbatum et reciprocum eſſe debere, ut prae caeteris ingenioſe admodum in ſua de Caloris natura Diſſertatione oſtendit Dominicus Gulielminus, Vir profecto omni encomio major, et dum viveret non minus obſequio, quam amore a me excultus.

Hoc praenotato, haud aegre problematis ſolutionem repertum iri confido. Percuſſo etenim vehementer ferro, cum rigiditas, et irregularitas vetent, quo minus una ſuper alteram quodammodo prolabi, et excurrere poſſit, reliquum tantummodo eſt, ut percuſſionis vis in ſingulas inſumatur particulas; et ideo circa

* Tom. 3. pag. 308.

circa proprium centrum, ſi fieri poſſit, rotentur; ſin minus, inflectantur ſaltem earum cuſpides, adeoque elaſtico reniſu accedente, in vibrationes, et oſcillationes quasdam, ob partium earundem brevitatem ſane creberrimas, cieantur: hinc urentem calorem emergere nullus dubito. Ex his pariter ratio eluceſcit phoenomeni cujusdam, quod allatam theoriam meo quidem judicio mirifice confirmat. Si latior paulo clavus in aſſerem intrudatur, non niſi repetitis ſaepius ictibus incaleſcit; verum ſi ad extremum usque infixus jam fuerit, ut ideo ulterius progredi nequeat, tunc paucis ab ictibus inſignis in eo ſuſcitatur calor; eo ſcilicet quod jam impedita totius clavi progreſſiva motione, mallei vis, tota quanta eſt, internis inter ſe vehementerque commovendis ferri particulis impendatur.

Jam ſonorum quoque ferrum eſſe, campanae nonnullae ex eodem conflatae, incudesque ſub malleorum ictibus gementes ſatis teſtantur. *Cur ſonorum ſit ferrum, explicatur.*

Nullum produci ſonum absque corporis ſonantis tremore, axioma eſt Phyſico-Mathematicum. Mirum idcirco quamplurimis videbitur, ingentes columnas, montesque ipſos marmoreos qualibet percuſſione concuſſos tremere. Verum graviſſima quanquam et vaſtiſſima ſunt hujusmodi corpora, haud idcirco abſolute denſa, et omnino dura cenſeri debent: ſunt etenim aggeries compreſſibilium machinularum, una ex parte cohaerentium, ex alia vero diſcretarum, quae proinde aliquantiſper conſtringi, et dilatari poſſunt; cumque aliunde univerſa moles proprio pondere aequilibretur, cuilibet impulſui percuſſivo cedere debet, ſcilicet internas ejus machinulas nonnihil oportet conſtipari, et reſilientes denuo dilatari, unde neceſſario tremor exoritur, et ſonitus longe lateque percipitur. Rem ita ſe habere, ipſa demum oſtendit autopſia: ſi etenim ferream eamque praegrandem incudem lateraliter, haud tamen vehementer percutias; ſuperpoſita millii grana (teſtante Rohoultio) hac illac ferri, et ſaltillare conſpicies, et quidem eo alacrius, quo validius aures percellet excitatus colliſione ſonitus. Conſtat por-

ro incudem hujusmodi granulis motum impertiri non poſſe nisi ipſa habuerit, nullum autem omnino praeter inteſtinum habere poteſt.

Ratio affertur, ob quam plumbum minime ſonorum eſt.

Hinc igitur patet, cur campana plumbea cum omni fere elaſticitate careat, nullum emittat ſonitum; cur ferrum e contra ſonorum ſit: cur ex creta igne indurata campanae, aliaque ſonora inſtrumenta, quae Pſalteria nuncupantur, effingi poſſint.

Ferrum cuique acido obedit.

Interim, ne a propoſita via divertam, ejus quoque naturae ferrum eſſe diximus, ut cuicumque acido, ſeu occulto, ſeu manifeſto obediat: hoc enim exigit tum ipſius ſumma corruptibilitas, tum maxima quaſi alcalina terreſtreitas, ob quas, cujuscumque acidi impreſſiones et repellere nequit, et ſequi cogitur. Hinc, ut alia quamplurima brevitatis gratia omittam, ſi ei acetum deſtillatum affundatur, abit in ſalem ſubdulcem; ſi acidum tartari, in ſalem pariter ſubdulcem; ſi ſpiritus ſulphuris, in ſalem ſaccharinum; ſi acidum vitrioli, in vitriolum.

Amalgama, et cineritium a ferro reſpuitur.

Amalgama demum, et cinericium reſpui a ferro, vel ipſi Chymiae tirones noverunt. Immite, et aſperum ita a natura comparatum fuit, ut plurima terreſtreitate munitum fuſioni adverſetur, magnaque prae reliquis (ob Mercurii paucitatem) levitate pollens, utriusque artificii conatus eludat.

Supereſſet, ut de ejus vi aperitiva, et adſtrictiva nonnihil diſſererem, quomodo ſcilicet haec duo contraria in ferro concilientur, unde profluant, quaque ratione praeparatio ſit inſtituenda; verum quia circa haec tanquam praecipuum ſcopum hic meus qualiscunque labor verſabitur, ideo illa paulo poſt pertractanda ſeponam.

Interim de ejus natura reliquisque attributis iſta attigiſſe ſufficiat, ne Lectori nimis prolixus ſatietatem ingeram, aut nimis parcus deſiderium relinquam.

Natura nulli fuit noverca, ſed omnibus mater; ideoque, quanquam in hujusce rerum univerſitatis machina, eadem perfectione non donaverit ſingula, ita tamen omnia ſapientiſſimo tem-

temperavit ordine et conſilio, ut nihil omnino deſpici, nihilque prae caeteris extolli mereatur.

Ferrum vidimus omnium metallorum impuriſſimum, et ex eo plurima imperfectione pollutum, ſed ipſius impuritas compenſatur abundantia, et imperfectio facilitate ac brevitate productionis,

Mira eſt ferri ubique copia: quocumque terrarum vertatur oculus, occurrent ferri minerae. Occurrent in Palaeſtina: occurrent in Meroe Nili inſula, in Caramania, in Serica regione, in Parthia. Generatur ferrum, ut ſcribit Ptolemaeus, prope Andiram; generatur in Canadenſi Americae Septentrionalis regione. Habet ſuas Cappadocia ferri mineras; habet inſula Creta in mari Aegeo; habet inſula Ilva, vulgo *Elba*, in mari Tyrrheno, easque adeo foecundas, ut a foſſoribus eviſceratae, rurſum viginti annorum ſpatio perennitate metalli renaſcentis compleantur. Habet pluribus in locis Appenninus. Plures habet in ſuis montibus Vincentia; plures Brixia, quarum nonnullae cuprum eodem partu ſecum adnatum gerunt, quibus ſimiles fuiſſe in inſula Euboea, ſcribit Strabo. Ferro abundat Anglia, teſte Gilberto *de Magnete*: ibique, ut refert Doctiſſimus Liſter, in montibus Cretaceis agri Eboracenſis plures ſerpunt rubrae metalli ejusdem, plus minusve durae, venae. Abundat Gallia. Abundat Hiſpania praeſertim citerior in Pyrenaeis jugis: adeo ut, ſi Plinio fides habenda, qua Oceanus Cantabriam alluit, redundante minera, ferreus totus ſurgeret mons. Abundat Germania, ubi primum extructas fuiſſe ad ferrum excoquendum fornaces notat, Encelius. Plures metalli hujusce venas alit Tirolenſis Comitatus, earumque nonnullae cupro ita uniuntur, ut vix deprehendatur diſtinctio, quemadmodum et ego accurata obſervatione compertum habui, et cuivis metallicae rei vel mediocriter perito clare patere poterit. In Sileſia pariter, et in Marchia Brandeburgenſi ex terra rubra et ferruginea ferrum excoqui, teſtatur jam citatus Encelius. In Lygiis ad Sagam oppidum, erui ferrum, erutique loco aliud decennio rurſus

Ingens ubique ferri copia occurrit.

ſus renaſci, ex Agricola tradit Boyleus, qui pariter ex Joanne Gherardo ſubdit, terram inanem cum ferri minera prope Ambergam effoſſam, ejusdemque metalli recrementis, ut ajunt, immixtam et in cumulos congeſtam, poſtquam per quinque et decem Annos, ſoles pluviasque exceperit, denuo excoqui, et ferro ditatam reperiri. In Peninſula quoque Scandia, nunc Scandinavia, ſeu Sueciae, ſeu Daniae, ſeu Norvvegiae provincias, ſeu non longe disſitam Islandiam inſulam peragraveris, in ferri mineras paſſim incides; ut ideo facile quis dixerit, pugnaciſſimis gentibus terram montesque ipſos accommodatos fuiſſe. Inter optimas, una celebratur Norwegica, cui corporalis auri bracteolas inhaerere ſola oculorum ope ſatis perſpicuum eſt: quod et ego teſtor, cum ejus fruſtulo D. Hyver Daniae Regi percarus, et rerum mineralium peritiſſimus, me donatum voluerit. Quare colligere eſt, regiones praeſertim polares, et prae reliquis montuoſas ferro ſcatere. Quid plura? Solus omnium ferri minerarum catalogus integri voluminis paginas expleret, adeoque nimis excreſceret moles, ſi earum non modo deſcriptionem tradere, ſed aliquas tantummodo qualitates innuere mihi mens eſſet: nonnullae etenim venae, ſi chartae affricentur, lineam rubram ducunt, aliae non: alias videbis coloris rufi, alias cinerei, alias albas, alias ferrugineas: ſunt nonnullae molliores; ſunt nonnullae magis durae; ſunt, quae auri conſortio ſuperbiunt; ſunt pariter, quae cum aliorum metallorum mineris foedus inire gaudent, Quaedam ferrum explicant craſſioribus faecibus magis inquinatum; quaedam nimis crudum; quaedam nimis fiſſile; quaedam interdum ſunt adeo concoctae, et a nativitate mundae, ut dedignentur ab arte praeſtolari puritatem. Ferrum alibi adinſtar globulorum effoditur; alibi ad inſtar corporis octaedri, ut oſtendit Joannes Daniel Major in Miſcellaneis Germanicis, Ann. 3. Dec. primae.

Ferri minerarum diverſitas innuitur.

Caeterum ſi unicuique rerum naturalium ſeu cauſas, ſeu proprietates inquirere conanti, ſuas cogitationes in apertum proferre licet; haud aegre adducor, ut credam, ferri particulas pyrami-

Ferri particulae pyramidali figura donantur.

pyramidali figura a natura donatas fuiſſe. Hanc in rem memoratu digniſſima eſt obſervatio, quam mihi per litteras humaniſſime ſignificavit celeberrimus Vallisnerius, in Patavino Lyceo Profeſſor Medicinae theoricae primarius, et naturae arcanorum perſcrutator acerrimus, quamque ipſe a peritiſſimo rei metallicae Praefecto accepiſſe teſtatur. Hic cum ingentem ferreae minerae vim liquari curaſſet, ubi peracto labore concreſcere ferrum coepit, ingentem alicubi, eamque, ut videbatur, inanem intumuit in molem. Hac igitur malleo perfracta, jucundiſſimum ſe ſe exhibuit ſpectaculum. Vniverſa ſiquidem interior praefati tumoris cruſta in pyramides profecto innumeras abierat. Quadrilaterae erant ſingulae pyramides, et ſingula planorum, quibus pyramis continebatur, latera dentata et ſerrata inſpiciebantur, quemadmodum in appoſito Schemate obſervatur.

Haec per tranſennam, ut dicitur, innuiſſe ſufficiat, et ad propoſitam ferri copiam revertor, quam profecto non pauca, quae paſſim occurrunt, indicia produnt. Hujusmodi ſunt ferreae Thermales aquae, atramentum ferreum, argillae martiales, ſaxa rubiginoſa, talcum rubrum, et alia quamplurima perito Lectori nequaquam obtrudenda. Si arena, ſeu lapides arenarii, varietate colorum iridis ſpeciem referentes diſcutiantur, ferrum dabunt adnatum. Si haematites, et ocrea foſſilis, aut aetitum ſpecies igne torqueantur, latens exhibebunt ferrum. Quid plura, cuicumque ligno metallum iſtud ineſſe congenitum, jam non ſemel repetitum detexit experimentum. Facillima eſt praxis, quam non ita pridem evulgavit D. Hombergius, Chymicae Philoſophiae Profeſſor Celeberrimus, et Regiae Scientiarum Academiae Socius; facillime, inquam, ſi enim cultrum magneti prius affricatum cujuslibet ligni cineribus admoveris, particulas materiae nigrae hinc inde ſtatim ſalientes attrahi conſpicies. Hae autem ad examen, praeſertim lentis uſtoriae revocatae, ejusdem penitus cum ferro vulgari ſpeciei deprehenduntur. Nec vegetabili tantum regno memorata ferri copia circumſcribitur. In ipſis namque animalibus aliquando luxuriare, inauditum non eſt.

Cujuscunque plantae cineribus ferrum ineſſe oſtenditur.

f 2 Si

Ex humano quoque calculo elicitum eſt ferrum.

Si etenim ingenioſiſſimo aeque ac ſolertiſſimo Liſtero * fides habenda, cui mehercle plurimam habeo, ex humano calculo rite cremato ferreum metallum ad aliquot grana, adhibito magnete, extrahitur, quod olim Regiae Londinenſi Societati oſtendiſſe ipſemet teſtatur. Nulla demum eſt terra, ut notat Gilbertus de Magnete, quae ferri naturae particeps non ſit: ad cujus rei comprobationem, omnem limum, argillamve ſola olei lini admixtione, facile in idem metallum redegiſſe, aſſerit Becherus, cui experientia edocti adſtipulantur peritiſſimi Chymiſtae. Eorum interea ſententiam nullatenus praeterire licet, qui adeo metalli noſtri feracem naturam voluerunt, ut totam hanc terrae machinam, quaſi ferream molem affirmare non dubitaverint. Magna ſunt haec, ſed et adhuc quid majus ſupereſt: Ferrum in coeleſti quoque, ſeu aërea regione generari quis crederet? nihilominus, quanquam ſuperioris illius ſphaerae diſtantia vetat, quo minus ejus penetralia curioſius perſcrutari poſſimus, plura tamen occurrunt tum veterum, tum recentiorum monumenta, quae demiſſum ad nos per imbrem ferrum teſtentur.

Aliquoties creditum eſt a nubibus demiſſum fuiſſe ferrum.

Hujus metalli fruſta centum librarum pondo pluiſſe, ex quibus acuti acinaces cuſi, ex Avicenna collegit Magnus Albertus. In Miſnia ferreae maſſae e coelo decidiſſe perhibentur tanti ponderis, ut vix loco moveri potuerint. Apud me quoque inter aliquot naturae partus ſervantur ferri nativi fragmenta quaedam, topho ſimilia, quae dono mihi miſit pro ſua, qua pollet, humanitate Excellentiſſimus D. Alexander Bianchi, qui Aſelli Medicam artem ſumma cum laude in praeſentiarum profitetur; ea vero a nubibus demiſſa, ſummaque diligentia in locis vicinis collecta, conſtanter aſſeverat. Haec ferrum eſſe mihi conſtat. De facti autem veritate, Viro docto, honeſto, et Amico fidem denegare nequeo, a nemine ſane pro nimis credulo habendus, aut irridendus; ſi praeter ſuperius relatas, plures hiſtoriae de ferro a nubibus projecto apud Marcum Eterlinium perlegentur, resque non ex vulgi judicio, ſed ex Philoſophico ratiocinio diſcutiatur.

* Liſt. de Calculo p. m. 7.

Reperitur itaque ubique ferrum; ejusque abundantia. citra piaculum, inutilis credi non poteſt. Ergone natura, tanta ferri copia univerſum orbem locupletavit, ut ad nihil inſerviat? abſit ſtultus hic error; omnia ſiquidem creata ſunt in numero, pondere, et menſura; ſtatuta cuilibet ſua lex, et circumſcripta quoque cuilibet ſua copia, ut deſtinatis muneribus ſatisfieri poſſit. Quapropter ſi ſumma eſt in hac rerum univerſitate ferri abundantia, ſumma quoque debet eſſe illius utilitas, et ſummus uſus.

Multiplex ferri uſus.

Multiplex porro hic eſt; verum ut alia omnia praeteream, medicum tantummodo ejus uſum pro viribus perpendam. Jamdiu creditum eſt, eximiis dotibus ferrum praeſtare, et jamdiu hoc ſibi negotii dedit medicina, ut eas erueret. Sed tunc ſolum voti compos fieri potuit, ubi Chymia foedere inito, ad intimas rerum eſſentias pervaſit, artemque didicit, ex eis praeſtantiſſima pharmaca conficiendi.

Quae puriſſima ſit ferri minera.

Latent itaque in ferro medicinales theſauri, ſed in eorum extractione exquiſita arte opus eſt, adeoque cauto pede incedendum. In primis autem de ferri bonitate cura impendenda, ut quod eligendum, quod reſpuendum, pateat. Ex omnibus ferri mineris praeſtabit, quae puriſſima. Purior autem habenda, quae celerius tenaciusque absque praevia coctione magnetem amplectitur; quo vero ſegnius, eo magis a propriae ſpeciei bonitate recedit, et acrius igne ſubigenda erit, ut amicum prompte ſequatur lapidem. Quod ſi de ferri jam cocti exquiſitiori perfectione judicium ſit inſtituendum, illud eligendum, quod ſervata ſua ſpecifica gravitate facilius malleo obedit, et colore, quantum fieri poterit, ad albedinem vergit; ſi vero aeris injuriis exponatur, propriam munditiem a rubiginis alteriusve maculae labe immunem diutius ſervat. E contra autem ſi levitas, friabilitas, color lividus, difficilis tractabilitas, facilisque vitrificatio in ipſo deprehendantur, pro crudo habendum, et jure merito damnandum, ob maximam ſalinarum, terrearumque partium exuberantiam. Solet etiam plerumque artificem de ferri ſimplicitate ſollicitum ea cura torquere, ut exploret, an quid ex diverſae ſpeciei minera, ſeu alius

 cor-

corporis in ſuam admiſerit ſocietatem. Facile ab hoc dubio ſe ſe expediunt, quibus notum eſt menſtruum quoddam curioſum, quod ſi ſuper ſubtiliorem ferri limaturam effundatur, et exinde extrahatur, certiſſima ſecum refert indicia cujuscunque in noſtro metallo accidentalis mixturae. Haec inquiſitio diligenter eſt peragenda, quia ubi medicamenta ex ſimplici ferro paranda ſunt, vel minima cupri permixtio magnam iis labem affricare poteſt, et ingens aegroto periculum afferre, quod quidem utinam raro contingeret.

A Cupro diligentiſſime ſeparandum eſt ferrum.

Poſtquam ſelegimus, quod praeſtantius eſt ferrum, jam medicam metalli praeparationem aggredi licet. Haec autem multiplex eſt: alias enim per ſolam elimationem, alias per diſſolutionem, alias per calcinationem, alias aliter perficitur: id vero mihi ſemper cordi fuit, ut non tam in aſſumpta praeparatione, recta procederem, quam ut congruentem aſſumerem, quae quidem eligi non poterit, niſi prius qua, et quanta polleat ferrum virtute, compertum habeamus; alioquin, ſi quid boni contigerit, caſus, non ſcientiae fructus erit. Sed hic inextricabiles opinionum nodi occurrunt.

Innumerae ſunt ejus praeparationes.

Quidam virtutem eſſentialiter tum aperitivam, tum adſtrictivam in ferro admittunt: ſed aſſerunt alii, ferrum ſemper adſtringere, per accidens aperire; ſunt vero qui velint a propria natura vim aperitivam recipere. Nonnulli nihil emolumenti conferre, niſi in ſua ipſius reſolvatur principia; ſed nonnulli etiam in ſola ferri limatura medicamentum ſtatuunt. Alii effective agere, alii paſſive tantum ſe habere putant. Si quosdam audiamus, operatur per vim irradiativam, ſi alios, per contactum corporeum. Autumant aliqui per qualitates agere, alii autem, per ſpiritus ſecretos. Alii demum ingentem in hoc operam collocant, ut adventitiam a martis influxibus virtutem foenerentur, adeoque medicamenti eas praeparationi deſtinant horas, quae planetae quam maxime obnoxiae traduntur, quo vero jure, viderit recentioris Aſtronomiae peritus Lector. Sed ne faſtidium ſingula perſequendo ingeram, adeo crevit difficultatum numerus,

Maxima ſcriptorum diſcrepantia circa medicas ferri dotes.

rus, ut novis quotidie ſuborientibus, idem ſit extricandi labor, ac magis ſe involvendi periculum. Quapropter mihi videtur expeditius, nodos iſtos truncare, quam ſolutionem moliri: Ideo pluribus ex ejusmodi opinionibus ad ſcholarum diſtinctiones, ut concilientur, amandatis; pluribus utpote inutilibus, vel improbabilibus valere juſſis, memoria repetendum eſt, quod ſupra late firmatum fuit, ad ferri geneſim concurrere ſalem, ſulphur, et mercurium. Hoc jacto fundamento, ſicuti virtutem eidem metallo ineſſe, omnes fatentur, ita quonam jure virtus activa denegari poſſit, non video. Quaelibet ex partibus componentibus ſive ſalem, ſive ſulphur, ſive mercurium ſpectes, actionem habet a propria eſſentia, per nullam mixtionem delebili; multo igitur magis, quod iisdem partibus conſtat, vi pollebit activa. Nullum autem faceſſere poteſt negotium ferri compages adeo praevalida et dura, ut ſi deglutiatur, notante Ettmullero, ſicut ingeſtum fuit, rejiciatur; quia durities illa et partium compactio vim non excludit activam, ſed tantummodo cohibet, donec ſpiritus activitate pollentes, qui prius duro velut carcere detinebantur, erumpant, ſuamque vim explicare queant. Propterea quamvis ferrum in ſubtiliſſimam limaturam attenuetur, ſi ventriculum offendat debilem, ibi reſidens detrimento potius quam utilitati eſſe poteſt. Sed huic occurrunt periculo praeparationes illae, quae pertinacem particularum nexum deſtruunt, ſeu reſolvunt, ſpiritibusque clauſis undequaque ad agendum reſerant aditum. Ex his igitur conſtat, ferrum operari effective, et eo commodius, quo aptiori diſpoſitione fuerit adornatum; ita tamen ut paſſivum quoque agendi modum eidem concedere non dubitem: abſorbet nimirum ſales acidos, omnemque aciditatem, dum eandem imbibit, e ſanguine eliminat.

Vi activa pollere ferrum ſtatuitur.

Solvitur objectio.

Interdum tamen etiam paſſive ſe habet.

Aſſerta in ferro tum paſſiva, tum activa virtute, hanc praecipue duplicem agnoſcere nemo mecum recuſabit; alteram adſtrictivam in ſale partibusque terreſtribus; alteram aperitivam in ſulphure et mercurio partibusque volatilibus ſitam. Poſſet hujus veritatis probatio a congrua earumdem partium natura deſumi,

Virtus ferri activa duplex eſt.

mi,

mi, ſed evidentius ab effectibus colligitur, quos ſenſibus ipſis quotidiana ſubjicit experientia. Licet autem aperire, et adſtringere contraria ſint; in caſu tamen noſtro quaecumque in concreto contrarietas excluditur, quia utrumque quidem a ferro, ſed non ab eisdem profluit ferri partibus. Quapropter ut alterutram impetremus, ad illius genitrices partes confugiendum eſt, caeteris per idoneam praeparationem ſeparatis, et rejectis.

Duas haſce praecipuas virtutes plures aliae ſubſequuntur foederatae, et ſubalternae, quas inferius enumerabimus. Demum antequam a generalibus iſtis recedamus, ea cura in ferro praeparando maximi eſt momenti, ut quantum fieri poteſt, partium purificatio obtineatur: perfectior autem erit purificatio, quo plus eſſentiae, et minus materiae habebitur.

In qualibet praeparatione partium purificatio maximi eſt momenti.

Explicatae ferri virtutes multorum ſtudia excitaverunt, adeoque quamplurimi curarunt, ut eas medicae praxi accommodarent, et ſane nonnullis res feliciter ceſſit: adeo etenim acuerunt ingenium, et ſedulam adeo impenderunt operam, ut eximia ex eodem metallo ſibi compararint pharmaca, crocos nimirum, ſales, tincturas, magiſteria, eſſentias, et alia hujusmodi. Sed ſalva ſua cuique laude, in eorum plerisque ſubtilior ferri ſubſtantia ſua non ſatis gaudet puritate, minus enim exacte ab omni terreſtreitate aliisque faecibus, aut extraneis ſubſtantiis vindicatur; imo interdum ex praeparatione aliquid adventitii acceſſiſſe deprehenditur.

Nix Martis praeſtantiſſimum eſt medicamen.

Quapropter prae omnibus iſtis medicamentis, mihi longe magis probatur, utpote his vitiis immune, quod D. de Sancto Hilario propoſuit, Nivemque Martis vocat, id eſt, ferri eſſentiam volatilem ſiccam.

Facturum me itaque operae pretium arbitratus ſum, ſi publicae utilitati illud evulgarem, ut qui paratum expetunt, quo greſſus, qui vero parare malunt, quo conatus dirigendi ſciant. Quia vero in conficiendo medicamento ſuum adamuſſim ſequor inventorem, lubuit Gallicum hic apponere textum, ut palam fiat ejusdem veſtigiis me prorſus inhaerere. *

* On

* *On tire du Mars par diverſes voyes pluſieurs rares et excellens remedes, qui ſont d'un tres grand uſage, et dont on ſe ſert avec ſuccès contre beaucoup de maladies. Il approche plus qu' aucun autre metal de la nature de Venus; auſſi eſt-il facilement changé et converty en elle même. Cette proximitè eſt cauſe que Baſile Valentin nous le repreſente l' un et l' autre comme mâle et femelle.*

Mars cupro valde affinis eſt.

Ne itaque a propoſiti exemplaris methodo diſcedam, repetere cogor, quod jam ſuperius innui, maximam ſcilicet ferro cum cupro intercedere familiaritatem. Hinc motus Baſilius Valentinus, illud ut marem, hoc ut foeminam exhibuit: quod eleganter non minus quam recte expreſſum arbitror, quia et frequentiſſime in mineris coeunt, et arte facillime junguntur. Probare tamen nullatenus poſſum, ferrum, ut aſſeritur, haud aegre in cuprum transmutari. Eſt haec altioris indaginis quaeſtio, adeoque ſatis nunc erit ad veritatem enucleandam innuiſſe, omnia phoenomena, quae ferri in cuprum transmutationes paſſim a nonnullis dicuntur, aeris praecipitationes tantum eſſe.

Ferrum minime in cuprum mutatur.

In hanc rem memorari ſolent percelebres in Carpatiis montibus Hungarici fontes ubere vitriolo foeti, qui coniectas ferri maſſas non parva experientium admiratione in cuprum vertere perhibentur.

Nonnulla phoenomena explicantur, quae hujusmodi transmutationem evincere videntur.

Extat in exili meo muſeo inter conquiſita naturae arcana, vel monſtra, cupri fruſtulum, eruditum munus praelaudati D. Vallisnerii, quod loco ferri equini in ejusmodi aquas injecti eductum, ideo praedictae transmutationis opus creditum fuit. Verum ego, ut ſupra dicebam, praecipitationem lubens admitto, converſionem acriter rejicio. Latent enim in illarum aquarum vitriolo quamplurimae cupri particulae; latent quoque interdum aliquae in ipſo ferro, quamquam igne purgatum fuerit: quocirca ubi in praefatas aquas conjicitur ferrum, a vitriolico ſale juxta ſuam ſuperficiem indeſinenter labente corroditur. Verum abraſis ferri particulis, aliae melioris notae metalli, cupreae nempe deponuntur, quaeque ferro cruſtae in modum adhaerent,

Mo.Bot. Garden, 1903.

mox temporis tractu novis ſemper abſumptarum loco accedentibus particulis, iisque cum homogeneis, ſi quae forte anſea fuerant in ferro, corpuſculis ſociatis; cuprea tandem maſſa ferreae loco emergit. Ferrum attamen in cuprum nequaquam converſum fuiſſe, ſed cupro permutatum unusquisque facile intelliget.

Confirmatur ulterius noſtra ſententia. Meae ſententiae adſtipulantur plura experimenta, in primis vero familiaris chymicorum oculis obſervatio, quod ſi cupro acidorum vi in vitriolum redacto, et aqua communi ſoluto diluto que ferrum immergatur, acida illa, relicto cupro ſtatim ad imum vaſis decidente, ad ferrum accedunt. Vlterius auri vitriolum per aquam chryſulcam paratum, ſi argentum vivum affundatur, aurum dimittit; ſi vero argentum in aqua forti ſolvas, et cuprum immittas, argentum deprimitur, cupro in menſtruo relicto. Poſſem alia quam plurima exhibere, ſed brevitatis cauſa praetereo, et ad inſtitutum redeo.

Ferro ineſt ſulphur aureum. Ferro ineſt ſulphur quoddam aureum, ut a quibusdam nuncupatur, eo quia ad ejus perfectionem proximius accedat. Latet illud in imis penetralibus abditum, ſulphure alio foetido et immundo ita obvolutum, ut ideo quamplurium chymicorum oculos fugerit, qui utrumque confundentes, unicum duntaxat ſulphur, impurum et omnino terreſtre, ferro ineſſe crediderunt. Verum illud ubi congrua praeparatione ſuis reſtituatur viribus, adeo miros producit effectus, ut aurum ipſum aemuletur. In hoc igitur omnes intendendi ſunt nervi. Si enim, ut monet P. J. Faber, communia menſtrua adhibeantur, nunquam a partibus limoſis et corruptibilibus vindicabitur: Si vero ſolo igne tentetur, uſu venire facillime poteſt, ut in auras evaneſcat, et laboris univerſi praemium deperdatur.

Verum ne animo deſpondeas, amice lector. Fruſtra namque ferro pretioſum hunc medicinae theſaurum natura non indidit. Eruendi modum fortaſſe reperiemus. Hic eo unice tendit, ut pertinacem ferri texturam diſrumpendo, partesque terreſtres, omnemque aliam immundam et inutilem materiam

ſepa-

ſeparando, puriſſimam ferri eſſentiam, et praecipue aureum illud ſulphur ex faeculento velut carcere extractum aſſerat in libertatem, ſpiritusque actuoſos e foetido velut ſepulcro educat ad praeſtantiſſimarum functionum exercitium.

Ad ferri eſſentiam extrahendam neceſſarius eſt aquae cujusdam mineralis uſus.

Hoc autem aſſequi nequicquam tentabimus, niſi aquae mineralis ope, ejusdem cum ipſo ferro naturae; quae non violenter, ſed virtute amica, quidquid puriſſimae eſſentiae in eo nitet, expetitum nempe aureum ſulphur, ad ſe ſuaviter trahat, caeteris omnibus repulſis. *

* *Mais la maniere de faire cette praeparation a eſtè tenue ſecrette jusqu' à cette heure. Ce qu'il a d' eſſentiel eſt cachè ſous une sì grande quantitè de terre dont ſon corps abonde qu' il luy eſt comme impoſſible de produire ſon action, et de faire éclater ſa lumiere dans une priſon sì obſcure: de ſorte que ſon ame eſt dans ce corps groſſier comme dans ſon tombeau, et n'en peut eſtre aisément degagèe que par le moyen d' une eau mineral qui eſt de ſon genre la quelle a la vertu d'ouvrir, et de reſoudre le corps du Mars, d' attirer à ſoy ce qu' il y a de pur et d'en ſeparer toute la terre inutile. Au lieu que les autres choſes dont on ſe ſert pour cet effet, ſe chargent de tout indifferemment, et tirent le plus ſouvent leurs teintures de ce qu' il à plus groſſier.*

Vulgaria menſtrua ſubjecta, quae diſſolvunt, interdum inficiunt.

Hoc pacto, juxta citati Fabri explicationem, reſolvitur ferrum in ſua principia per ſua ipſius principia: quia ferri fermentum ferrum eſt: reliqua menſtrua communia, praeter debilitatem in emundando, de qua ſupra monuimus, tot ſalibus incongruis ſubjectum inficiunt et alterant, ut ſaepius hinc effectus gignantur non ſui, imo etiam plane contrarii. *

* *Mais cette eau n'attirant à ſoy, et ne retenant que ce qu' elle trouve de plus pur dans ce metal, en quoy conſiſte ſon ſoufre eſſentiel, et ſon Eſſence dorée, rejette, et ſepare en même tems ce qu' il a de groſſier, et de terreſtre.*

AEnigma Chymicum.

Cum igitur eam mineralis aquae ferro congeneris naturam inquirerem, quae non modo ſolvendo ferro par eſſet, verum et quidquid terrei impurique in ipſo latet, ſegregare, et ad ſum-

mum detrudere valeret; animadverti chymicum mihi proponi aenigma, ac proinde aliud ſignificari, quam verba prae ſe ferre videantur: plerumque etenim, quae inveniuntur acutius, obſcurius dicuntur, quam ut quivis ea poſſit percipere. Primum itaque rejeci trita quotquot a ſpagiricis adhiberi ſolent menſtrua, quanquam ſpirituum titulo deſignentur, utpote neceſſariis viribus deſtituta. Valere ideo juſſi notiſſimos nitri et vitrioli ſpiritus, ſulphuris oleum, plumbi, et zinchi aquam, et alia quaeque hiſce ſimilia. Mox, cum exploratum haberem menſtrui materiam ejusmodi eſſe debere, ut metallis facillime jungatur, et minime vulgari polleat vi, cogitanti et meditanti demum occurrit admirandum illud magnalium naturae promptuarium ANTIMONIUM. Exultavit illico animus, ac rem ita tenere mihi viſus ſum, ac ſi manu tractaſſem. Ferro etenim congenerem eſſe Antimonii indolem hinc conjiciebam, quod Chymicorum peritiſſimi ab eodem antimonio metallorum omnium materiem deſumi tradiderint. Aptiſſimum autem ad metalla diſſolvenda illud idem eſſe, certo certius compertum habebam: ubi namque in fluorem redactum fuerit, ſingula, praeter aurum, metalla non modo ſolvit, verum abſumit et vorat, ut ideo metallorum lupus appellari ſoleat.

Solvitur difficultas, et aperitur aenigma.

Illud demum praeconceptam opinionem validius firmabat, quod terreſtres et craſſiores ferri partes in memoratis ſalinis liquoribus neceſſario ſubſidentes in hoc uno tantum, ob majorem ejus ſpecificam gravitatem, ad ſummum evehi poſſint. Nec ullam injecit dubitationem, quod aquae loco, ſiccum admodum et firmum corpus adhiberem: quis enim non videt, ſubtiliſſimos quosque chymicos alia a vulgaribus uſurpaſſe vocabula, tum ut rudes ſua caelarent inventa, tum ut acrioribus philoſophandi anſam ſuppeditaren: Horum etenim libri volunt quidem eruditionem, non tamen inquirentibus adeo facilem, ſed ſymbolicis quibusdam figuris ac allegoriis obvolutam, ac propterea acri meditatione eruendam; ne ſcientia ipſa nimis expoſita vileſcat, et ut non niſi ſublimium ingeniorum praemium fiat.

Quoquo

Quoquo tamen modo ſe res habeat, inuſitatum ſane non eſt, aquae nomine nonnulla indigitari mineralia: cujus quidem rei quamplura in medium exempla proferre tam facile foret, quam quod facillimum. Vnum prae caeteris memorabo Magiſtri Valentini ex Theat. vol. 4. *Materia vero*, inquit, *principalis omnium metallorum in ſuis mineris, de qua ipſa generantur, id eſt cauſantur, eſt aqua ſicca, quam aquam vivam, ſeu argentum vivum appellamus, et ſpiritus foetens, quem aliter ſulphur nominamus.*

En tibi, benevole Lector, propoſiti aenigmatis, aut problematis ſolutionem. Illud interim te monitum volo, plurimum ad operis perfectionem conducere menſtrui, nimirum antimonii praeſtantiam. Mihi porro diuturnus uſus nullum notavit praeſtantius illo, quod memoratum offendi a Joanne Paterſon Hain de Min. quibusd. Hungariae. Ephem. Germ. Dec. pr. Ann. 2. ubi de Minera Hungarica ſagaci naturae magiſterio elaborata, cujus iconismus exhibetur a D. Jo. Paulo Wurffbain de Minera elegantiſſime cryſtallizata in ſecunda Decur. Ephemer. Germ. Ann. 2. quemque inde deſumptum hic tibi ſpectandum appoſui. Totum quantum eſt hujusce indolis Antimonium, puriſſimam, et fere inſtantaneam eſſe antimonialis vaporis coagulationem et cryſtallizationem minime dubitaverim. Hinc nullo terrae conſortio inficitur, ſed in ſalis, plumbei quidem ſed nitidiſſimi coloris, ſpeciem inſpiciendum ſe praebet. Haec tamen haud perinde dicta velim, quaſi inutile prorſus, et abjiciendum ſit commune officinarum antimonium. Verum peritus artifex experiendo intelliget, plurimum intereſſe, hoc an illud in uſum vocet; tum ſane quia commune antimonium, coctum cum fuerit, multam ſubtiliorum partium ad ferrum ſolvendum aptiſſimarum jacturam paſſum jam eſt, tum quod plurium impuritatum admixtione laborat. Hujus ope, peracta diſſolutione, puriſſimam ferri eſſentiam, atque ejus, ut ita dicam, animam ſui juris jam effectam, et ab omni contagione defoecatam haud aegre obtinebimus. *

Puriſſimum exhibetur Antimonii genus.

Communis officinarum Antimonii labes.

 * Après

* *Après quoy il ſe ſublime à petit feu, et avec une facilitè incroyable en une eſſence ſpirituelle ſous la forme d' une neige eclatante comme l' argent le plus fin.*

Tenuiſſimo ſcilicet igne in candidiſſimam ſublimatur nivem adeo ſplendidam, ut exquiſitiſſimi argenti nitori nil concedere videatur. Haec eſt coeli munus, unde ſublimes illae naturae promanant excrementitiis hiſce corticibus incluſae, ac veluti teſtaceis vaſis cuſtodiuntur. Neque aliter mare iſtud infimae ſphaerae tranare, et in hoc ſublunari centro hoſpitari poſſent, niſi elementis his alligatae, eorum ſiſterentur pondere. Illae per iſta ſentiuntur; iſta per illas agunt, eaque operarum mutua communicatione habemus ſuperiorum inferiorumque commercium. Age jam ipſam praeparationis praxim methodice tradamus. Ferri quantum ſatis judicabitur in minima fruſtula conciſum, ſeu in craſſam ſcobem redactum, igne acriter calefiat; calefactum ubi fuerit, duplum aut triplum optimi Hungarici antimonii craſſiuſcule triti pondus immitatur. Ego ad minimum tres antimonii partes exigo, alias perfecta ferri deſiderabitur diſſolutio, cui mirum in modum confert praevia illa conciſio, et calefactio. *

Nivis martis praeparatio practica.

* *Pour cela vous prendrez une partie de Mars, que vous ferez reduire en petits morceaux ou en groſſe limaille; et apres l' avoir premierement bien fait chauffer, vous luy ferez un bain de deux ou trois parties de ſon eau mineral. Vous le tiendrez ſur le feu, jusqu' à ce que par la chaleur et la vertù de ce bain ſon corps ſoit conſumè et reſout en eau. Verſez adroitement dans un autre vaſe ce qu' il y a de plus clair, en ſeparant toute la terre que vous verrez nager ſur la ſuperficie de cette eau.*

Hinc enim mitius, tractabilius, ac magis pervium redditur metallum, quod hujusmodi Balneo immerſum igni imponetur; quia nempe extrinſecus calor menſtrui actionem excitat ad ſolutionem, et ferrum ſubigit, ut quaſi patefactis viſceribus minus aegre eam ſubeat. Idem ignis auxilium efficit, ut aurum, et argentum celeriori voracitate, licet diverſimode a propriis aquis ſolven-

Ignis extrinſeci opus in

ſolventibus abſorbeantur. Ita pariter argentum vivum ſalis ſpiritui non cedit niſi calefacto. *metallorum diſſolution*

Ignis eo usque intendatur, donec totum ferri corpus diſſolutum ac reſolutum antimonio intimius admixtum ſit. Tunc ſubtilioris ſubſtantiae a craſſiori materia, et principiorum activorum a paſſivis ad ſenſum patefiet ſegregatio.

Quod enim puri in ferro erat in regulum pellucidum abiiſſe, ſuamque puritatem antimonio communicaſſe videbitur; faeces e contra partesque terreſtres circa ſuperficiem innatabunt. Purior fluentis adhuc metalli pars in aliud vas effundatur, limo rejecto. Caute agendum: attamen potius dexteritatis, quam perſpicaciae negotium eſt. Iterum igni exponatur, ut repetita defaecationne, ſi forte quid impuri, inutilis, et excrementitii reſiduum eſt, evomatur, eodem, quo ſupra, modo abjiciendum. *

* *Mettez ce vaſe ſur le feu, afin que le Mars ſoit derechef lavé et nettoyé dans ce bain qui le contient; et l' y remettez ainſi, et faites bouillir tant de fois, qu' il ait quitté toute ſa lepre, et qu' il vous paroiſſe auſſi clair, et reſplendiſſant que l' eau même.*

Toties demum tradita operatio eſt reiteranda, donec ferri anima, ſeu ſulphur eſſentiale ab omni penitus lepra mundetur, et pellucidum purumque ſe praebeat, perinde ac ipſa aqua, cui tenaciſſima unione adhaeſit. *

* *Vous avez alors dans la matiere luiſante qui vous reſte, l' ame et le ſoufre eſſentiel du Mars ſeparez de ſon corps terreſtre qui les enuelopoit, et unis inſeparablement avec l' eau du bain la quelle eſt convertie avec eux en un eſtre plus ſpirituel que corporel, qui ſe reſout au chaud et ſe congele au froid.*

Nec ſane minorem hinc nanciſcitur perfectionem ipſum ferrum, quam antimonium, cum illud a foetido conſortio vindicetur, hoc ad ſublimiorem conditionem, et, quaſi dixerim, naturam, evehatur. Operis interim ab intrinſeco praecipuus artifex extitit calor innatus in eodem eſſentiali ſulphure reſidens, qui ſtatim *Praecipuus operis artifex eſt innatus calor.*

ſtatim ac ſui carceris clauſtra ab extraneo calore, et aqua ſolvente ſentit disjecta, vividus exurgit, ſpiritus homogeneos undique ciet, ſecumque in ſocietatem vocat, unde vires mirum in modum augentur.

Cocunt igitur illi impigre naturali urgente impulſu, quo homogenea unionem inter ſe appetunt ad faciliorem heterogeneorum expulſionem; indeque robuſtiores effecti, quidquid averſantur, exturbant, et victoria geſtientes ſe ſe mutuis fovent amplexibus/ Hinc quae ex eis coaleſcit ſubſtantia propemodum coeleſtis, et ad agendum aptiſſima: cum etenim nullo praepediatur vinculo, inhiberi amplius nequit, quin nativas explicet vires; cumque ſumma puritate gaudeat, contrariorum, ſi quae forte occurrunt, energiae validius obſiſtit. *

* *Or mettez cette matiere ainſi purifiée dans une ſorte cucurbite, qui ait le fond large et plat; ajuſtez y une châpe ſans bec, qui entre dedans, et une autre plus grande par deſſus dans le quel la cucurbite entre elle-même.*

Noſtra nivis extractio.

Poſt haec, univerſum illud aggregatum ex ferri ſubſtantia et aqua immittatur in cucurbitam ſublimatoriam ſatis robuſtam, cujus baſis plana ſit et lata. Ejus ori tegmen, quod Pileus metaphorice dici ſolet, ſine roſtro tamen inſeratur, alio eidem ſuperpoſito, quod et cucurbitam ipſam extrinſecus ambiat. *

* *Lutez les jointures en ſorte que rien ne reſpire; et l' ayant mis ſur un petit feu de charbons vous verrez en moins d' un quart d' heure, preſque toute l' eſpace depuis le fond de la cucurbite juſqu' au premier alembic rempli d' une neige tres claire et diſtinguée par petits filets blancs et luiſans comme l' argent le plus fin, qui ſemblent un embarras de piques et de lances entremé lées qui nous repreſente fort bien la nature du Mars don ils procedent.*

Tum juncturis omnibus luto diligenter obſtructis, ut quodlibet aeris vaporisque intercludatur commercium, tenuis ſupponatur ignis carbonibus nutritus. Quarta nondum horae pars effluxerit, cum materiam illam intus clauſam, in candidiſſimam

mam Nivem tenuibus intertextam filamentis, ſe ſe ſurſum conglomeraſſe, totumque vas a fundo usque ad interius tegumentum repleviſſe advertes. *

** Vous leverez cette neige, et remettrez le vaiſſeau au même eſtat qu' il eſtoit, luy donnant un ſemblable feu, et par ce moyen il ſe fera de nouvelle neige, que vous recueillerez; et vous continuerez de la ſorte jusqu' a ce que toute la matiere ſe ſoit élevée en neige; et vous aurez alors un tres-excellent remede, tres-beau à voir, et tres-agreable à prendre, et qui a des vertus, et des proprietez merveilleuſes contre une infinitè de maladies.*

Ea extracta et ſepoſita, rurſus iterumque opus inſtituatur, donec omnis materia in ejusmodi nivis vellera abierit.

Ita demum praeſtantiſſimum et plurimorum votis expetitum habebitur medicamentum. Hoc ſolum admonuiſſe liceat, ne cucurbita diſtillatoria nimis oblonga ſit, ſed potius humilis. Alia nonnulla, quae, intento operi conſequendo proderunt, artifices ex ipſa diſcent praxi, quemadmodum et mihi contigit: quapropter ea libenter praetereo, ne forte eorum peritiae injuriam intuliſſe videar.

Jam vero ut impenſi laboris ac ſtudii praemio magis delectemur, in hoc naturae artisque partu contemplando paulum immoremur; ejusque pretium ex propriis ipſius dotibus, et virtutibus demetiamur. Sed ante omnia in elegantem philoſophicae iſtius nivis figuram oculorum et mentis aciem intendere, non abs re fuerit. Haec ſiquidem ſuae originis non levia prodit indicia, et menti naturae arcana rimanti lucem praeferet haud contemnendam. Gallico Auctori ſua nix viſa eſt conſtare ex oblongis corpuſculis, gladiorum et lancearum adinſtar ſe ſe mutuo interſecantium. Ego vero poſt pluries repetitam tum mei ipſius, tum peritorum amicorum ocularem, ope Microſcopii, diligentem inſpectionem, praeter memorata corpuſcula gladios et lanceas aliqualiter referentia, plura etiam aliter varieque figurata deprehendi. Quapropter propria adhibiturus

Nivis figura examinatur.

vocabula aſſero, ex eisdem alia eſſe pyramides quadrilateras; alia octaedra; alia prismata, ſeu parallelepipeda regularia oblonga; alia prismata cum vertice pyramidali; alia cum vertice conico; alia denique trapezoides.

Haec autem indiſcriminatim ita junguntur, ut quaedam ſe ſe transverſim decuſſent, quaedam in directum protendantur, quaedam aliis ceu baſibus tantum inſiſtant; quaedam minora majoribus videantur adnata. Sed ut omnia ſenſui pateant, iconismum adjungere placuit, in quo hujusmodi figurarum obſervata varietas ordinatim exhibetur.

1 Pyramis.
2 Octaedrum.
3 Prismata oblonga ſe ſe varie decuſſantia.
4 Prismata, quorum vertex in conum degenerat.
5 Prismata rectangula aequalia, quorum alteri adnata eſt pyramis.
6 Prismata rectangula, quibus adnaſcuntur pyramides, et figura rhomboidalis.
7 Prisma, cui ſemirhomboidale corpus adnatum eſt, et figura irregularis.
8 Priſma diſſectum pyramidem referens.
9 Prisma rectum, ſeu parallelepipedum.
10 Parallelepipedum cum variis pyramidibus adnatis.
11 Varia corporum octaedr. pyramid. fragmenta.
12 Parallelepipedum, cui pyramis, et varia ſpicula ſunt adnata.

Mira naturae conſtan.

Appoſita ſchemata miram profecto naturae conſtantiam oſtendunt: quamvis etenim acri admodum igne, conſueto non modo mixtorum, verum et ſeminum ipſorum, ut audiebat Helmontio, deſtructore, ſollicitata fuerit, ut ferri antimoniique partium figuras perderet; diutinam tamen ejus actionem aut vicit, aut eluſit, et eas minime infractas, ſed pellucidiores redditas Philoſophorum oculis et meditationi expoſuit. Nec ſolum ab ignea vi natura immunes ſervavit easdem partium figuras,

ras, ſed inter ſe ſe diſtinctas; quia nimirum ob diverſam planorum, quibus ſingulae continentur, inclinationem minime congruentes, quamlibet reſpuunt unionem. Idem, et reliquis metallis accidere norunt Docimaſtes. Licet enim aurum, argentum, aes, et plumbum ſimul mixta in fluorem redigantur, ut ideo unius tantum fluidi formam exhibeant, et quantum libuerit in crucibulo fuſa detineantur, nunquam tamen fieri poterit, ut validiſſima ignis actio intimiorem eorum compagem penetret, et partes conſtanti unione confundat. Facili ſiquidem negotio ſingulae a reliquis ſeparantur, ut ideo nequaquam indolem mutaſſe conſtet. Phoenomeni ſane hujusce cauſam recentioris philoſophiae cultores plerique figurarum diverſitati adſcribent, quibus extra dubitationis aleam ſancitum eſſe videtur, non alio naturam inſtrumento uti, quam locali motu, qui pro variis corporum aut corpuſculorum figuris admirandam hanc, et multiplicem effectuum varietatem, non modo in hac noſtra ſublunari, verum et in ſuperioribus regionibus inducit. Nullum autem ſcrupulum injecturas reor puriores et defaecatiores antimonii partes: ut enim plurima, quae in hanc rem dici poſſent, brevitatis cauſa praeteream, neminem eorum, qui Medicae praxi operam navant repertum iri confido, cui antimonialium medicamentorum praeſtantia creberrimo experimento non innotuerit.

Cur plura metalla ſimul fuſa ad invicem facile ſeparentur.

Quoad reliquas proprietates, candidiſſimus eſt color, nec candor tamen eſt obtuſus, ſed alicubi cryſtallinus, ubique lucidus, ac ſemper vividus, perſtringens oculos, adeo ut puriſſimum non modo aemuletur, verum et fere ſuperet argentum.

Noſtrae nivis proprietates perpenduntur.

Odoris et ſaporis penitus expers eſt, ſummopere vero levis et rara, nec tactui aſpera, immo mollis, et friabilis, ut ideo evaneſcere quodammodo videatur: unde merito NIVIS nomen conſecuta eſt. Quae cuncta cum a ſale terreſtri craſſiori ſenſui obnoxio valde abhorreant, hinc quoque noſtram eſſentiam conjicere licet a corpore craſſiori exemptam, et terrenae ſenſibilitatis expertem, niſi quantum ſufficiat, ut ad hominum

uſum inter homines detineatur, alias ad ſublimiorem ſphaeram evolatura.

Inter praecipuas ejus dotes eſt volatilitas.

Hoc me excitavit, ut rem experimento comprobarem, quod e voto ſucceſſit; adeoque et hanc ipſius deprehendi proprietatem, ut nimirum, ſi carboni ſuperponatur ignito, paulatim omnis evolet, quia per eum calorem, tenui, quo adhuc coercebatur, vinculo expedita, nulliusque vaſis denſitate concluſa, ad locum ſuae originis velociter redit, terram, ubi impuritatem contraxerat, ut ita dicam, dedignata.

Incorruptibilis eſt noſtra nix.

Ex eodem denique principio profluit altera praecipua noſtrae Nivis dos, nempe incorruptibilitas. Cum enim ferrum in ſua principia reſolutum ſit, principiorum autem nulla ſit generatio aut corruptio; ideo eſſentiam iſtam ex hujusmodi principiis reſolutis, et purificatis conſtantem, corruptionis immunem fateri debemus.

Medicae vires proponuntur.

Plura hucusque dicta ſunt, majora tamen de Medicis viribus dicenda ſuperſunt, quas ego ex praenotato Auctore indicabo, uſus probabit. *

* *Il mondifie les organes du corps.*

Primum viſcida diſſolvit.

Primo igitur corporis organa emundare dicendum eſt, quia nimirum a vaſorum etiam minimorum extremitatibus lentam tenacemque materiam, et a glandulis quibuscumque mucoſum farcimen ſtrenue avellit: Hinc polypoſis ſubſtantiis, et vaſorum pneumaticorum; aliorumqae ſtagnationibus curandis valde prodeſt. Hinc in motu circulari debili a cauſa inorganica, ſive ab aucta fluidorum viſciditate dependente, efficaciſſimum eſt medicamentum. Hinc febres chronicas, cachexiam, hydropem incipientem, morbos virginum, conſtanti vigore expellit: imo et adverſus velociores morbos feliciter pugnat, dummodo ex ſanguinis pendeant craſſitie. Cum enim ille conſuetae circulationi tunc impar ſit, ideo vehementiori indiget fermento, quo languens excitetur motus, et ſegnis urgeatur fermentatio, *

Adeoque adverſus chronicos morbos plurimum valet.

* *Pu-*

* *Purifie et renouvelle le ſang.*

Secundo naturalem puritatem ſanguini ſervat, quae ſi forte amiſſa fuerit, reſtituitur. Hoc autem praeſtat, vel morboſam aciditatem, ne illuc irrepat, repellendo; vel ſi irrepſerit, ſanguinis particulas, quae ex eadem lenteſcebant, diſſolvendo. Quam porro hujusmodi aciditas pernicioſa ſit, morborum conſequentium caterva teſtatur. Inde etenim ſpiritibus animalibus liberiori et expanſivo motu interdictis, tota corporis oeconomia tum fluidarum, tum ſolidarum partium pervertitur. Inde quoque ructus acidi et nidore infecti; fames canina; morſus ventriculi; paſſiones iliacae et colicae; pallores ob inertiam bilis; aliaeque pravae primarum viarum affectiones germinant. Sed hanc morborum ſobolem pharmaci noſtri virtus vere Martis adinſtar proſternit, et diſſipat. Ipſa acidam illam peſtam profligat; primae digeſtionis officinas et fermenta vitali reficit vigore; ſanguinis motum, reſtituta ſubtilitate, ſollicitat; quidqu d impuritatis intra viſcera congeſtum fuerit, non tumultuarie ſed pene inſenſibiliter per commodiores meatus attenuatum excludit; et ſua ipſius, ſi fas eſt dicere, aſtrali irradiatione ſpiritus omnes exhilarat. Quia denique morbos vel fugat, vel arcet; ideo ejus opera ſemper utilis eſt, et iis potiſſimum locis, ubi ab aëris inaequalitate, et ciborum incongruentia valde timendum eſt: ex his namque boni ſanguinis inopia, et inde damnata procedit aciditas et lenteſcentia. * *Debitam ſanguini craſim reſtituit.*

* *Empêche qu' il ne ſe faſſe aucune putrefaction dans les entrailles.*

Tertio prohibet putredinem, quod ex ſuperioribus patet: morboſo quippe acido enervato, ac ſtagnante humore diſſoluto, noxiae fermentationi aditus praecluditur. Si vero haec abſit, omnem quoque impuritatem ac lentorem abeſſe neceſſe eſt, et conſequenter omnem a putredine timorem, utpote quae in viſcido tantum et impuro nidulatur. *Putredinem prohibet.*

Aliud praeterea hujus virtutis argumentum deſumitur ex pura et incorruptibili noſtrae nivis ſubſtantia: non modo et-

enim cum rebus impuris, et corruptibilibus nullam habet affinitatem; verum cum corruptioni maxime adverſetur, peculiari propriae virtutis motione res quascumque ſibi conjunctas a reſolutione, quae eſt corruptionis terminus, quantum per naturae leges licet, praeſervat. Hoc ſibi nullo negotio perſvaſerit quicumque fuerit expertus, aquam coenoſam affuſo ſpiritu ſalis, aut alio quolibet ſale minerali in fluorem prius redacto ab ulteriori corruptione vindicari. Efficaciſſima eſt enim mineralium virtus, adeoque a vi deſtructiva difficillime ſuperabilis. *

* *Guerit les obſtructions des membres principaux.*

Obſtructa reſerat. Quarto obſtructionibus medetur praecipuorum viſcerum. Quod intelligendum puto de hepate, ſplene, renibus, et organis quibuscumque, quibus perfecta ſanguinis cribratio abſolvitur: ſua nimirum ſubtilitate ad intimiora penetrat ſubſtantia iſta noſtris ſpiritibus valde amica et homogenea, ibique poſt coagulationis cauſam eductam, depuratis ſuccis, ubique naturalem puritatem, et harmoniam reſtituit, et firmat. Plura per attenuationem operari, ſatis ſuperius dictum eſt, hoc ſolum addo, tum attenuationis efficacia a mercurialibus medicaminibus, tum etiam attenuandi modo differre. Vtraque quidem medicamenta inimicam in materiam impetum faciunt, ſed Mercurius tumultuarie adeo tantoque molimine, ut interdum non minus periculi a medicina impendeat, quam a morbo. Mitiores e contra adeoque tutiores ſunt noſtrae nivis conatus, ut ideo remediis aeque innocuis ac ſtrenuis ſit annumeranda. Id tamen hic loci innuendum arbitror, me non tantas unico huic medicamento vires adſcribere, ut eas Mercurialibus in oppugnando profligandoque Gallico fermento pares eſſe contendam. Mercurius etenim, ut omnes norunt, ad debellandam illam humani generis luem a natura videtur deſtinatus. Quod ſi tum veterum, cum recentiorum nonnulli, qui ferrum eſſe ajunt corpus mere paſſivum ac veluti mortuum, nihilominus tamen veram fatentur eſſe viſcerum medicinam; quid

de

de hujusmodi ferri eſſentia dicendum? cum eam vivida activitate praeditam, et quodammodo ipſius metalli animam eſſe nemo inficiari poſſit. *

** Ouvre leurs conduits.*

Quinto aperit meatus. Explicitis jam viribus haec quoque cohaeret. Ab hac autem innoteſcit, vaſa lactea, chylifera, lymphatica, caeteraque capillaria, tam perfectiva, quam excretoria, et quantumcumque a centro motus diſſita, expurgari, reſerari, ac demum in eo ſtatu, in quo vitalium functionum miniſterio commode ſufficiant firmari. Vtilem itaque operam praeſtat in paralyſi, caeteriſque membrorum reſolutionibus, quas ſtagnans humor effecit; dummodo tamen de partibus jam emortuis, ſive irreſolubilibus non agatur, in quibus nimirum ob jamdiu interdictum ſpiritibus animalibus tranſitum, iisdem prorſus imperviae, penitusque flaccidae redactae ſunt tum nerveae, tum carneae fibrae; quemadmodum in ſphacelis, in tumoribus internis ſcirrhoſis, gypſeis, temporis diuturnitate jam confirmatis; in ſarcomatibus, aliisque hujusmodi pluribus accidere ſolet. In his enim fruſtra imploratur nedum noſtrae NIVIS, ſed totius, quantacumque eſt, Artis Medicae auxilium. * *Meatus aperit.*

** Adoucit leurs humeurs.*

Sexto humores edulcorat. Peculiaris eſt hujus medicamenti natura, ut propter aurei ſulphuris puriſſimam ſubſtantiam, alcalicarumque particularum mercurialium ſummam ſubtilitatem, acidis prius debellatis et ejectis, humores dulci temperie foveat, ſpiritibusque animalibus propriam impertiatur vivacitatem. Hoc vigore vitalis univerſi corporis machina excitata, alacriter morbos ex humorum inertia ſpirituumque languore ingruentes repellit; podagrae nimirum, chiragraeque paſſiones, arthritides vagas, ulcera erodentia, herpetes, convulſiones, et hujusce indolis affectiones, quas enumerare longum eſſet. Illud unum non praetermittam, in ea ſanguinis labe corrigenda, *Humores edulcorat.*

qua

qua cum hypochondriaca, tum hyſterica paſſio progignuntur, ſi praeſertim in ſalina conſiſtat acredine, nulli pharmaco magis quam noſtro eſſe fidendum. *

* *Et appaiſe toutes leurs inflammations.*

Inflammationes ſedat.

Septimo inflammationes ſedat, imo potius reſolvit. Sed ne forte ex generalitate nominis oriatur aequivocatio, et inde error in praxi; cum diſtinctione procedendum eſt. Inflammationum enim aliae ad immediatam organorum laeſionem referuntur, ut in preſſura, diſtractione, tortura, ruptura, contuſione, uſtione, eroſione, ac vaſorum ſanguiferorum criſpatura contingit. Ad harum curationem noſtrum pharmacum nihil conferre poteſt, ac proinde alio confugiendum. Ipſius ergo uſus proficuus ſolummodo iis inflammationibus erit, quae ex lenteſcentis cruoris in minimis arteriolis ſtagnatione originem ducunt. Celeriter tamen obſtandum eſt, antequam vaſorum potiſſimum reticularium ora per nimiam diſtractionem rumpantur, et lymphatica vaſa ſimul divellantur: tunc enim exitium imminet pene irreparabile. Sub initium igitur cum primum congeſtionis, ubicumque illa ſit, prodeunt ſigna, ſtatim pretioſam hanc medicinam arripito, adhibita etiam, quotieſcumque res indicaverit, praecipue vero in velocioribus morbis, ſanguinis miſſione. Hac ratione, deſtructa ſpecifici fermenti acredine, eryſipelata, pleuritides, peripneumonias, ejusque affines morbos feliciter videbis diſſolutos pariter et reſolutos. Quodque plurimi faciendum eſt, cautius ita procedes, quam ſi per alcalia animalium volatilia curationem aggrediaris. *

* *Il rectifie les ferments de nos digeſtions.*

Ventriculi fermentum roborat.

Octavo digeſtionum fermentum rectificat. Vix explicari poteſt, quantum detrimenti digeſtio ex abundanti viſciditate patiatur. Adhaeret haec interiori ventriculi ſuperficiei, ibique accreſcens obducitur et induratur eo usque, ut ſpiritali fermento expeditus praecludatur iogreſſus. Parcius itaque et lentius ex glandulis fere obſtructis illud promanare cogitur, adeoque cum irrorando cibo non ſufficiat, nequit iſte ad naturale

rale corporis nutrimentum praeparari et diſponi; ſed potius in morboſam colluviem degenerat, et praecipue in acidam materiam, ex qua in primis viis haerente, melancholico humori indeficiens ſuppeditatur alimentum. Sed ut ſaepius memoratum eſt, laudati medicamenti virtus conſtantes adeo adverſus hujusmodi viſcoſitatem, et aciditatem exercet inimicitias, ut numquam quieſcat,niſi eisdem penitus profligatis. Hinc etiam patet, cur ex omnium ſententia optimum melancholiae digeſtivum habeatur ferrum; quia nimirum acidum,quod melancholiae materia ponitur, vel active deſtruit, vel paſſive abſorbet. Ejusmodi opem prae reliquis experiuntur, ſtomacho parum valent ob ſpiralium fibrarum inertiam, non ſine magno ſalutis detrimento: languente etenim mechanici motus inſtrumento, fit, ut ciborum materia parum immutata, ſed potius impermixta et male trita, ſpiritus vitales minime reficiat, imo potius opprimat. His ergo opportuna auxiliatrix medicamenti virtus advenit, quae liquores ad optimam fermentationem diſponit, inſtrumenta conterentia roborat, ac vaſa coercet. Praeterea cum tam bilioſum, quam pancreaticum ſuccum naturali conſtitutioni reſtituat; chylificationem egregie promovet: e contra vero icterum nigrum tollit; haemorrhoides caecas dolentes; ut et menſtrua nigra, pelliculoſa, inordinata, doloribus, aliisque ſymptomatibus ſtipata; ructus acidos; ſtomachi, et inteſtinorum dolores; diarrhoeam crudam, alioſque ex hujusmodi radice pullulantes morbos ſtrenue evellit. *

* *Et corrige l'acrimonie des ſucs, que la Nature diſperſe dans les venes pour l'entretien du corps.*

Nono ſuccorum acredinem per vaſa diffuſam corrigit.

Multiplex eſt acrimonia, ideo ne fallamur, tum acidam, tum auſteram perdomat, accedente tamen congrua victus ratione; tum denique muriaticam, ſi largiori aquae potui copuletur: attenuando quippe ſpiſſum, ac ſales infringendo, lympham, ſanguinem, laticemque nervoſum, et caetera quaeque acrimoniae veneno infecta edulcorat, et ad debitam craſim redigit. *Succorum acredinem corrigit.*

git. Hinc conſequens eſt, ut morbi ex vitioſa illa cauſa orti, quales ſunt lepra, pſora, ſcabies, aliique plurimi inſenſibiliter curentur. *

* *Il éteint les fievres tant intermittentes que continues, même celles qui ſont accompagnées de malignitè.*

Febres extinguit. Decimo febres extinguit, tum intermittentes, tum malignas. Quemadmodum etenim id, quod morbi cauſa exiſtit, vix unius aliquando drachmae pondus excedit, ita medicaminis actione effici poteſt, ut imperceptibiliter reſolvatur, et per inſenſibilem tranſpirationem amandetur. Hoc igitur eximium pharmacum omnibus prodeſt febribus, quae comitem habent horrorem, quaeque ſuam originem fluidorum lenteſcentiae referunt acceptam.

Difficile quidem prima fronte captu videtur, quomodo ex lentiori liquido celerior ſanguinis circulatio, celeriorque organorum circulationi deſervientium motus excitetur. Sed quaelibet de hujusmodi veritate haeſitatio evaneſcet, ſi admittatur, quod negari non poteſt, creſcente vi fermentativa, motum eundem accelerari; vim vero fermentativam creſcere, ſi liquor debito fluiditatis gradu, et debito locali motu privetur, ac propterea in ductuum extremitatibus ſtagnare cogatur: hinc noſtrae medicinae virtus propria ſubtilitate, et corpuſculorum figuratione adjuta ad morbi ſedem pervadit; ibique viscoſum lentorem ſolvit, attenuat, et coagulantem ſubigit aciditatem, quam utique induxit vel ciborum incongrua qualitas et copia; vel eorum, quae excerni ſolebant, retentio; vel nimius corporis motus; vel alia quaecumque cauſa extrinſeca. *

* *Et comme ce qui fait ordinairement la cauſe de nos maux, ne peſe pas dans nous une dragme. auſſi l'action la plus naturelle de ce remede eſt de le diſſoudre imperceptiblement, et de le faire tranſpirer par les pores ſans aucune èvacuation qui ſoit ſenſible.*

His

His peractis, materiam illam vitioſam, jam domitam, jam mobilem per inſenſibilem transſpirationem expellit;adeoque ſanguinis impetum ſedat,circulatione naturalem ad legem revocata.*

* *Quelque fois nêanmoins ſon actionſe regle et ſe proportionne au beſoin de la nature.*

Ea ratione fit, ut curentur nedum febres recentes, ſed etiam chronicae, quae ex vaſorum praecluſione dependent, praecipue vero febres albae virginum, verminoſae puerorum, quaeque ex variolis inſurgunt, ac plures aliae. *

* *Et chaſſe per les ſueurs, les urines, et par quelques ſelles, ce qui fait la matiere, et l' occaſion de nos maux.*

Licet autem dictum ſit, morbi cauſam a noſtra Nive per inſenſibilem tranſpirationem expelli, hoc tamen haud ſtricte ita intelligendum eſſe velim, quin etiam interdum per urinam res perficiatur, interdum per ſolam liquorum alterationem, et modificationem, ut et corticis peruviani uſu innoteſcit; interdum denique alia ratione, praeſertim vero ſi alterius medicamenti concurrat auxilium. Si vero, ut ſaepius explicuimus, ex liquidiſſimi expreſſione, et reliqui incraſſatione ſanum in morboſum degenerat; tunc cunctandum non eſt, ſed ſedulo curandum, ut citiſſime lentor ille ſolvatur, et ab acri inducto leniantur irritamenta, alias ſi pernicioſa illa lues tamdiu ſinatur debacchari, ut ſolidum deſtruatur, aut liquidum nimis depravetur; tunc febres inde enatae, ſuppurationes, gangraenaeque in vitalibus organis, atque hujusmodi reliquae paſſiones nullo ſane curari poſſunt medicamento, ac proinde nulla quoque ſpes in noſtra Nive reliqua eſſe poteſt. Vtiliter interim vim ſuam exeret in ſtagnationibus a nimia copia, ſi conveniens accedat et phlebotomia.

Hae ſunt ferreae hujus eſſentiae virtutes, quas ex jam expoſito Auctore enumeravi: quae profecto ad quaedam ſumma capita reduci poſſent, imo et abſtractiori, ac ad ſcientiarum

normam accommodatiori ratione tradi; ſed a propoſita ejusdem methodo diſcedere nolui, quae cujuscumque captui congrua magis videtur. Non enim doctis tantummodo haec ſcribuntur, ſed et iis omnibus, quorum medicamenti naturam ſcire intereſt, ut propriae conſulant ſaluti.

Medicamenti doſis.

Pro laboris coronide reliquum eſt, ut qua menſura, ſeu pondere miniſtrari debeat exponatur. *

* *La doſe de ce remede eſt de vingt-cinq, trente jusqu' a quarante grains. Comme il eſt d' une couleur tres belle, et qu' il n' a ni gouſt ni ſaveur qui puiſſent reprocher, auſſi n' eſt-il pas beſoin de beaucoup de circonſpection pour ſon uſage. On peut le mêler avec un peu de mouelle de pomme cuite ou quelque conſerve liquide, a fin qu'il ne ſe diſperſe pas dans la bouche.*

Doſis a noſtro auctore ſtatuitur a viginti usque ad quadraginta granorum pondo: cumque pulcherrimi ſit coloris, nullumque faſtidium palato inducat, cautela proinde opus non eſt, ut absque difficultate deglutiatur. Satis igitur erit, ſi tantillo pomi cocti, aut confectionis alicujus liquidae eadem nix admiſceatur, ne per os diſperdatur, ſed ad interiora commodius pervadere poſſit. *

* *Pour les fievres ſi elles ſont intermittentes, il faut prendre ce remede un peu avant l' accés, ou du moins lorsque le friſſon approche, et en tout tems dans le continues, et une heure après on donne au malade un bouillon avec du beurre, et des herbes.*

Tempus exhibitionis notatur.

In febribus curandis, ſi intermittentes ſint, medicamentum hoc paululum praecedere debet febrilem acceſſionem, vel ſaltem ubi frigoris rigor praeſentitur, exhibendum eſt. Si vero continuae exiſtant, absque ullo temporis diſcrimine accipiatur: poſt

poſt horam juſculum ex herbis convenientibus paratum butyroque conditum aegroto miniſtretur. Haec ex celebrato Viro, quae ex ipſius verbis ſuperius inſertis clarius, qui Gallicum idioma callent, percipere poterunt.

Ego porro ubi opportunum credidi, nivem hanc ad decem granorum pondo miniſtravi, cum aliquo tamen ſequentibus vicibus augmento, prout curae ratio ſuadere videbatur. Inſtituta interim accuratiſſima effectuum obſervatione, comperi, pharmaci hujusce quotidianum uſum a decem usque ad viginti grana ſtrenuam praeſtare operam, et ad felicem exitum in morbis curandis non parum conducere. Quod ſi de pueris agatur, pro eorum aetate, quatuor, vel ſex, aut octo grana ſufficere ſentio. Cumque, ut diximus, nullo polleat odore ac ſapore, ideo foeminis quoque indiscriminatim propinari poteſt: cumque nauſeae periculum abſit, non turbabit nutrices, quibus intra ubera lac congelaſcit. Eo vero modo deglutiri poterit, quem quisque praeoptaverit, cautela tantum, ut monuimus, adhibita, ne per os diſperdatur. Commodius itaque erit, ut pariter innuimus, ſi alicui rei congruenti miſceatur, quae pharmacum coerceat, collectumque ſecum ad viſcera perducat.

Quoad febres intermittentes, propinari poterunt grana duodecim noſtrae Nivis vel ſolius, vel cum ſcrupulo uno extracti corticis Peruviani, juxta praeparationem domini le Febur, et hoc ter in ſingulos dies per hebdomadam; per ſeptem vero ſubſequentes dies bis quotidie: per ſeptem autem alios, ſemel tantum unaquaque die. Poſt quamlibet medicamenti doſim aliquid liquidi competentis hauriendum eſt. Haec fundamentalis cura ad aegroti ſalutem valde efficax erit, absque timore recidivae. Demum quoad febres continuas, et putridas, data temporis opportunitate, et quando perito placuerit Medico, praeberi poterit ſemel, vel bis in die deglutienda nix a ſemiſcrupuli pondo, ad unum ſcrupulum, vel ſola, vel cum aliis cardia-

cis. Accedere quoque debet juſculum, quod ad praeſcriptum noſtri auctoris ſupra retulimus.

Hic tamen meus labor non quieſcet in diſcutienda eximii hujus medicamenti natura, adeoque ſi temporis progreſſu aliquid detegam, quod publico bono proficiat, et curioſitati ſatisfaciat, evulgabo. Interim haec ſunt, quae de ipſo exponenda duxi, non eo ſolum fine, ut ipſius eſſentia innoteſceret, ſed ut omnes ſciant, me, niſi re cognita et mature diſcuſſa, nullius medicamenti opus, multoque minus miniſtrationem aggredi.

Palmaris profecto nedum imperitiae, ſed temeritatis eſt, pharmaca tractare, et indiſcriminatim cuicumque ingerere, ubi parandi methodus, imo interdum ipſa rerum nomina ignorentur; adeo ut caſus arbitrium ſit, prodeſſe vel nocere. Agitur de hominum vita, proinde ſatis admirari nequeo facilitatem, qua medicamenta, praeſertim ex Mercurio, et antimonio paſſim conficiuntur: res certe plena periculi, adeo ut non ſolum artificibus quibusdam mere mechanicis, ſed ipſis etiam artis Profeſſoribus timorem incutere debeat. Caveant, qui iſta jactitant absque ſufficienti peritia et diligentia, ſed multo magis caveant, qui eisdem fidunt, propriamque vitam hujusmodi farinae hominibus committunt.

Nivis etiam hujus praeparatio habetur in libro italico An. 1715. Patavii in 8. edito a Dionyſio Andrea Sancaſſano Magati, ſub titulo La Notomia dell' Acqua, pag. 90. et 91.

Dn.

Dn. D. Rudolphi Jacobi Camerarii.

Stationes Baroſcopii ſupremae et infimae.

Anni.	1714	1715	1716	1717
Januarius.	19. 9.	20. 10.	18. 0.	17. 3.
Februarius.	20. 8.	15. 6.	18. 4.	18. 0.
Martius.	20. 1.	14. 2.	16, 6.	10. 0.
Aprilis.	16. 3.	14. 4.	14. 8.	16. 6.
Majus.	14. 1.	14. 6.	13. 5.	14. 6.
Junius.	13. 7.	14. 6.½	15. 7.	16. 8.
Julius.	13. 6.	12. 4.	14. 4.	16. 8.
Auguſtus.	12. 5.	12. 2.	15. 7.	15. 5.
September.	14. 4.	15. 7.	13. 0.	14. 4.
October.	15. 5.	16. 5.	14. 5.	15. 4.
November.	18. 6.	14. 4.	17. 6.	14. 2.
December.	20. 1.	18. 0.	14. 0.	14. 0.

Quod cum pace deiſidaemonias maſtigum fiat, habeat pagellam in hac Eph. Nat. Cur. app. *Jupiter*, ab aequinoctio autumnali anni *decimi ſexti* ad vernale *ſeptimi* motibus aëris et baroſcopii inſolens: vel ea de cauſa, quia videtur ſpectare ad ſtationem infimam in tabella ſeptembri alias inſolitam. Attigerat planeta bene audiens locum ſupremum in zodiaco, ſcilicet principium cancri, cum *ſol* ipſi configuraretur per *quadratum* in librae principio; tunc autem praeciſe ſatis, *die* nimirum 23. *Septembris* 1716, mercurius in tubo per ſex gradus (olim in *append. cent.* 4. p. 53. determinatos) delapſus *ad imum ſcalae ſuae* habuit reſpondentem ſibi turbulentiam aëris veſpertinam extraordinarie magnam, vehementem, pluviam ingentem, vim venti ab occaſu hor-

horrendam: Nec quies inde fuit per tres dies ſubſequos, cum perparum aſcenderet varie iterumque deſcenderet, nunquam altus, ſed duravit adhuc per triduum inconſtantia, praevalente imbrium et ventorum impetu et copia.

Notabile hinc, quod in novellis legebatur, *Londino* perſcriptum, d. 25. Septembr. *A veſpera heſterna vi gravis tempeſtatis fluxum maris adeo fuiſſe repreſſum, ut hodie ultra pontem ibi Thameſin vado tranſire potuerint; quod pro miraculo fuerit habitum.* Et haec fuit illa quoque inſolita vis tempeſtatis a veſpera d. 24. Septembr. ad nonam matutinam ſequentis, de qua ex *Breſt* literae leguntur in *memoir. de Trevoux. 1716.* Octobr. cum phaenomeno ſubſequo, de obſervata inde per triduum *ſalſedine fructuum*, e. g. pirorum, ad communem per urbem querelam, (quale quid *R. Mead* d. imp. ſol. et lun. p. m. 390. etiam annotavit) tantillum intercedit diſcrimen; *Tubingae* enim vis venti certe fuit major per veſperam vigeſimi tertii, quam quarti, quae poſt diem pluvium frigidum videbatur ſerenari, ſed tulit noctem porro valde pluvioſam et ventoſam.

A *quadrato* ad *oppoſitionem*; diei 17. Decembris aſſignatam. Supervenerat luto ſubitum acre gelu, vi euroboreae, ſed breve, remittens ad nivulam, quam et lenior abſtulit ventus ab occaſu. Quantum hic debeat Jovi et ſoli, quidve ſextili et trigono martis concurrentibus, transmitto, hoc propoſuiſſe contentus: Delapſum die 17. mercurium, mane diei 18. iterum comparuiſſe *in ſcalae imo*; idque hac vice hoc loco plane non cum tanta turbarum aërearum vehementia, cum liquatione modo ſub nubibus ſolis radios raro transmittentibus; at cum veſper ventum ferret fortiorem, frigidiuſculum, mercurius bene cito reaſcendit in altum.

Ab *oppoſitione* iterum ad *quadratum*, d. 12. martii 1717. Praeceſſerant dies ſereni, remiſerat euri rigor, favebat pomeridiana amoenitas, cum mercurius ſenſim in ſcala humilior, verſi in auſtrum et occaſum aedium vexillis, ipſo tandem aſſignato duodecimo martii compareret lapſus iterum in baroſcopio *ad imum*

imum: Non ſine pluvia quidem et vento, apud nos, ſed qui in comparationem venire non poſſit cum autumnali iſto.

Hoc autem ſcalae mercurialis imum per hoc ſemeſtre fuit hic obſervatum *non niſi* tribus iſtis vicibus: *Excipe* diem 22. Februarii 1717. pluvioſum; cum paria forſan praeſtaret *venus*, martem ſolemque reſpiciens.

Si quis praeter ſpem curioſus hic quaerat: quid ergo caeteri aſpectus Jovis? habeat reſponſi loco paucis, *trigonum* ſeri autumni 1716. vix triduo praeceſſiſſe ſtragem uvarum paucarum, vix tarde matureſcentium, ſcilicet ad feſtum Simonis et Judae, cum poſt rigorem euroboreae elevantis mercurium per diem 26. Oct. grave gelicidium caderet in *vindemiam*, raro exemplo ita ſeram, diuque praeter morem poſtponentem, triſtem tamen, cum gelu iſtud non uno contentum mane, ſed ter repetitum, parciſſimam jam dum noſtram ita laederet ſupellectilem.

Alter *trigonus* anno 1717. jovis cum ſole, fuit non ſolus, ſed complicatus cum tali aſpectu ſaturni; adeoque hic tranſeat.

Accedat tamen *ſextilis* adhuc d. 17. April. 1717. quippe vento ſubitaneo mirum quam impetuoſo ſatis praeciſe ad tempus coorto, non frigido, inſignis fuit; demiſſo quidem infra medium ſcalae mercurio, ſed non multum ultra, ad pluviam et inconſtantiam inſequentem.

Quid fiet hinc, cum dicetur ſoli *conjunctus* Jupiter? ſcilicet ſub Julii 1717. principium. Atqui, tum non ſolus, ſed cum venere inſuper et mercurio; nec, ut ſic loquar, liber, ſuive juris, ſed ſub aſpectu ſaturni quadrato, martisque quincunce fuit. An itaque hinc eſt, quod baroſcopium tunc minus demiſit? ſed uti ſtationem ſcalae mediam cum frequenti, at parvo, ultra citraque aſcenſu et deſcenſu exhibuit vagam magis, ac pro hoc anni alias tempore, ſic etiam varium et inconſtantem tunc aërem, minus ac ſub nupera junio martis ad mercurium, ſolem, venerem, oppoſitione aeſtuoſum, tempeſtuoſum, (cujus calamita-

tis, et frequentium per hanc aeſtatem fulminum, (quo cum damno, forte meminerint paſſim non pauci) habuit ſibi, vel iſti aſpectuum mixturae convenientem.

Dum haec ſchedula per menſem premitur unum poſt alterum, interim ex *Belgio* ſcribitur, a veſpera in noctem 1. *Sept.* 1717. grandem *arborum* procerarum *ſtragem* fuiſſe editam vi venti, ut alibi, ſic maxime *Hagae Comitum.* Quis ergo tunc fuit tubi ſtatus, aëris motus, jovis aſpectus? Poſt longam aeſtivam ſerenam ſiccitatem die 27. Aug. *rubedo matutina* indicarat mutationem, et hinc demiſſus fuerat mercurius ad quintum ſcalae gradum, ſub tempeſtate, quae ſuper capita noſtra tranſiit per Dei gratiam innoxia. Vix per binos ultimos auguſti inconſtantes, tantiſper verſus medium ſcalae reaſcenderat ille, cum d. 1. Sept. mane nebuloſo, ſereno compareret iterum humilior, ulteriore deſcenſu praeſagiret quid novi; uti quidem factum circa ſecundam pomeridianam, cum quarto gradu in ſcala, tum, enim ſubita et ingens vis venti, non frigidi, auſtrozephyri, exorta, (nobis iterum per Dei gratiam ſine damno, praeterquam decutiens poma, quorum minor ſuppetit copia, ac anno nupero) tandem tulit pluviam nec largam hic, nec longam. Veſper inde clarior quidem, ſed cum vento adhuc forti elevavit mercurium ad gradum ſextum. Dies ſequens frigidior, ſerenior ad undecimam; tertius nebuloſus, ſubfrigidus ad decimum quartum ſcalae, hujus menſis ſupremum. Poſt veneris cum marte quadratum, cum jove ſextilem, ultimo auguſti *B. G. K.* adſcripſit *Keplerianum quincuncem jovis et martis?* Huicne igitur tantum tribuemus? Et alteri ejusdem Autoris ſemiſexto ſaturni et mercurii vim frigoris ſupervenientis elevatricem? Sed *jovem caeteris planetis* configuratum hic proponere, non eſt animus: Erunt, qui *quadrati* cum ſaturno habebunt rationem; *tertia vice* repetitur.

Helmontius tr. aſtr. neceſſ. non incl. §. 48. aſtrologorum regulis inter alia bene multa oppoſuit quoque ſyſtema *Copernici,*

cujus

cujus opinio ſuis non caret aſſeclis, et non parvae autoritatis; ('ſuo jam tempore) licet ſub ſilentio ſuum premant conſenſum: *Qua tamen*, pergit, *ſemel erumpente, absque dubio, omnia phaenomena et praedictiones ruent.* Scilicet geocentrici ſunt aſpectus, cum deberent conſiderari heliocentrice; unde occaſione miri phaenomeni, revera olim ita ſe habere crediti, poſtmodum autem per errores opticos clarius declarati, quo planeta, ſuo tempore *ſtationarius* 'ad *retrogradum* et *directum motum* videtur, et hoc ipſo configurationi cum altero tunc aequivalere dicitur, quaeri etiam poſſet: Huic ſive aſpectui ſive ſtatui Jovis ut reſpondeat aër et tubus? vel quod in hoc eſt mobile perpetuum. Enimvero paulo ante trigonum Octobris 1716. jupiter ſtat. retrogr. demiſit utique baroſcopium ad gradum ſextum, poſt noctem turbulentam, ad diem pluvioſum, ventoſum, inconſtantem. Sed intercurrerunt aliorum planetarum aſpectus. Et anno 1717. jupiter ſtat. dir. ad medium februarii a nuperis complicatis trigonis jam altus, manſit talis; nihil ſingulare movens vel mutans. Clarius autem certiusque de aſpectuum energia judicium, quando ſunt ſoli, quam cum aliis quaſi permixti. Poſſet ergo in hoc inquiri extra haec tempora, et hoc ipſum extendi tanquam commune quid ad caeteros, inprimis ad *mercurium*, frequentius talem; qui quidem coincidit cum citatis ad 22. Febr. aſpectibus: Niſi ſatis utique hac vice datum videretur huic vexatae diſquiſitioni. Itaque jovis etiam vis vel ſignandi vel cauſandi varians *per zodiaci ſigna vel ſtellas*, quanquam exemplum videatur praebuiſſe ſub principium ultimi Decembris, modo tranſeat.

Nob. Dn. D. Laurentii Civinini

Relatio de Anatomia Dn. Alexandri Marchetti, celeberrimi Matheſeos Profeſſoris in Univerſitate Piſana.

ad

Ill. Dn. D. Antonium Vallisnerium.

Multorum ex antiquis fuit opinio, barbaram eſſe cadavera ſecandi conſuetudinem, eandem animabus eſſe moleſtam, aut in defunctorum deſpectum, vel in exiguam vivorum nullamue utilitatem cedere: cujus ſententiae etiam fautor exſtitit doctus ille autor Epiſtolae de recentiorum Medicorum ſtudio, qui ſi non aliam celebritatem habuiſſet, quam quod doctum Dn. Malpighii reſponſum obtinuerit, inglorius manſiſſet. Majori tamen prudentia moderni vanitatem hujus rei, et offenſae religionis ſuſpicionem conſiderantes, ſapienter judicarunt, neceſſariam eſſe ejus cognitionem, quod in cadaveribus obſervatione dignum reperiri poſſet. Unde nobile ſtudium anatomicum fuit excultum, tantumque novorum anatomicorum inventorum deſiderium crevit, ut in feliciſſimo priori ſeculo longe glorioſius venerandae et doctae antiquitatis limites ſuperaverit: Et ſingulariter noſtro in ſeculo eminent Medici prudentiſſimi, qui indefeſſi doctos ſuos labores in ſectiones cadaverum impendunt: unde maximo lumine et nova cognitione ſemper divina Medicina ditatur, cujus doctoribus non tantum utile eſſe hoc ſtudium, ſed etiam neceſſarium, elegantiſſimus Celſus ſcripſit, incidere vivorum corpora et crudele, et ſupervacuum, mortuorum corpora diſcentibus neceſſarium.

Tam laudabilis et utilis conſuetudo ſemper a me fuit obſervata in patriae meae, Piſtorii, publicis noſocomiis, ut et Piſanis; atque inprimis per plures annos in famoſo S. Mariae novae noſocomio multas raras et pulchras obſervationes colligere mihi ocntigit; unde eandem indies magno meo cum commodo et jucun-

jucunditate ulterius proſequi conſtitui. Antiquam tamen hanc meam operam continuare me debere in cadavere celeberrimi Dn. Alexandri Marchetti, concivis mei et magiſtri, doleo, in quo maxima et univerſalis eruditio, et inprimis integra perfectaque trium nobiliſſimarum ſcientiarum, Mathematicae, Philoſophiae et Poëſeos poſſeſſio reſplendebat

Occidit autem tantus Vir forti apoplexia, quam intolerabilis urinae ardor, cum ejus ſtillicidio et difficultate, acerbiſſimusque in ea reddenda dolor praeceſſerat; qui morbus a duobus annis valde eum moleſtaverat, juxta cum melancholia magna, quam Piſis primo pati inceperat, ubi ſub cura duorum ſapientiſſimorum Profeſſorum celebris illius Vniverſitatis, Dn. D. Terenzoni, et Dn. D. Valerii Galleni eſſe ipſi contigit, qui vitium hoc urinae a calculo veſicae oriri prudenter judicarunt; cui ſententiae etiam acceſſerat ill. Dn. D. Joſephus del Papa, digniſſimus Sereniſſimi M. Ducis Hetruriae archiater, qui eum doctiſſimo conſilio honoraverat. Sed ea erat mentis obſtinatio, ut nullis perſuaſionibus eundem ad ullius medicamenti uſum diſponere valuerint; unde convenientem ſaltem diaetam ipſi praeſcribere, variisque artificiis fortem ejus adprehenſionem abigere, tandem autem malum continuo increſcere cognoſcentes in villam ſuam, Pantormum dimittere melius cenſuerunt, viſuri an cum mutatione loci et aëris animum quoque eſſet mutaturus aut mitigaturus. Verum vehementia mali adeo increvit, ut inſignis vir a ſtudiis ſumme abhorreret, et gracilis ejus, ſed vivaciſſima conſtitutio ſubito quaſi meliorem vigorem perderet, atque arida, exſucca et languida fieret: et licet optimam diaetam ſervaſſet, nihilominus vix quinque praeterierunt menſes, cum affectus ille melancholicus d. 26. Auguſti Anno 1714. in epilepticum tranſiret; a quo inſultu poſt octavam horae partem quidem fuit liberatus, ſed illico ab alio graviori impetitus; in quo tempore diverſis artis auxiliis ipſi ſuccurrere datum eſt, quae inter lenis venaeſectio vehementiam mali

non quidem omnem vicit, ſaltem tamen ſedavit; cum interim cura brodio alterante ex betonica, tinctura roſarum, et aliis roborantibus ac ſpecificis, uti vocantur, ex ſuccino albo, matre perlarum, cranio humano, radice poconiae &c. continuaretur. Levamen quod inde accepit, tam inſigne fuit, ut per diem rhythmis ſpiritualibus animum recrearet, et ubi occaſio ferebat, diſcurſus elegantibus et ingenioſis dictis condire non intermitteret; cum undecimo die poſt primum inſultum, d, 5. Sept. a forti apoplexia obrueretur, cum ſpuma ex ore, et totali omnium facultatum animalium jactura, ita ut poſt gravem triginta horarum conflictum, animam caelo, aetatis octuageſimo primo anno redderet, inevitabili exſiſtente mortis ictu, qui omnibus ab ipſa nativitate inſtat: Naſcentes morimur, finisque ab origine pendet.

Altero die ad cadaveris ſcrutinium eſt deventum, et cum veram mortis cauſam in cerebro latere crederem, cranium fuit apertum, ubi ante et poſt meninges ſeparatas, omnia vaſa ſanguifera, tam in ſuperficie quam interius turgida ac dilatata, utpote ſanguine repleta, nec non ſolito magis colorata et nigra comparuerunt. Subſtantia corticalis cerebri admodum tenera erat, ut etiam leni attactu in fluidam ſubſtantiam converteretur, quaſi nunquam cohaeſiſſet. Siniſtra ejus parte aperta, in ventriculo ejus abſceſſus nucis moſchatae majoris magnitudine comparuit, non parum materiae lividae, nigrae et putridae, haud foetidae continens, unde cavitas una cum parte plexus choroidei corrupta et deſtructa erat. In dextro ventriculo nulla prorſus reperiebatur humiditas, ſed color et conſiſtentia ejus naturalis. Cerebellum atque medulla ſpinalis vitium nullum notabile exhibebant, et tantum arteriae ac venae juxta magnum occipitis foramen praeter modum diſtentae ac plenae erant.

Deſiderium ſciendi, quomodo alia etiam viſcera eſſent conſtituta, me impulit, ut thoracem quoque aperirem, in quo inſignis auriculae cordis dextrae dilatatio, et duplo major quam ſiniſtra

niſtra auricula fuit reperta. Moles cordis admodum magna, et copioſa pinguedine tecta, pericardium autem omni prorſus aqueo humore, quo alias cor humectatur, orbatum cujus ſubſtantia debilis et flaccida erat. Pulmones absque ulla laeſione manifeſta, lividi, nigri et ſanguine liquido ſpumoſo turgebant.

In abdomine omnia viſcera naturalia inventa quoad colorem et conſiſtentiam, hepar pulchrum, lien elegans, pancreas, meſenterium, inteſtina cuncta, et renes ſecundum naturam ſe habebant. Sola veſica calculum ſesquiunciae pondere, inſtar ovi gallinacei, ſcabroſum, pungentem et rubrum continebat; ejus interna tunica erat multum conſumta et attrita. Totum corpus muſculi aridi, taliterque exſiccati, ut pauculae guttulae humidi in cavitatibus, imo extrema macies obſervaretur.

Notatu inprimis dignus eſt abſceſſus, qui in ſiniſtro cerebri ventriculo inventus fuit, qualis, ut ſcribit Willis, tam benemeritus anatomicus, rariſſime in ventriculis et intra cerebrum occurrit, frequenter autem inter meninges; quamvis non adeo inter rara reponi debeat, cum multi illuſtres autores in ſuis obſervationibus ſaepius mentionem ejus fecerint, apud quos hiſtoriae noſtrae caſui ſimiles legi poſſunt. Talem etiam vidi in celebri hoſpitali Florentino, in ſacerdote ex forti apoplexia defuncto, cujus anatomiae ill. D. Thomas Puccini, Profeſſor anatomiae, ob profundam prudentiam et experientiam medicam in Hetruria noſtra celeberrimus, interfuerat.

Non tam conſiderabilis eſt calculus veſicae, quam auriculae dextrae cordis dilatatio, ſaepius in variis viſcerum obſtructionibus et hydrope a me obſervata; quae omnia egregiam materiam disquirendi ſuppeditare poſſunt iis, qui majorem eruditionis lucem quam ego poſſident.

Si tamen in rebus tam obſtruſis conjecturae aliquem locum habere poſſunt, non procul a veritate abeſſe mihi videtur opinio, quod, ſicuti corpuſcula acido-ſalina, nitro-ſulphurea, quae in corpore D. Alexandri praepollebant et exaltata erant, potentiam habe-

habebant irritandi et ſtimulandi nervorum originem, atque turbandi et agitandi eorum ſuccum, unde inſultus epilepticus ortus: ita ab iisdem arroſum atque exagitatum fuerit minimum aliquod vaſorum tam attenuatorum ac debilitatorum in cerebro, utpote inſtrumento, quod ipſe per continua ſtudia ac indefeſſam applicationem nimis exacuerat et conſumſerat; hinc ſanguinis ex vaſis ſuis egreſſus ſtagnavit, atque a ſtagnatione oborta fermentatio partes adjacentes ſolidas deſtruxerat, et exinde cerebri compreſſio, id eſt, apoplexia fuit oborta. Conſiderandum etiam, per magnam a ſtudiis profundis mathematicis, gravibusque curis, ac animi paſſionibus ſpirituum diſſipationem, motum fluidorum impediri, et canalium extremitates anguſtari; inde liquida ob gravem aetatem evanida et parum activa ſtagnant, villos plus aequo impellunt, et vaſa ad dilatationem concitant. Vnde in caſu noſtro non eſt mirum, ſi in dextra cordis auricula ſanguis, quem per venam cavam a corporis nutritione refluum, valde incraſſatum et ſubſtantia lymphatica ſpirituoſiore deſtitutum recipit, ſubſiſtat, ob fibras etiam contractiles debilitatas, nec a ſpiritu ſufficienter vivificatas et commotas, cavitatem auriculae dilatavit et duplo majorem quam ſiniſtram effecit, quin ob hanc ſpecialem cordis laeſionem, melancholiam fomentavit. Suſpicari inſuper licet, non ſolum affectus melancholici, ſed etiam epileptici ac apoplectici hanc cauſam praecipuam extitiſſe. Et videtur, quod ſenſim, ex quo auriculae et cordis fibrae debilitari pergebant, capitis etiam morbi increverint, ſecundum quarum tenorem motus liquidorum et ſpirituum in cerebro ſe dirigebat; et quando fibrae cordis ad eum gradum debilitationis pervenerunt, ut curſum liquidorum in canalibus aſcendentibus morarentur, epilepſia et apoplexia obortae fuerunt; ubi in principio debilitatio minori in gradu exſiſtens, in capite ſaltem lentorem, imminutam ſpirituum ſeparationem, ideoque obtuſitatem ac melancholiam excitavit.

BIGA


BIGA
OBSERVATIONVM
MEDICARVM
ILLVSTRIS ACADEMIAE CAESAREAE
LEOPOLDINO - CAROLINAE
NATVRAE CVRIOSORVM
PRAESIDI
CONSECRATA

A

GODOFREDO BENIAM. PREVSSIO,
MED. DOCT. ET PRACT. VRATISLAV.
ACADEMICO NATVRAE CVRIOSO.

Ad Eph: A.N.C Centur VII et VIII
Observat: Bigam:

TABULA. XI. App. p. 83.



Partus, Matri Roſae Proliferae fatalis;

addita

Exemplorum Naturae in tribus Regnis proliferae, et variarum Cauſarum Collectione.

NEmini ignotum eſt, quod Celeberrimus Schelhammerus 1
Ephem. Acad. Nat. Cur. Decur. II. Ann. VI. p. 211. de floribus praeter modum proliferis agens, ſollicite quoscunque, ad communicandum parallela in hanc materiam exempla invitarit; quodque conſtitutiones Academiae fundamentales, colligere parallela, inquirere in rerum cauſas et differentias, ſcopum eſſe Societatis inter primos non ultimum, ſatis declararint. Hinc obſervationem praeſentem, notandis aliquot phaenomenis ipſaque Icone ab ampliſſimorum quorundam naturae Conſultorum relationibus et iconibus infra allegandis diverſam hic inſerere non abs re viſum fuit. Collectionem autem et diſpoſitionem certam parallelorum quorundam natura in tribus regnis proliferae, alibi ſparſim inveniendorum; nec non cauſarum, quas invenire paſſim et huc referre licuit, praecipuarum recenſionem paulo fuſiorem addere et hinc inde admiſcere rei occaſio nunquam negligenda ſuaſit. Annus 1713. mediam propemodum abſolve- 2
rat periodum, qua roſarum fruticem ſat ramulorum domi alere licebat. Hunc agricultor ſuburbanus per ſeptem fere annos cultum, ſolo libero exemtum et ſexta jamdum vice, autumno praecedentis anni transplantatum vaſi ligneo paulo ampliori et 3
capaciori, cum aliud ad manus non fuerit, commiſerat et ve-

canalem caſu obtulerat. Vas ipſum curatius examinatum ſat carioſum, et viginti circiter pollices transverſos profundum adeo-
4 que capaciſſimum apparebat; quod praeterea terra partim agri antea natalis ruderati, partim, et imprimis verſus fundum, agri fimo optimo impinguati, ſibi invicem ſuperſtrata ſe repleviſſe referebat; mixturam enim ejusmodi valde convenientem et ſalubrem frutici eſſe exiſtimant nonnulli ex hac hominum ſorte. Numeroſam roſarum adhuc conniventium plenifloratum ſeriem frutex, menſibus Junio decurrente et Julio incipiente, oſtendebat et adeo nitide feneſtram conclavis verſus orien-
5 tem ſiti, a meridianis ſolis radiis prorſus remoti et per ſe ſatis umbroſi inumbrabat, ut Honorando Parenti meo hujus teſti, ac aliis omnibus ſpectantibus magno conceſſerit oblectamento.
6 Interim roſarum ut et foliorum fruticis crenatorum exemplar vulgare et ordinarium, ut eo melius cum aliorum parallelis conferri poſſit, in TABVLA addita figura 1. ſiſtitur, ſpecies autem infra (Numer. marginal. 18) exponetur. Ad me-
7 dium fere Julii menſem loco praedicto inturbatus frutex, tandem cum damnum a pluviis praegreſſis frequentioribus et fere continuis, ſolisque ibi abſentia nimia metueretur, in locum alium meridianis ſolis radiis per plures dies continuo pluvias excipientibus obvium transferendus interdum per intervalla, et ▽a pluviali irrorandus potius ſucceſſive, quam imbribus committendus judicabatur. Quo facto ſignum quaſi ad perrumpenda calycum clauſtra ſubito roſarum agmini, per ſolis activitatem erectum vidiſſes. Inprimis ſe commendabat fruti-
8 cis brevior quidam ſurculus vel caulis (Figur. 2.) ſpinoſo hiſpidus reliquis craſſior, capaciorque. Quatuor foliis fruticis ſubviridibus, profunde laciniatis, ſublongis, mollibus, exterius pa-
9 rum lanuginoſis (e. f. g. h.) inſtructus. His valde vicinus aderat nudus et calyce deſtitutus globulus, ut ita appellem, roſae conniventis ſolito capacior, cujus foliola numeroſiſſima arcte invicem compacta et conglomerata velut verticillum repraeſentabant; (erat enim ejusdem cum reliquis plenifloris ſortis) quem in prin-

principio folia dicta laciniata loco calycis amplexabantur et 10
leviter obtegebant. Roſa haec matris proliferae nomine non
immerito inſignienda venit, eo quod ex ejusdem nondum de-
hiſcentis ſinu et centro prodire et enaſci obſervabatur priori con-
tinuus cauliculus ad digiti longitudinem protenſus non ſpinoſus, 11
ſed plus minus lanuginoſus, craſſior molliorque nullis foliis
herbaceis ornatus, cujus apex in calycem ſeu globulum roſae pa-
riter conniventis et pleniflorae plane regularem terminabatur,
quem roſae filiae, partus velut ex matre roſa producti titulo hic
denotandum duxi. Interea ab amplexu foliorum laciniatorum 12
ſponte ſe nunc reclinantium liberatus globulus noſtrae roſae ma-
tris, intra ſinum ſuum ſenſibiliter intumeſcere, et in amplius ſpati-
um ſe extendere moliebatur. Foliola erant colore incarnato magis
quam purpuraſcente, odore grato non prorſus deſtituta. Prae-
ſertim vero circularem roſae extremitatem (literis i. k. l. c.c. no-
tatam) color vividus per viginti circiter horas animabat: mini-
me tamen in majorem ambitum, quam figura ipſa monſtrat, ex- 13
plicabatur verticillatus hic globulus roſeus, adeoque nec diſcum
nec antheram, vel ſtamina et luteos apices, nec ſemen (ob caly-
cis defectum) quod tamen roſis aliis proprium eſt, exhibebat. 14
Vix per dictum breviſſimum tempus mater prolifera vitam et
colorem oculis qualitercunque conceſſerat, cum nonniſi unica
die et nocte tardior roſa filia (fig. 2.) dehiſcere, odoremque et
colorem matre longe perfectiorem praebere obſervaretur. Fa- 15
talem en partum! nam quo magis virtute et vividitate per ho-
ras ſingulas increſceret, ſe expanderet et augeretur roſa filia, nulli
reliquarum amoenitate ſecunda, eo magis per easdem horas et
fere momenta roſa mater colore et vividitate decreſcebat, ſe con- 16
trahebat et imminuebatur. Tandem haec, colore bruneſcente
mortis et fati praenuntio primum baſin (liter. b. b.) dein totam
ejus ſuperficiem occupante, marceſcere et aetatem fere biduam
conſecuta foliolis numeroſiſſimis decidua ſucceſſive reddi adver-
tebatur: quod fatum etiam experiebantur folia herbacea ejus-
dem ramuli ſupra deſcripta laciniata tunc dependula, molleſcen-

17 tia, ſponte ſe contrahentia et prorſus ſucceſſive emarcida. Filia tamen, diſco magis poſtea explicato, florentiſſima et figurae plane conſimilis per biduum fere matri ſuperſtes perdurabat; qualem aetatem et reliquae fruticis roſae aſſequebantur plurimae. Ex praemiſſis collatis patet, roſas fruticis noſtri rubello
18 flore majore, et, ob foliola numeroſa velut multiplicato pleno ſat incarnato fuiſſe, quare ad ſpecies vel domeſticarum Matthioli vel Vlmenſium, ut vulgo alibi audiunt, vel Bauhini rubrarum pallidiorum referendae videntur, cum praeſertim icon noſtra ad vivum expreſſa Hottingerianae roſae infra Num. 20. citandae fere conſimilis, (minimum quoad foliaturam roſaceam) licet quoad alias partes plane abſimilis appareat. Sic vario naturae proliferae luſu flos ex flore productus fuit; quod non modo noſtra roſa ex roſa teſtatum venit, ſed plura hujus materiae exempla, licet non quotidie obvia, in tribus naturae regnis dudum antea
19 comprobarunt. *EX REGNO VEGETABILI* agmen merito ducunt, *ſi FLORES EX FLORIBVS* ſpectes, roſae proliferae, *quarum VI.* praecipue, ex Ephemeridibus Acad. Nat. Cur. addita ibidem cujusque icone, eruere huc usque licuit.

I. Roſa prolifera proprie ſic dicta duplicata, Javorenſis vel Suidnicenſis Sileſiaca D.D. Graſſii Ephem. D. I. A. IV. et V. p. 94. ſeqq. cujus duplicem iconem Auctor exhibuit.

20 *II.* Roſa Tigurina duplicata D. D. Hottingeri D. III. A. IX. X. p. 249.

III. Alia duplicata ejusdem Auctoris ibidem: quibus annumerari poſſent Cygneenſes plures proliferae, quarum D. D. Schmiederus Ephem. citat. Centur. III. IV. p. 354. licet non addita icone, mentionem facit.

IV. Mariaeburgenſis triplicata D. D. Cnöffelii D. I. A. IV. V. p. 46.

V. Altenburgenſis triplicata ex Celeberr. D. D. Wedelii communicatione ibid. p. 95.

VI. *R*oſa Pragenſis multiflora D. D. de Bernitz Dec. I. Anno IV. V. p. 46. Figur. 2. ſin eam numero proliferarum proprie

talium

talium inſerere quis latiori ſenſu cuperet: cujus generis et iſta videtur eſſe roſa monſtroſa, quam Dominus Marchant, Gallus, obſervavit. Vid. Hiſtoire de l' Academie de Sciences l' An. 1707.

VII. His denique ſuccedet *Vratiſlavienſis* noſtra prolifera duplicata, quam praeſens Obſervatio exponit. Roſas excipiant alii flores. Monendum tamen florum proliferorum nomine nonniſi illos nobis venire, quorum mater filiam unam aut plures ex ſinu ſuo diſtincte protrudit ſibi homogeneas.

Caryophyllos hortenſes ex Caryophyllis matribus foetiferis 21
prodeuntes notat Schelhammerus Eph. D. II. A. VI. p. 210; In Caryophyllo candido maximo Hieroſolymitano eandem perfectionem allegat idem ibidem. Caryophyllus Regius ſemiprolifer deſcribitur A. I. Dec. II. 53. 54. Caryophyllos variarum ſpecierum in hortis olim Vratislaviae propriis ante plures annos ſe aluiſſe, quorum ex medio unus pluresve calyces eruperint, mihi haud ita pridem retulit Generoſus Dominus de Baumann, Eques Sileſius, Haereditarius nunc in Raxdorff.

Tulipas ob numeroſiſſima folia variegata talem in modum plenifloras, ut propter folia exteriora permulta, mole interiorum depreſſa et reclinata deorſum, relicto etiam caulis interſtitio ſat notabili et diſtincto, tulipam ex tulipa exacte retulerint, commonſtravit mihi anno ſuperiori in hortis ſupra laudatis Baumannianis, nunc vero Sommerianis, amiciſſimus horum Poſſeſſor, Bulbos ipſos Harlemo ex Belgio ſe acquiſiviſſe affirmans; quales tulipas A. 1708. Amſtelodami me ex Anglia tunc reducem vidiſſe, probe recordor.

Coronam Imperialem duplicem, ſive ſuperiorem unam ex
altera inferiore exurgentem, adeoque proliferam, celeberrimus 22
Boſianus hortus anno circiter 1703. 1704. Lipſiae exhibuit, ab horti praefecto tunc temporis mihi et aliis oſtenſam.

Flores Papaveris variegatos et proliferos An. 1716. hortulus in ſuburbio conductus; nec minus

Jaſmini Floſculum ex alterius ſinu diſtincte enatum Ann. 1717.

1717. fruticulus domeſticus per IX. annos jamdum cultus, Honorando Parenti meo et mihi ſpectandos praebuit.

Amaranthus purpureus major prolifer D. II. An. VI. p. 209.

Lyſimachia lutea galericulata duplex, ibidem, necnon Dec. III. An. VII. VIII. p. 113. laudantur, ut et

Typha duplicata Cnoeffelii D. I. A. IV. V. p. 46.

Jaceam albam moſchatam, nonnullis Biſamblum dictam,
23 et cum ſcabioſis permiſceri ſolitam, in horto Leydenſi ante decennium circiter ipſe magno vidi oblectamento.

Scabioſam proliferam, quae ex uno flore medio plures floſculos diſtinctis invicem pediculis protruſit Tabernaemontanus Lib. I. Cap. 14. Num. 17. Herbarii majoris ſuggerit. Mira quoque plantarum foecunditas nonnullis exemplis tam ſpontanea quam coacta praedicatur in Regiae Scientiarum Academiae Hiſtoria Pariſiis An. 1701. in 4o. edita cap. IV. Anni 1700. Tractatione Botanica.

Daturam AEgyptiacam flore pleniſſimo triplici, uno ex altero aſcendente tam coloribus variegatis quam altitudine ipſa ſpecioſiſſimam in icone ſiſtit inclytus Volckamerus Heſperid. Noric. Tom. I. p. 231. In Datura alia Contareni calycem floreum triplicem unum ex altero prognatum, nec non in *Calendula* decem flores ſupra elevatos vidit F. Imperatus Naturalium Diſcurſu XIV.

Primulas Veris ſumme plenifloras (gefüllte) coloreo roſeo-
24 albeſcente, purpureo-albas, ex flavo purpureo albicantes ac variegatas jucundiſſimas in praelaudatis hortis Sommerianis Vratislaviae praedicto tempore obſervatas (quales et in Heſperid. Volkamerianis Noricis Tom. I. p. 217. allegantur) ſilentio lubens involvam, proprie enim huc non ſpectant, cum una ex altera vix diſtincte prodierit; alias enim commemoranda hic quoque veniret primula faſciata plus quam 300. floribus ſuperbiens, cujus figuram dedit Illuſtris Vollgnadius D. I. A. V. VI. p. 346. Pariter et

Leonurum Capitis bonae ſpei in icone Volckamer. loc. cit.

Tom. I.

Tom. I. p. 231. ſeq. qui viderit, eundem his etiam annumerandum judicabit proliferis, cum planta ſit verticillata ſpecioſiſſima, caule ad ulnam fere communem extenſo et elato, flores diſtincto et ſextuplici ordine ſibi arctiſſime invicem ſuperſtructos producens. Verum nec haec proprie huc pertinere videtur, cum florum unus ex altero vix immediate exurgat. Etenim hac ratione ad hunc cenſum revocari quoque deberet

Alöe tam caulium altitudine ſingulari, quam ſpecioſiſſimis 25
floribus fere innumeris, arctiſſime et turritim quaſi aſcendentibus, caulesque ad cacumina usque obſidentibus, ad admirationem ſpectatores ſuos merito invitans. Interim cum rariſſime floreat, dignam jure ſuo judicarunt viri celeberrimi, cujus nomina varia publicis obſervationibus dudum illuſtrarint. Sic occaſione Aloes Sileſiacae Oppersdorffianae Illuſtris Sachſius a Leuwenheimb D. I. A. I. Obſerv. 90. 91. Ephem. A. N. C. iconem ejus communicans, alias et diverſas regiae hujus plantae ſortes, quales in Italia, Gallia, Germaniaque ſuperiori et inferiori paſſim effloruerunt, egregia ſerie enumerat, et partim inſcriptionibus ingenioſiſſimis ab oblivione vindicat; cujus ſortes et Muntingius in deſcriptione Aloëdarii, quod libro de Vera Herba Britannica Antiquorum Amſtelod. 1681. in 4o inſertum eſt, collegit.

Praeterea *Aloen Auguſtanam* a perilluſtri Schröckio Eph. D. I. A. V. VI. Obſerv. 231. *Onoldinam* D. II. A. X. App. p. 56. *Numburgenſem* Act. Erud. Lipſ. An. 1688. p. 121, *Gottorpienſem priorem* Anni 1668. a I. D. Majore in ſingulari Tractatulo germanico ibid in 4o. et ex recentioribus Gottorpienſem *alteram* Anni 1705. a D. D. Waldſchmidio, peculiari ſchediasmate deſcriptas legimus. 26
Aloë autem Boſiana *Lipſienſis* An. 1700. *Brunsvvicenſis* An. 1701. *Gothana* An. 1710. (de cujus Nummo vid. Secretarii Curioſi in 8o. Expedit. II. p. 181.) *Brandenburgica*, quae An. 1712. Autumno non procul Berolino in hortis Regiis Koepenicienſibus, obitus Sereniſſimi Regis quaſi praenuntia floruit, (cujus inſcriptionem vid. Secretarii Curioſi Expedit. XVI. p. 311.) *Aloës* itidem *Choreenſis* in Miſnia et *Cizenſis* non

poſſunt non recentem plurimorum noſtrae aetatis ſubire memoriam. Nec negligenda *Aloë Guelpherbitani Ducis* Sereniſſimi ſane ſpectatiſſima, cujus memoriam nummus, quem poſſideo, conſervat. Prima facies ipſam Aloën cum lemmate: FINIS CORONAT OPVS, poſtica inſcriptionem ſiſtit:

27 IN HORTIS VALLIS SALINAE II. LAP. A. CAST. GVELPHERB. ALOE AMERICANA ANNOR. XXIII. ALTA XXXVI. PEDES. RAMIS XL. CALICVLIS VIMCLXVI. EFFLORVIT. V. NON. OCTOB. MDCCI.

Nolo hic tranſire ad *arbores* tempore efflorеſcentiae ſimplicis rariori exemplo *plenifloras*, minus enim proprie huc ſpectare videntur; ſuppeteret alioquin *Ceraſus pleniflora* a Jonſtono Dendrolog. p. m. 93. Tabul. aen. XXXIII. et hujusmodi adhuc notabilior a D. D. S. Graſſio D. I. A. IV. V. Obſerv. 95. ac alia D. III. A. V. VI. Obſerv. 100. *Malus pleniflora* a Jonſtono Dendrolog. p. m. 2. *Citri* et praeſertim *Aurantiorum Arbores* ſumme pleniflorae a Volckamero Heſp. Nor. Tom. I. p. 201. Tom. II. p. 90. p. 116. 137. 199. citatae, ſuppeterentque aliae plures hic nominandae. Nolo et hic deſcendere ad monſtra proprie ſic dicta florum, qualia abunde Ephemerides noſtrae ſuggerunt e. g. Chryſanthemum D. I. A. IX. Obſerv. 3. et alia innumera, minime enim ſunt ex claſſe florum proliferorum, quorum unus ex altero ſibi homogeneo regulariter et perfecte prodit, ſed nonniſi ad excreſcentias plane anomalas et deformes ablegantur.

A Floribus potius ad FRVCTVS ipſos aſcendendum, et
28 praecipue ad CITROS multiplicis ſortis, qui Cluſio et aliis praegnantes et PROLIFERI audiunt.

Mali CITRII in CITRO matre prolifera incluſi exempla conſignarunt Wormius, Doldius, Bartholinus, Willichius, Scheinerus, teſtante Sachſio praelaudato Gammarolog. p. m. 144. et Ephem. A. N. C. D. I. A. I. p. 121. nec non J. D. Majore A. III. p. 432.

Citrum praegnans triplex diſtinctiſſime deſcribit teſtis

αὐτόπτης

αὐτόπτης Crœſſelius Eph. D. I. A. IV. et V. Obſerv. 54. ſed absque icone. Interim deſcriptio accurate fere conſona eſt iconi inferius (Num. marg. 30.) a me delineatae Ferrarii, quam vide ſis.

Citrum multiplici et ſextuplici foetu praegnans depingit Tom. I. p. 173. praefatus curioſiſſimus Volckamerus Heſperidum Noricarum Fol. An. 1708. 1714. Tomis duobus ibidem lingua patria editarum opere vere regio, et non tantum deſcriptionibus abſolutiſſimis, ſed et nitidiſſimis Tabulis aereis Heſperia omnis ſortis mala repraeſentantibus ſpectatiſſimo, vereque digno, quod Erhardus Reuſchius latiali toga indutum et diſſertationibus ſelectiſſimis adauctum nuper exornaverit.

Citrum in citro elegantiſſimum hic Vratislaviae inter alias dapes rariores, dum illuſtriſſimae aliquando tabulae intereſſet, ſemet conſpexiſſe, coram mihi, triennio circiter abhinc, teſtabatur Plen. cum Titul. Dominus Joh. Chriſtophorus L. B. a Rommerskirch Canonicus Vratislavienſis. 29

LIMONES praegnantes duplices, triplices et multiplices, nonnulli utplurimum cum citris praegnantibus velut aliquali ſynonymo commiſcent, ſub quorum titulo et ſupra partim indigitati ſunt. Huic autem pomo prae aliis ejusmodi ſuperfoetationem familiarem Ferrarius jam Heſperidum Lib. III. cap. 19. p. 263. adnotavit, iconibus ac exemplis pereleganter confirmavit. Deſcriptiones quidem excerptae habentur Ephem. A. N. C. D. I. A. III. Obſerv. 241. Schol. ſed icon nulla, quod dolendum, ibidem eſt addita. Quapropter vitio nemo vertet, quod, (ne Ephemerides noſtrae diutius hujusmodi figura careant) dictum LIMONIS CITRATI PROLIFERI ICONISMVM ex *Ferrario* 30 et Jonſtono Dendrograph. Tab. X. p. 18. hic loci tabula aenea communicaverim, (quales et alii multiplices ac ſextuplices in Volckam. Heſp. Nor. Tom. I. p. 117. ſeqq. extant) *Tabula* igitur *noſtra figur.* 7. Limonem Citratum velut matrem proliferam ſiſtit in quatuor ſegmina (literis d. d. d. d.) ſtudioſe diſtincta a ſummo ad imum conciſam, litera b. b carnem matris candidiuſculam deſignante. Foetum incluſum priorem in tria pariter

ſegmenta diviſum literae a.a.a. indigitant, ea propter ſcilicet diviſus et diſſectus conſpicitur, ut pateat foetus alter c.c. integer fere, in priori foetu a.a.a. contentus. Hi quidem foetus arcte ſe invicem contingunt, ſed cum quilibet eorum cute tenerrima perfecte citricolori gaudeat, facillime a ſe invicem ſeparari poſſe, et guſtum olfactumque non parum demulcere referuntur. Equidem me non latet Dec. I. Eph. A. IX. X. Obſerv. III. et D. II. A. X. Obſerv. XI. figuras aliquot citrorum manuformium vel polychiroideorum adeſſe; ſed has ipſi Auctores ad monſtra citrorum referunt, quare huc ad citria mala in citriis perfecte prolifera penitus non pertinent. LIMON CITRATVS PYRIFORMIS PADVANVS
31 praegnans, alias Bergamotto foetifero da Padova dictus, intimiorem nunc meretur conſiderationem, cum in Ephemeridibus noſtris nulla ejus mentio huc usque ſit facta. Deſcribit hunc et ad vivum delineat inclytus *Volckamerus* Heſp. Noric. Tom. II. p. 143. 145. cujus ICONEM noſtrae ſub figur 4. 5. 6. TABVLAE hic addendam operae pretium judicavi. Exhibet figura 6ta Limonem integrum, cujus umbilicus inſigni hiatu perruptus eſt, exitum patefaciens duobus foetibus citriis a. et b. notabili prominentia conſpicuis et inſtar gemellorum ſibi mutuo junctis. Figura 5. cernitur limonis matris per medium diſſectae medietas, cujus circa umbilicum ſinus excavatus ſatis, liter. c. c. c. notabilis, pellicula ſubalbida veſtitus, nunc a foetibus ſuis facillime ſeparabilibus liberatus et vacuus apparet. Figura 4. dat alteram matris medietatem, cujus in ſinu proprio et ſuperiori foetus gemelli ad dimidium usque reconditi ſunt, dimidium autem illorum antrorſum a. et b. protuberat. Plura quae de foetibus hisce citriis addit Volckamerus; cutem ſcilicet eo-
32 rum matri concolorem, mature auream teneriorem et cuivis propriam obtigiſſe, quare facillime ab invicem aeque ac a ſinu matris avelli potuerint, nec non odore medulla ſucculenta et ſapore gratiſſimis limoni matri palmam eas dubiam reddidiſſe, ac inſuper anatomiam gemellorum fuſiorem Benevolus Lector in ipſo Au-

Auctore evolvere haud gravabitur, ubi et p. 146. l. c. limonem Bergamottum monſtroſum foetiferum inveniet.

Praeter Limones nunc recenſitos triplices, alios quoque multiplici foetu praegnantes ex Ferrarii Heſperidibus Dendrographiae ſuae, iconibus additis, inſeruit Jonſtonus pag. m. 18. Tab. X. XI.

Mala AVRANTIA FOETIFERA, quibus confinia Lacus Benaci (vulgo Gard-See) abundant, enumerat Volckamerus l. c. Tom. I. p. 202. figur. c. et Tom. II. p. 199. 200. ac ex Ferrario Jonſtonus l. c. p. m. 24. Tab. XVI. de Aurantio foemina foetifera differens. Aurantium Citro praegnans ex P. Bocconis Icon. et Deſcript. Plant. Sicul. p. 3. allegat Excell. Valentini Eph. A. N. C. D. III. A. II. Obſ. 118. 33

Pomum Aureum SINENSE foetum ferens Sereniſſimo Haſſiae Landgravio peramatum, et Lugd. Batav. An. 1694. Diſſertatione ſingulari celebratum, Idem Valentini ibidem commemorat.

Poma ADAMI praegnantia habet Volckamerus lib. cit. Tom. II. p. 138. 141. et ex Ferrario Jonſtonus p. 21. Tab. XIV.

Pomum Adami monſtroſum Volckameri Tom. II. p. 137. hujus non eſt loci: meliori jure demum nominatur

Pomum Citratum cum pediculo (qui ex umbilici centro prodit:) et quidem foetiferum. Volckamerus illud Tom. I. p. 175. Cedrato col Pigolo vocat, quod cum Pomi Judaici proprie ſic dicendi charactere l. c. p. 121. tantum non exacte convenit a Judaeis vulgo POMVM PARADISI appellatum.

Coeterum non dubitandum eſt, longe numeroſiora citrorum variae ſortis proliferorum colligi poſſe exemplaria, ſi cui occaſio pateret, omnes ſcriptores de Heſperidibus a praelaudato Reuſchio in Diſſertatione ſingulari Heſperidibus Volckamerianis adjuncta allegatos ex inſtituto pervolvere.

A nobilioribus ad ignobiliores fructus deveniendo, reſtat POMVM COMMVNE praegnans, Gammarolog. Sachſian. p. m. 144. et Eph. A. N. C. D. I. A. I. p. 121. laudatum: atque 34

NVX JVGLANS VVLGARIS DVPLEX, quam ego αὐτόπτης adhuc aſſervandam, et, ne ſpatium relinqueretur vacuum, TABVLAE noſtrae Figura 8. hic, de ſuperfluo quaſi, in icone communicandam, minime autem pro arcano rariſſimo venditandam exiſtimavi. Licuit mihi An. 1716. in hortulo ſuburbii civici tunc conducto eam ſponte deciduam, caſu decerpere.

Primum iſta calyci ſuo pulvinato ſive cortici exteriori ſubviridi et ſucculento incluſa, nec magnitudine reliquas ſuperabat, nec aliud quicquam extraordinarii oſtentabat: poſtea vero calyce a. a. a. a. ab utraque parte diducto, nuces duae Num. 1. 2. notatae, a ſe prorſus invicem ſeparatae apparebant, quarum utraque tam in parte convexa externa c.c. quam interna plana b. b. putamine ſuo lignoſo ſibi proprio munita et circumveſtita

35 erat. Sed ſi unicam ex illis num. 1. ſeparate conſideres, vix ea pro perfecta et penitus completa nuce haberi poterit, cum ambitus putaminis lignoſus non totus ex oblongo rotundus vel convexus, ut ordinario ſolet, ſed litera c. exterius ſaltem convexus, interius autem lit. b. planus appareat, et nucleus contentus non quadripartita ſed bipartita tantum diſtinctione gaudeat, alteraque nux num. 2. aeque incompleta ac prior, 1. ſe habeat, ut adeo in his naturam luſu ſibi familiari aliquando aberraſſe ſaltem, in aprico ſit.

Porro diffuſum nimis foret, *Fructus* varios ea ratione pro-

36 liferos, ut *in* ſummo *umbilici apice* non fructus quidem ſed *flores* novos copioſe progenerent, undique hic colligere, qualium Ephemerides A. N. C. D. I. A. VI. VII. p. 347. D. III. A. IV. p. 47. 66. Centur. III. IV. p. 351. *Pyrorum* autem efflorescentium et quidem ſylveſtrium Sileſiacarum Hermannus Theologus, et Phyſicae Patriae ſcrutator ſolertiſſimus Maslographiae Curioſ. Bregae An. 1711. in 40. p. 243. Tabul. XIV. fig. IX. mentionem ex inſtituto injiciunt. Pariter praetereundi nobis ſunt FRVCTVS CEREALES praeter modum proliferi e. g. *Hordei* ſpica ſingularis in Sileſia nata Eph. D. I. A. II. Obſ. 112; et *Tritici* ſpica largiſſima et incredibilem fere in modum multiplicata, cujus iconiſ-

37 mum paucis abhinc annis Vratislaviae circumferebant, natales

autem a Javorenſis agri confiniis derivabant, variisque annonae, ut moris eſt, auguriis comitabantur nonnulli; (qui fidem rei, ſi placet, tueantur) nec non *plures* hordei et tritici *ſpicae luxurioſae* apud Vallemontium p. m. 162. 182. et praelaudatum Hermannum Maslograph. p. 245. ſ.

In REGNO ANIMALI primum ſibi locum vindicat ipſum, quod prima animantis rudimenta continet, *Ovum* gal- 38
linaceum alio *praegnans ovo*: cujus exempla prius in pago Daniae alterum in Technicotheca Regia Danica, tertium in Anglia tunc temporis obſervata, ex Sachſian. Gammarolog. p. 895. et Eph. D. I. A. I. p. 120. 122, pluraque parallela ex D. I. A. II. p. 342. 348. A. III. p. 51. A. VI. VII. p. 115. Dec. II. A. I. p. 38-122. hic citaſſe ſufficiat. *Animal in animali* ſibi non prorſus homogeneo, quaerentibus, curioſum vel unicus *Bombyx* dat ſpectaculum. Velut enim in ovulis bombycum diſtincte bombycem ipſum contineri oculatiſſimus Leuvvenhoeckius armato oculo vidit; (Vid. Epiſt. ejus IVta ad Reg. Societ. Londinenſ.) ſic papilionem certa quadam et inſita praediſpoſitione exiliſſimis rudimentis in bombyce jam latere, exinde probandum videtur, quod ex mortuo bombyce (cum prius ſemet in domuncula e ſerico contexta ſepeliverit,) prodeat et admirabili metamorphoſi procreetur novum iſtud animalculum papilio: quam metamorphoſin curatius depingunt Acta Anglicana ab A. 1665.-1670. in Germania in 4o. recuſa p. m. 67. Conferantur et de Bombycum generatione Malpighius de Bombyce diſſertatione Lond. 1669. in 4o. figuris illuſtrata, et Act. Erud. Lips. Decen. I. A. VIII. p. 172. *Foetum in foetu* propoſuerunt Sachſius Gammarolog. p. 144. et Eph. A. N. C. D. I. A. I. p. 121. 122. D. II. A. III. p. 163. quorum teſtimonio multiplici Foemina foetum alio foetu, Mus murem alio mure praegnantem, Equa mulam alia mula, vacca vitulam alia vitula, vermes et lumbrici foetus ſui 39
generis praegnantes pepererunt. De ipſis *Foeminis, matribus* nempe triplici, multiplici et numeroſiſſimo partu praeter modum *proliferis* et foecundis exempla congerere vulgo ventilata, 40
hujus

hujus non eſt loci nec thematis, facile enim ex ſolis Ephemeridum Voluminibus inprimis Dec. II. A. II. p. 26. 298. A. IV. p. 146. D. III. A. II. p. 264. A. VII. VIII. p. 373 A. V. VI. p. 354. &c. et ex ſcriptoribus Medicis fere innumeris infinita exempla coacervare poſſet ille, cui actum agere aut juſtum volumen conficere curae cordique foret.

In *REGNO MINERALI* conſiderandum ſeſe offert *ſo-*
41 *lidum in ſolido*, quam materiam fere omnem exhauſit ſolidiſſimus Steno in Diſſertatione cognomini Florent. 1669. in 40. et prodromo diſſertationis Lugd. Batav. 1679. in 12. editis. Lubens autem hic praetereo frequentiſſima *exempla*, quae *in ſenſu latiori* Steno Parte III. praecipue ad hoc thema revocavit: Nempe ſolidum corpuſculum in alio corpore ſolido, ſed ſibi heterogeneo contentum, e. g. animalcula et inſecta in lapidibus ſolidis incluſa, calculos, vermesque et alia in ipſis animalibus producta, mineralia et vegetabilia vel ſaxis et terris incluſa, vel incruſtata, vel lapidefacta, vel ſtrato ſuper ſtrato, aut per filamenta, ramos, fibras invicem concreta; lapides inſuper, marmora, et conchylia &c. certis vegetabilium aut animalium figuris notata (de quibus Sachſius Gammarol. pag. 146. Mylius Memorabil. Saxon. ſubterran. Relat. IV. aliique; de Adamante vero in ſmaragdo, Malachite in cyaneo, Coralliis in achate, Amethyſto in cryſtallo contentis Velſchius Eph. D. I. A. III. Obſ. 32. conferantur:) Huc igitur unice refero *exempla* ipſius
42 Stenonis, quae in *ſenſu ſtrictiori* titulum hunc merentur, nempe *ſolidum in ſolido* ſibi *homogeneo* et *cognomine* contentum. e. g. *Selenitem in ſelenite*, Cryſtallos in cryſtallis, Marcaſitam in marcaſita, de quibus Autor loc. cit. fuſius agit. Praeter haec Stenoniana exempla, lapidis *Aetitis* praegnaturam variam ex inſtituto enucleavit Illuſtr. Bauſchius ſchediasmate curioſo de Aetite et Haematite Lipſ. A. 1665. in 8. et Boëthius in Hiſtor. Gemmar. et Lapid. Hanov. A. 1609. in 40. p. m. 186. De generatione lapidis Bufonitis in echinometris vid. Eph. D. II. A. IX. X. p. 118. Porro de *Lapidibus praegnantibus* e. g. ſilicibus, cheloni-

lonitibus, Conchitibus, Priapolithis adeundus Sachſius Gammarol. p. 145. et hinc Eph. D.I. A.I. p. 121. ac Mylius Memorab. Sax. ſubter. Lipſ. 1709. in 4o. Relatione Vta. Tantum de Exemplis!

Quod Cauſas Praegnaturae in triplici Naturae regno concernit; illas quidem, quae *regnum Minerale* tangunt, ſolida in ſolidis reſpiciendo, praelaudatus Steno paſſim, cum ſecundum locorum varietatem varient, exemplis ipſis intermiſcuit; quas hic non excerpemus ſingulas; (de vegetabilibus namque agit praecipue Obſervatio:) ſufficiat in genere adnotaſſe, Stenonis ſententiam eo collimare, quod ſolida in ſolidis ob materiae craſſitiem et duritiem rarius active ſe habeant, ſed ſaltem paſſive, aliud in ſe corpus continendo; quod ſolidum internum minus in ſolido majore contentum et ab hoc circumdatum prius neceſſario extiterit corpore circumdante, et tunc cum circumdari inciperet, jamdum induruerit, corpus autem circumdans fluidum et flexile quaſi adhuc exſtiterit, donec ſucceſſive in ſimilem duritiem coiverit; denique quod nonnullae cauſae a ſole, vel a natura mineralium, interdum ab accretione vel mutua appoſitione vel repletione vel incruſtatione ſint derivandae. De lapidibus porro an vita gaudeant, an generent Vid. Sachſius Gammarol. p. 143. 43

Cauſas virtutis proliferae *in regno Animali*, quoad generationis praeſertim humanae negotium tot auctores Phyſici et Medici et tam prolixe diſcuſſerunt, ut his excerpendis paginas obruere pariter ſuperfluum videatur. Paucis: Elsholzius Eph. D. I. A. VI. VII. p. 116. cauſam omnem credit aut errorem plaſtices primo ſtatim conceptionis momento commiſſum, aut ſeminalis virtutis praeabundantiam et laſciviens robur: Conferatur modus et cauſa generationis in ovis duplicibus ad Jungii mentem Eph. D. I. A. II. p. 349. 44

Noſtri nunc potius eſt inſtituti, *Vegetabilium proliferorum et foetiferorum cauſas* paulo diſtinctius hic perpendere, quarum varias partim *generales* partim *ſpeciales* ab auctoribus infra citandis variis, hinc inde ſparſim adductas colligere, et *ſub XII.* 45

Append. Cent. VII. et VIII. n titu-

titulis, ut ordo diſtinctus adſit, proponere libuit; nemini contrariando illas ad plures extendere vel ad pauciores redigere titulos et curatius diſponere, aut alias et diverſas magisque ſonticas his addere et conquirere cupienti. Licet autem hiſce ex cauſis non omnes ad noſtram proliferam Vratislavienſem roſam applicari poſſint, potiſſimis tamen applicationem ſubnectere licebit.

46 *Cauſa Prima, Idioſyncraſia vegetabilium* quorundam et quidem pauciorum, ſive ſingularis diſpoſitio naturalis, ipſis inſita et quaſi propria, ut prolem diſtinctam proferant, perfectamque producant. Quippe non omnis generis flores hanc virtutem habere connatam conſtat, ac praeter ſuperius recenſita pauciora, (ſi ad numerum eorum in ampliſſimo Florae regno fere innumerum reſpicias) exempla, vix invenire plura dabitur, quae non ad recenſitas claſſes commode referri poſſint. Imo ex ipſis his exemplis nonniſi roſarum, caryophyllorum, et ſcabioſarum ſortes hanc ſibi virtutem prae reliquis omnium frequentiſſime vindicant; ideo forte quod calyces eorum interdum prae coe-
47 teris capaciores ad fovendum florem duplicatum, et caules aptiores ad transmittendam et calyci communicandam materiae nutritiae et ſeminoſae copiam praepollentem ac flori duplici ſufficientem, ſua natura exiſtant. Nec fructibus omnibus generis foetura familiaris accidit: ſolae tantum non citrorum ſpecies et limonum hoc ſibi ſervant prae vulgaribus aliis, proprium, ob ſucci balſamici in ipſis abundantium, monente Apino Eph. D. III. A. IV. p. 67. ideo quod notum ſit, nitroſi ſeminis pinguedine vim ſeminum ſaepius multiplicari.

Cauſa IIda. Tempus anni conſueto magis proliferum. Hanc cauſam agnoſcit Schelhammerus, dum Eph. D. II. A. VI. p. 210. uno eodemque anno flores proliferos plures, et fructuum horaeorum copiam uberiorem multis in locis ſimul ſe exeruiſſe; et Cnoeffelius, dum valde foecundam tempeſtatem eodem, quo roſa ejus prolifera effloruit, anno, D. I. A. IV. V. p. 46. fuiſſe,
48 adnotavit. Hoc quidem tanto magis mihi arridet, quod parili exem-

exemplo annus 1713. Roſae noſtrae proliferae natalis permultos, ſi non omnes, Vratislaviae et confiniorum hortos ſat larga fructuum horaeorum meſſe beaverit; ac morus in aprico plateae prope fores domicilii noſtri in excubiis poſita valde ramoſa, baccis tunc adeo fuerit obſita, ut ex ramorum plurimorum ſurculis lateralibus vix duas ſpithamas longitudine aequantibus, haud raro prope viginti verticillatim velut diſpoſita legi potuerint mora, mole guſtuque ſubacidulo ſuaviſſimo praecedaneis annis multo praeſtantiora. Paucis: aderat eorum

Copia tanta, velut vaccinia nigra leguntur.

Adeo vero per foecunditatem ejusmodi praeabundantem morus virtute decrevit, ut ſubſequis annis quadruplo minimum pauciores numero baccas praebuerit.

Cauſa III. Soli et regionis per naturam ad foecunditatem diſpoſitio. Equidem *Americae* regiones quasdam ob incredibilem fere foecunditatem in promovendo fructuum uberrimo proventu, Acoſta Hiſtor. Natural. American.. teſte Rob. Boyle Utilitat. Philoſ. Natural. Experimental. p. m. 447. 448. extollit: Sed nec Europae provinciis nonnullis eodem gradu ſatis abundanti, deeſt, prout cujusque ſoli fert natura. Ferrarius Heſperid, 49
Lib. III. cap. 19. p. 263. *Toſcaniae* provinciam praeſertim in confiniis Piedra Sancta vocatis, hoc a natura, ſitu, circumſtantiis aliis particulare habere praedicat, quod plurimis in locis agri fructus duplices et ſuperfoetationes miras in regno vegetabili oſtentent, ſecundum Vallemontium p. m. 179. Volckamerus certe Oper. citat. *Lacus Benaci* (des Gard-See) confinia citrorum foecunditati prae aliis faventiora paſſim tradit. De fertilitate inſigni *montis Veſuvii* ejusque cauſis legi meretur Caſp. Paragalli Hiſtor. Natural. hujus Montis Neapol. An. 1705. in 4. cap. VII. p. 68. ſeqq. Imo in genere *Italia* hanc tuetur gloriam, quod floribus citrisque proliferis non raro ſpectatorum oculos guſtumque demulceat, quod praeter Ferrarium plures Itali, Calcagninus puta, Natus, Aldrovandus, Auguſtinus Mirandolanus, &c. ſcriptis ſuis et Lanzonus in Citrologia Curioſa

Ferrar. 1690. in 12. tradiderunt. In *Germania* foeturam ejus-
50 modi rarius quidem, attamen, noſtro inprimis ſeculo ipſi Italiae, ſi culturam ſolertiſſimam attendas, ad ἀκμὴν usque aemulo, interdum certe variis in hortis ſe exeruiſſe Volckamerus fuſe, et ex parte Loſelius Tract. de Citro Praegnante An. 1645. in 4. edito enarrarunt: cujus rei exempla ex praecedaneis Obſervationis paginis liquent. Nec mirum quod, uti in exteris ſic et in Germanicis provinciis, ſoli unius prae altero foecunditatem ſuperabundantem ipſa experientia detegat; cum et agros fertiliſſimos in uno eodemque diſtrictu agris vicinis ſibi prorſus contiguis infoecundis adjacere tota die eveniat; pari ratione ac per phaeno-
51 mena Phyſica conſtat, non infrequens eſſe, ut pluviae in una eademque urbium vel pagorum platea decidentes ſiniſtram aedificiorum ſeriem interdum irrigent, dextram vero ex adverſo poſitam relinquant intactam; aut grandines tempeſtuoſae frumentum jamjam matureſcens per plures agrorum ſibi continguorum plagas penitus ſaepe diruant, annonae autem vix quinque pedes diſtanti parcant. Etenim et Schelhammerus Eph. D. II. A. VI. p. 210. aëris aut ſoli ab aëre influente diverſum in modum modificati ſingularem quandam diſpoſitionem proliferationis vel promotae vel impeditae cauſam non ultimam judicat.

Cauſa IVta. Nutritionis conſuetae adeoque et nutritionis luxurioſae ſive prolificationis materia ſeminoſa ab aqueis et terreis particulis ſimul, ejusque modus per ſucci aſcenſionem et circulationem. Quippe quod in genere de modo vegetationis plantarum dicitur, id etiam ad proliferationem certo ſenſu paucis mutatis, applicari non incongrue poſſe videtur, ſi audiamus
52 the Worcks of Rob. Boyle epitomiz'd per Rich. Bulton London. 1708. in 8vo. Materiae nempe ſeminoſae in matre roſa contentae abundantioris et motus ultra tendentis diſpoſitionem, modificationem et determinationem quandam certam et ſingularem, nec non accidentium quorundam unionem et acceſſum, veram proliferationis roſeae cauſam, ſi non unicam certe ſociam, agnoſci debere. Vid. Volum. I. Lib. I. cap. 1 - 10. Haec quoque prae-

abun-

abundantia materiae ſeminoſae et alimentaris nutrimento cedens flori cauſa proliferationis ab Excelll. Schelhammero Eph. D. II. A. VI. p. 209. confirmatur; qui idem et ſeminis corculum, ex quo prorumpit germen duplicis plantulae (addo et ſubinde floris) principium occultaſſe et ſubſequo tempore evolutum exhibuiſſe autumatur. Huc et collimant quae Carl Leigh in Natural Hiſtory af Lancashire, Oxfort 1700, in fol. Lib. I. cap. 53
V. ſentit: Vegetationem naturalem (hinc et, addo luxurioſam ſive proliferam) non a ſola terra nec ſola aqua, ſed binis conjunctis originem ducere, quatenus ſcilicet particulis terreis, aereis, bituminoſis etc. quae pro diverſitate vaſorum vel admittuntur a plantis vel reſpuuntur, ſint impraegnatae. Eandem fovet mentem celeberrimus Wedelius Phyſiol. Reformat. p. 196. Fomenta vitae vegetativae abſolvi principio aqueo, ſulphureo nutribili, hocque eſſe principium tam in minerali et animali quam vegetabili regno, accuratiſſime evincens. Aliam tamen Woodwardus fert hypotheſin, qui, inſtitutis experimentis variis, aſſerit: Nullam quidem ſine aqua procedere vegetationem, ſed a- 54
quam vehiculi in modum ſe gerere, ac ininterſtitiis ſuis ſphaericis apte continere ignavam terreſtrium particularum materiam, hacque ſecum in plantae caulem avehere et evehere, atque ſurſum attollere, ibique in nutrimentum plantae eas relinquere; aquam vero exhalare et per ſe non ingredi conſtitutionem ipſam plantae, nec ſubſtantiam ejus augere. Adeantur de his inexhauſti omnigenae eruditionis fontes, Acta puto Eruditorum Lipſienſia in 40. A. 1700. p. 89. Tandem ex Nehemiae Grew et Malpighii Anatomiis plantarum ſequentia brevibus hic concentrare liceat: quod ſuccus nutritius ex diverſimodis terreis, ſulphureo-pinguibus, muriaticis et varii generis nitroſis terrae foecundioris particulis ab aqua pluviali per ſe jam foeta ſaepius impraegnatis et a ſole blando fovente ac quaſi fermentante ſucceſſive coquatur et perficiatur, idemque ſuccus per poros et tubulos fibrasque permeabiles, ramorum et caulium inſeratur, aſcendat, et eo usque continuo circuletur, do-

nec flori vel fructui deliteſcentibus ſufficiens vel ſuperfluum et ſuperfoetans ſaepe incrementum inde acceſſerit, atque vel iſtorum dehiſcentia vel horum maturitas inſecuta fuerit; et hinc quo aptiora ſint vaſa et caulis, eo magis prolifera ſaepiſſime pro-
55 cedat nutritio. Haec igitur omnia inprimis quoad prolificationem ab aqueis et terreis particulis ſimul, hujusque modum, applicari commodiſſime ad noſtram proliferam roſam, poſſe, ſubſequentes circa obſervationis finem ſpecialiſſimae cauſae et anatomia roſae declarabunt. Inſuper et hanc ſucci aſcenſionem, circulationem et modificationem in arborum aeque ac in plantarum et fruticum claſſe, hincque petenda nutritionis, foeturae et ſuperfoetationis phoenomena varia referri ſuo ſenſu poterunt, quae in Transactionum Anglicanarum usque ad A. 1700. a Joh. Lowtorp Londini A. 1705. in 4o publicatarum Volumine IIdo in Themate Botanico, extant, et per ſingularia Baelii, Tongii, Willoughbaei, Wraei, Liſterique experimenta comprobantur.

Cauſa quinta: Effloreſcentiae modus: Sic fructuum foetiferorum
56 inprimis citrorum cauſam ſaepius, licet non ſemper, exiſtere effloreſcentiam arboris plenifloram (doppelt gefüllte Blüthe) Volckamerus Heſperid. Noric. Tom. I. p. 117. 118. Tom. II. p. 143. et Ephem D. I. A. III. Obſerv. 241. Scholium indicat. Optandum praeterea foret, obviam magis eſſe et haberi poſſe celeberrimi Nebelii, Medicinae in Vniverſitate Marpurgenſi Profeſſoris Publici, et nunc Medici ſimul Aulici Electoral. Palatini, Academicique Curioſi meritiſſimi, diſputationem inauguralem de Malo Citreo Heidelbergae An. 1686. habitam, in Ephem. D. III A. II. p. 182. celebratam eo, quod praeſertim in cauſas citrorum et fructuum proliferorum, nec non animalium et mineralium praegnantium ſolidiſſime ibi inquiſiverit Auctor. Eam tamen fruſtra hic Vratiſlaviae et alibi a me quaeſitam doleo, ſperans interim obſervationem hanc ultra 30. annos recentiorem, nonnulla minimum propoſuiſſe vel collegiſſe, ibidem ob tantum temporis intervallum forte non invenienda; pariter ac facile praevidere licet,

diſqui-

diſquiſitiones meas qualescunque *ἀκρίβειαν* praelaudatae diſſertationis minime aequiparaturas.

VI. Cauſae occultae. Has certe naturae ſcrutatores plurimi et in his celebris Steno prodrom. Diſſertat. citatae p. m. 18. agnoſcere pudori non ducunt. Illis enim ſubinde Divini quid, et vegetabilibus per naturam inſiti incogniti quid vel ab intellectu noſtro remoti ineſſe, quis negaret? adeo ut ſeculo praeſertim noſtro tot hypotheſium, haud raro ſibi directe contrariantium feraci, in eis acquieſcere, quam aut dubium huc illuc vagari, aut fallaciam non cauſae ut cauſae admittere, aut hypotheſi, ob ſequelas ſat ambiguas et ſubinde profanas inde eliciendas, nonnunquam ſuſpectae et paradoxae ſe mancipare, conſultius appareat. Minime tamen, qui nunquam ſe otioſum gerere cupiet, ad aſylum occultarum citius confugere tentabit, quam ad cauſarum in praecedentibus et ſubſequentibus hic adductarum vel aliunde petendarum normam phoenomena vegetabilium proliferorum diſtincte examinaverit; nulla vero earum probabili vel ſufficiente deprehenſa, tandem abire ad occultas coactus fuerit. 57

Cauſa VII. Terrae ſive agri conditio, cui vegetabilia immatriculata ſunt. Terram puram et a lolio graminum et herbarum excreſcente et frutici nutrimentum detrahente, probe repurgatam nonnulli Auctorum, ſub exemplis proliferarum ſuperius allegati requirunt; qualem et noſtro frutici agricultor divendens exhibuit, cujus regulam de lolio eruncando frequentius, et ego cum ſucceſſu fui ſecutus. Terram ab agro *ruderato* mutuatam roſis proliferandis amiciſſimam eſſe, Bauhinus jamdum Hiſtor. Plant. Lib. XIV. cap. 32. praeter alios teſtatur. Pariter vaſis, cui frutex noſter roſeus commiſſus erat, medietati ſuperiori X pollices profundae a ſummo ad medium usque, terram ruderatam ſe indidiſſe aſſeverabat agricultor, quatenus ejusmodi terra amplectendis nonniſi fruticis radicibus ſufficeret. (Vid. ſupra numer. marginal. 4.) Alteram inferiorem ſcilicet medietatem vaſis, a medio usque ad fundum, X itidem pollices profundam, terra *agri fimo optimo bene impinguati* (num. marg. 4.) reple- 58 59

repleverat, inſimul aſſecurans, ſe aliosque ſui generis utpluri-
mum vidiſſe roſas licet non prolem ferentes, tamen per ſe co-
pioſiſſimas eſſe enatas in fruticibus, qui a terra tam ruderata
quam probe infimata nutrimentum ceperant; vix enim dici
poſſe, quam blande foveat et fertilitate ſua impraegnet rude-
ratam infimata fundum occupans, et vehiculi aquei, aëris, ſo-
60 lisque virtute diverſimode convenienterque actuata. En cau-
ſam ſociam ex potioribus non poſtremam, quae prolificatio-
nem roſae noſtrae adjuvaſſe videtur. Rei probabilitatem et
poſſibilitatem ſuffulcit experientia teſtimoniis firmata tot Au-
ctorum, ex quibus paucula ſaltem hic concentraſſe ſufficiat.
Vallemontius loc. cit. p. 169. 170. 190. Glauberus de Mercurio
Philoſophico, et Ephemerides Acad. Nat. Cur. paſſim in eo
concordant, quod agris ſtercore equino et vaccino impinguatis
copioſiſſimum accedat *nitrum proliferans*, abunde in fimo et
fimetis contentum ac aëri ipſi commiſtum et combinatum;
quodque nitroſa et lixivioſa muria ejusmodi agros impraegnans
(vid. Kenelmus Digby in Medicina experimentali paſſim) non
modo multiplicata frumenti ſemina, ſed etiam frutices agris com-
miſſos foecundiores et ſubinde proliferos efficiat. Quomodo au-
tem agris ejusmodi inhaerens nitroſa virtus ab aqua pluviali reſol-
vatur et ſuccum plantarum aſcendentem nutrientemque magis
magisque impraegnet, eique intime commiſceatur, innuit Boyle
Philoſ. Natural. Experimental. p. m. 444. Porro cauſam omnem
61 incrementi et foecunditatis ſuperfluae plantarum, a *Salium va-
riorum* nitroſorum et muriaticorum miſtura in agris vel benefi-
cio naturae vel artis rite praeparatis, dependere, fuſe proſequi-
tur Caſp. Paragallus Hiſtor. Mont. Veſuv. Natural. cap. VI. p.
83-112. Vbi Veſuvii fertilitatem omnem inſolitam, nonniſi
cineribus montis adſcribit, quos praeter ſalem nitri ac particu-
las ſulphureas et bituminoſas, armoniaco etiam ſale inſigniter
luxuriare deprehendit: quod ipſum armoniacum ſal, eodem aſ-
ſerente, non poteſt non cum fertilitate eſſe conjunctum. Tan-
dem cum arbores plane ſteriles ope fimi pinguioris, et prae-
parationis convenientis fructiferas effici conſtet; (Act. Anglican.
in 4o.

in 40. p. m. 771.) quare non vegetabilia jamdum florida et partim fructifera, floridiora longe et magis fructifera ac ſubinde prolifera efficerentur? ſi, adhibitis aliis cauſis ſociis, et agri bene infimati portio juſta eis accedat.

Cauſa VIII. Vas circumdans fruticem. In memoriam hic revocanda ſunt ſub initium obſervationis num. marg. 3. 4. monita; agricultorem forte fortuna vaſi ligneo ſatis amplo, XX. pollices transverſos profundo adeoque capaciſſimo, praetereaque valde carioſo et per putredinem hinc inde inchoantem arroſo, cum aliud ipſi tunc temporis non fuerit ad manus, fruticem noſtrum implantaſſe. Non abſonum ergo videtur, vas hocce recipiens ob tantam capacitatem, cariem, poroſitatem, inter cauſas ſocias foeturae roſeae retuliſſe, eo quod aëris et ſolis liberiorem acceſſum et intimiorem penetrationem admiſerit, quibus copioſa et ob cauſam ſeptimam per ſe foecunda terra inibi contenta in majorem motum et fermenteſcentiam mutuam agitari, ſuccusque nutritius abundantior in tanto ſpatio colligi, et radicibus fruticis non coarctatis ſed ſatis ab invicem diſtantibus et liberrime diſpoſitis, ſatque profunde terrae implantatis uberior communicari, et liberius inibi circulare potuit: quod *implantandi* et diſponendi *artificium* ipſa experientia non noſtri tantum; verum et aliorum hortulanorum, ſalutare fruticibus foecundandis accidere confirmat. Quid quod vas carioſum ob inchoatam jam putredinem per ſe aptiſſimum fuerit ad terrae fermentationem et majorem actuationem ſponte promovendam. 62 63

64 *Cauſa IX. Aqua naturalis pluvialis, vel artificialis irrigationi deſtinata.* Pluvioſa anni tempora ad proliferandos roſeos aliosque frutices ſymbolam optimam conferre compertum eſt: (conferatur D. D. Graſſius l. c. et Excell. Schmiederus Ephem. A. N. C. Centur. III. IV. p. 312.) Sic Digby des Plantes p. 115. aſſerit, pluvias ab aëre, qui copioſiſſimo ſale ſubdulci et oleoſis ſubtilibus particulis ſemper eſt impraegnatus, foecundari, hincque plantas longe magis evadere proliferas quam ab ▽a communi vel fontana; quorſum et haec Vallemontii p. 249: Ab

aëris et aetheris nitroſitate pluviae mire foecundantur, et plan-
65 tae foecundatas pluvias avidiſſime attrahunt, ac abſorbent; plu-
viarum autem immediate accedentium vicaria eſt aqua pluvialis
in vaſe collecta et irrorandis fruticibus diligenter adhibita. Conſi-
mili modo fruticem noſtrum pluviis frequentioribus ſatura-
tum, ac poſtea pluviali aqua collecta convenienter irroratum,
prolificationis hinc promotae felix exemplar dediſſe, ſuperius
num. marginal. 7 indicatur. Inſuper naturae vires artis auxilio
reduplicaturi nonnulli, *liquoribus* certis prolificis non parum tri-
66 buunt, ac *Nitri* virtutem prolificam in fimo vel agro praeparato
ſolido latentem ſupra laudatam, in fluido quoque ſive liquore
ſalibus nitroſis impraegnato concentrari poſſe reipſa declarant.
Hujusmodi *liquorem* certa nitri et ſalium e vegetabilibus variis
extractorum parte imbutum, mire prolificum, *materiam ſuam
univerſalem* appellat et praeparare docet ſaepius jam citatus cu-
rioſiſſimus *Vallemontius* Abbas, in Curioſitatibus Naturae et
Artis p. m. 142. editionis, quam generoſiſſimus et perquam ſtre-
nuus Vratislavienſium Senator F. L. a Bresler et Aſchenburg habitu
Teutonico nitidiſſimo induit, et 1708 adornavit. Ibidem *aquae
ſuae praeparatae*, ut vocat, mireque prolificae deſcriptionem
candide communicat, ac arbores floresque *aqua* hac et *liquore*
ſuo irrigare ſuadet praefatus Vallemontius, in eoque totus ver-
ſatur, ut nitri univerſalem foecundandi virtutem pluribus capi-
tibus exponat, adeoque unus inſtar omnium curioſis hoc loco
ſatisfaciat. Equidem *liquor* alius *Pharmacopolae* cujusdam tri-
67 tici grana admodum impraegnans deſcribitur Eph. D. II. A. V.
Obſerv. 229. huic tamen fides dubia redditur D. II. A. VI. p. 347.
De quodam ſane horti ſuburbani Vratislavienſis patrono ope-
rarius ejus mihi retulit, illum in amphora capaciſſima *aquam*
ſubinde colligere, et huic ſaepius *materiam ſubalbidam* in forma
pulveris groſſioris ſua manu ingerere, ſeque pluribus ex circum-
ſtantiis certo ſcire, *nitri* certo modo, forte cum aliis ingredien-
tibus praeparati portionem non exiguam huic materiae inter
alia admixtam eſſe; aquam autem a patrono ipſo cuſtodiri et ar-
bori-

boribus citriis certa menſura ſuperaffundi non omnibus quidem, ſed iis tantum, quos uberrimos Limonum majorum proventus exiguo menſium intervallo prae coeteris poſtea ſpectabiles reddidit. Adhibent alii *ſanguinem bovinum* recentem et putrefactum arboribus foecundandis, et virtutem ejus ob mixturam particularum, queis ſcatet, pinguium, oleoſarum, nitroſarum, et muriaticarum nares delicatiores ſatis ferientium non proletariam optimo cum ſucceſſu depraedicant.

Cauſa X. Sol tam orientalis quam meridianus, et locus umbroſus pariter ac apricus et laetus. 68

Locus aliquantum umbroſus et matutinis ſolis orientalis radiis patulus prolificationi conducit, teſtante D. D. Graſſio et aliis loc. cit. Quam loci conditionem et noſtro frutici, per fatum prima vice obtigiſſe, num. marg. 5. traditur. Cum tamen ibidem moneatur, fruticem poſtea certis de cauſis (Num. marg. 7.) ex umbroſo in apricum ſolis meridiani radiis urgentibus expoſitum locum ſubinde translatum fuiſſe, neutiquam haec viciſſitudo mutua ſibi contrariatur. Locum enim apricum ſive ſolum laetum ipſe D. D. Graſſius non rejicit; et ſol meridianus ſubinde accedens, praeſertim ſi ſponte admitti et ſucceſſive impediri poſſit, utramque abſolvit paginam, quare, paucis mutatis, huc, et praeſertim ad fruticem noſtrum applicari poterunt Excell. D. D. Schmiederi de Pyris efflorescentibus verba Eph. Cent. III, IV. p. 353. Aeſtus ſolaris interdum concurrens ſuccum copioſum ex praegreſſa pluvioſa temperie natum fortiter per arborum (addo et, per fruticum) caules permeabiles et appropriatos propellit, ut hinc extremitates fructuum (vel calyces gravidi florum) ad emittendos (et melius enutriendos ac maturandos) flores novos (ex ſe antea productos) diſponantur; (addo: et ſtimulentur eo usque, donec foetus ſuos, ſive flores novellos effloreſcentes reddiderit.) Tantum!

Cauſa XI. Ars et cultura ſolertior, naturae ſubveniens vel eam ſtimulans. Transplantationem arte et ſolertia inſtitutam et frequenter reiteratam praeſtantiores et foecundiores per- 70

ficere frutices, non modo Excell. Bauhinus Eph. D. I. A. IV. et V. p. 93. ſed et ipſa experientia affirmant. Nec errori quis vertet, ſi et haec inter ſocias, que roſam noſtram reddidere proliferam, cauſas nunc collocetur, cum ſuperius num. marg. 3. dictum ſit, quod agricultor fruticem noſtrum per ſeptennium fere cuſtoditum ſexta tandem a ſe vice transplantatum caſu venalem obtulerit, *artificiumque* ſuum *circa radices* fruticis certa ratione *implantandas* vel terrae immittendas ſub cauſa VIII. et num. marg. 63. cum ſucceſſu commendaverit. *Reſcindendas* ſaepius (öfters
71 beſchneiden) et a numero ramulorum nimio liberandos frutices, a quibus flores proliferos exoptamus, Exc. Volckamerus et Graſſius loc. citt. ſuadent. Effectus hujus rei ſperatus in fruticulis e. g. meliſſae, majoranae, menthae, ſalviae (ſi cultius tractentur) certiſſimus ſe prodit. Caules enim recenter progerminantes, ſi eo usque reſcindantur, ut nonniſi foliola infima in eis reſtitent, brevi poſt juxta haec folia cauliculos protrudent novellos et laterales, qui pari modo interdum reſciſſi ſecundos, et hi tertios, et ſic porro, laterales cauliculos agent, ac fruticem mire multiplicatum brevi praeſtabunt; quod ipſum etiam in Leucoiis ac Solſequio, unanimi horticultorum conſenſu impetrare cuivis licebit, ubi flores prope emortuos aut nimios ſaepius apte reſciſſos novi mox excipient et non raro pleniores flores. Conſulatur Wolffius Tractatu infra citando p. 16. Pariter et in noſtro frutice reſciſſio ab agricultore inchoata, commendata et a nobis interdum continuata non prorſus ἀσύμβολος cauſa proliferationis fuiſſe videtur. Imo reſciſſionem ejusmo-
72 di radicum ipſarum in arboribus, quarum fructus proliferos exoptamus, multum extollit Abrahamus Muntingius, Prof. quondam Academiae Gröningenſis, in curioſa deſcriptione plantarum, Lugd. et Vltrajecti An. 1696. in fol. Etenim arborum ex nucleis prognatarum, elapſo triennio, radicem recta deſcendentem (Hertzwurtzel) usque ad laterales amputare jubet, vulnereque cera obducto, luna decreſcente, eas denuo terrae committere, promittens futurum, ut tales arbores longe praeſtantiores

tiores et plures fructus ferant aliis inſitione ſola procreatis. Porro praecipit, inſitionem ſurculorum praeſtantium faciendam in arbores ejusdem ſpeciei radice media privatis, uti jamjam dictum, 73
et copioſum fructuum praeſtantiſſimorum (forte et foetiferorum) proventum ſibi hinc pollicetur. Plurimis quoque fructibus luxuriare arbores frigoris patientes v. g. malos aſſerit, ſi quotannis circa Novembris finem, ab earum radicibus ſuperioribus et craſſioribus terra auferatur ſpatio 3. vel 4. pedum, ipſaeque nudae et undique purgatae aëri libero expoſitae relinquantur usque ad Februarii medium, donec frigore corripiantur, ac tum demum ſtercore annali vaccino contectis, ad digiti altitudinem terra comminuta interponatur: quam regulam non pauci noſtrorum, horticultorum valde ſibi fatentur familiarem. Artem inſuper foecundandi et multiplicandi flores, inprimis et citros, pluribus anonymus Diſſertatione, Amſtelodami An. 1700. in 8vo de Deliciis et Arcanis Florum enucleavit. *Quid ars ipſa* va- 74
leat circa vas adaptatum frutici concedendum; circa pluvias admittendas vel praecavendas, et circa ſolis urgentiores radios vel avertendos vel admittendos; (quod praeſertim in fruticibus et arboribus minoribus in vaſe proprio huc illuc transferri aptis locum habet) circa aquam pluvialem aut liquores foecundantes artificiales pro lubitu tribuendas, circa terram agri artificio vario praeparati ſubinde adhibendam vel admiſcendam; *Cauſa ex mox praemiſſis* Septima, Octava, Nona et Decima abunde edocuit. His et colludit praeparatio ſingularis ſtercoris ad agros prolificandos Eph. D. I. A. II. p. 186.; ac artificium agris fertilitatem inſignem conciliandi, Transact. Anglic. ſupra citatae editionis Lowtorpianae volumine II. in parte botanica; nec non ſecretum progerminationem variarum plantarum intra horae ſpatium ex earum ſeminibus promovendi, quod inter alia plura Joh. Franc. Burrhus in Conclavi ad conclave ſecretius Colon. 1681. in 12. Epiſtola VIII. revelat. Si ad *cereales* inprimis *fructus* multiplicandos pauciſſimis excurrere conceditur, comme- 75
morandum venit *aratrum* a Lucatello Hiſpano inventum et in

o 3 mox

mox laudando Chr. Wolffii tractatu. p. 49. allegatum ac dijudicatum, quo cum coram Sacratiſſimo Imperatore Carolo VI. experimentum inſtituit, et id effecit, ut agri a quadruplo ad ſextuplum locupletiorem dederint meſſem: quamvis jampridem parallelam quodammodo ad arandum, aequaliter occandum, et ſimul ſeminandum inſtrumentum Ephemerides D. I. A. II. p. 187. adumbraverint. Nolim plus ultra divertere ad *Caſus fortuitos*, quibus ſubinde contigit, e. g. ut fluviorum excurſiones ſupra agros, ſi aquae ſint pinguiores, Eph. D. I. A. II. p. 187. vel inſignis ſeminum vento impetuoſo nonnunquam aliunde in locum unum delatorum et in unum corpus concretorum copia D. I. A. II. p. 185. extraordinariam praeſertim frumentis multiplicationem acceleraverit. Praeſtat demum in eo acquie-

76 viſſe, quod *Artem circa ſemen agro immittendum* ſeminisque conditionem Ephemerides loco proxime citato propoſuerint; (conferatur et Vallemontius paſſim) quodque Celeberrimus Wolffius Tractatu **Entdeckung der wahren Urſachen von der wunderbaren Vermehrung des Getraydes** ꝛc. Halae 1708. in 4to p. 17. 24. 40. Methodum, inventionem, et cautelas ſeminandi ſuppeditarit regulis naturae et ipſis Matheſeos inprimis conformes, et rationibus aeque ac experientia propria judicioſe explanatas, ea ratione ut ex grano unico in agrum legitime immiſſo, hordei 2090. grana impetrari, adeoque meſſis pinguiſſima certo expectari poſſit. Tot ecce cauſas natura arteque fundatas, quae ad foeturam florum fructuumque concurrere ſolent.

77 Denique his addantur luculenta ſatis *experimenta Excell. D. D. Lehmanni*, qui in Vtilitat. Phyſic. verae ſpecimine I. promiſſorum, fidem candide liberaturus, caloris naturalis et ſolaris vere demum ac aeſtate ordinario efficaciſſimi defectum, per tempus ipſum hyemale artificio naturae aemulo, machinis appropriatis et ingenioſiſſima cultura feliciſſime reſarcivit, et circa menſem Decembrem An. 1716. Februumque An. 1717. poſteaque ſaepius, *flores* ultra 1167. efflorescentia, odore, coloreque perfectiſſimos, coram teſtibus juratis, Lipſiae ſpectatum produxit, imo

imo Regibus, Principibus, Magnatibus, Viriſque aliis Curioſis ad diſſitas usque regiones inviolatas transmiſit, eorumque applauſum exinde merito conſecutus eſt. Addantur porro *experimenta* indefeſſa *D.D. Agricolae* Phyſici Ratisbonenſis, qui ad- 78
hibito ignis, certa ratione moderati, et Mumiae ſuae Vegetabilis auxilio adhibitisque miniſtris neceſſariis, intra 24. horarum ſpatium ex 792. exoticis ac inquilinis *trunculis ſive ramis*, *arbores* perfectas ex radicibus, ramulis, foliis conſtantes efformare promiſit, hasque tanto vigore pollentes, ut ſubſequi anni vernali tempore flores fructusque parturiant; hujusque rei veritatem ipſo effectu in permultis trunculis ſive ramis, praeſente Illuſtriſſimo Comite a Vratislau &c. comprobavit, teſte ipſo in Tentaminibus multiplicationis univerſalis omnium arborum, fruticum, florumque An. 1716. in 4to et in fol. editis. Addantur demum experimenta horticultorum frequentia, et ſupra hinc inde indigitata, quibus arbores plane ſteriles ſucceſſu temporis fructiferas reddere nihil ſibi inconſueti ducunt. Ex his 79
omnibus elucet, quanto magis arborum ſua natura fructiferarum et florum per ſe vegetorum virtus augeri, et aucta denique ad tantum faſtigium exaltari poſſit, ut flores fructusque ad ſuperfoetationem et parturiendos foetus quaſi ſollicitentur et neceſſitentur; ſi modo in arborem unicam, e. g.* citrum, et fruticem unicum, e. g. roſeum, tot experimenta huc usque commemorata, tot cautelas ſuppeditatas, totque cauſas ſuperius intimatas, vel earum plures et magis urgentes ac ſtudio inventas a natura et arte mutuatas, ſano ſenſu et ſelectu una conferre, velut coacervare et concentrare ſtudio praemeditato vellent ac poſſent viri in hac palaeſtra exercitatiſſimi et judicioſiſſimi.

Cauſa XII. Partes Vegetabilium proliferationi faventiores. 80
Caulis plantarum vel fruticum latior et ordinario amplior quam inſigniter copia nutritiae materiae extraordinaria advehenda facilitet virtutem plantarum vel florum proliferam ex Ephem. D. II. A. VI. p. 209. D. III. A. VII. p. 31. concluditur: Quam apte autem haec de caule dicta noſtrae proliferae roſae

ſint

ſint accommodata, quantamque globulus matris roſae ſolito capacior, num. marg. 12, et portio inprimis caulis media in ſinu ejus recondita, num. marg. 83. 94. (quae ambo inter partes matris eſſentiales ſive conſtitutivas primas tenent) foeturam roſeam adjuverint, ipſa anatomia et cauſae ſpecialiſſimae in mox ſubſe-
81 quentibus num. marg. 90- 94. aperient. Denique, ut plura adhuc dicenda abrumpamus, huc inprimis pertinent nonnullae et potiores quidem VII. *Differentiae ſpecificae*, quibus partes noſtri fruticis ab aliis Ephemeridum fruticibus roſeis num. marg. 19. 20. citatis diſtinguuntur; quamvis ejusmodi differentia pro cauſis prolificationis abſolutis neutiquam hic omnes venditentur.

82 α.) In noſtra prolifera *caulis* pars *inferior* (Tabul. Figur. 3. liter. a. a. usque ad b. b.) a vaſe ad matrem roſam exterius ſatis ſpinoſa et hiſpida aderat, quare differt a Javorenſi et Tigurina ſpinulas nonniſi rariſſimas habentibus, melius convenit cum Altenburgenſi triplicata; (de quibus omnibus ipſae hiſtoriae fuſiores, ex Ephemeridibus ſupra num. marg. 19. 20. diſtincte allegatis et evolvi et ubique conferri poterunt.) Portio *Caulis*
83 *media* in ſinu matris roſae deliteſcens Tabul. figur. 3. liter. b. b. ad c. c. differentiam prorſus ſingularem et ſpecificam ab omnibus Ephemeridum proliferis conſtituebat, nullique harum erat conformis. Vid. fuſius infra ſub ejus Anatomia num. marg. 91.
84 92. uti jam dictum eſt. Pars *caulis ſuperior* extra matrem poſita liter. c. c. usque ad filiam d. d. Figur. 2. Tabul. et num. marg. 11. non ſpinoſa ſed tantum lanuginoſa, differt a Cnoeffeliana et Hottingeriana ſpinulas ibidem gerentibus; nec foliis fruticis ornata erat haec noſtrae pars, inde diſcrepans a Graſſiana.

85 β) Ramulum, qui noſtram proliferam ſuſtinebat, *Folia* ab aliis *fruticis* noſtri foliis *diverſiſſima* profunde laciniata ſubviridia, ſublonga, mollia, exterius parum lanuginoſa ſtipabant, et calycis loco velut inſerviebant, (vid. ſupra num. marg. 8. 10.) qua ratione ab omnibus Ephemeridum reliquis praeſertim Altenburgenſi et Tigurina, in quibus folia ordinaria perfecte crenata viſuntur, differt.

γ.) Fa-

γ.) Faſciculus foliorum fruticis ex medio roſae filiae exurgens a D. D. Graſſio et Hottingero notatus noſtra in icone deeſt.

δ.) *Calycis defectum* in matre roſa Autores ex Ephem. citati nullum annotant, accuſamus vero eundem in noſtra. Tab. fig. 2. et num. marg. 9. 86

ε.) *Diſci* legitime explicati et antherae in matre roſa praeſentiam, adeoque ordinariam effloreſcentiam, omnes icones Ephemeridum adnotant, indicat vero icon noſtrae unica ejus abſentiam, et nonniſi globulum matris conniventem ſive verticillum roſeum conglomeratum et nunquam explicatum ſiſtit. num. marg. 13. 14. Tabul. figur. 2.

ζ.) Roſae Ephemeridum Javorenſi matri filiaeque vix ephemera obtigit *aetas*, et utraque ſimul una emarcuit; noſtra tamen mater fere biduum exegit; num. marg. 13. 15. 16. et ſola interiit; (de cujus interitu cauſae ſpecialiſſimae inferius num. marg. 96. agunt) ſed filia interim per biduum matri ſuperſtes floridisſima ſubſtitit, et aetatem triduam conſecuta tandem fatis conceſſit (num. marg. 14. 17.) 87

η.) *Odor* Tigurinae proliferae num. marg. 19. 20. citatae non ita fortis et ſuavis notatur: in noſtra autem filia aeque fortis et ſuavis ac in aliis fruticis ſororiis roſis ſe exerebat odor: nec mater roſa odore parili ſubtiliori prorſus deſtituebatur, quamvis ad juſtam effloreſcentiam haec non perveneri. (num. marg. 12. 15.) 88

Vidimus Cauſas generales et ſpeciales cum aliis roſis (ſi differentias VII. ſpecificas excipias) maximam partem communes, quae roſae noſtrae proliferationem junctim plurimae promoverunt: reſtant nunc brevibus *ſpecialiſſimae Cauſae* huic inprimis propriae, quae partim *differentias* porro ab aliis *ſpecificas plures* conſtituunt, partim *rationes partus* matri roſae proliferae *fatalis*, et *incrementi in roſa filia* feliciſſimi exponant. Abſolvuntur hae cauſae ſpecialiſſimae intimiore *caulis* vel ſurculi in partem rurſus inferiorem, mediam, et ſuperiorem diviſi *anatomia. Inferior* nempe et externa *caulis pars Tabulae figur.* 3. 89

90 liter. a. a. b. b. a foliis deciduis roſeis nunc liberata, lignoſa quidem et ſpinoſo-hiſpida, ſed, ut num. marg. 8. ſupra monitum, reliquis in frutice ſurculis craſſior et capacior erat, ſubſtantiaque interior venulas hinc inde vel fibras interſtitiis pluribus paſſim diſtinctas exhibebat, ut ſucco, ex dictis ſupra cauſis generalibus et ſpecialibus in primis cauſa 1. 4. 7. 8. 9. 10, abundantiſſime collecto et frutici communicato, nuncque pervehendo, prae aliis magis pervius cauliculus noſter liberrime pateret. *Media*
91 *caulis* pars, (b. b. c. c. figur. 3.) quam globus roſae matris ſolito capacior (num. marg. 12.) ſinu ſuo antea incluſerat, triſulca capitulum velut oblongum protuberans, totum caulem ambiens, huic tamen exacte continuum, vel, ſi mavis, tres portiones ex albo viridantes tuberculoſas aut monticuloſas tribus crenis ſive ſulcis paulo altius impreſſis invicem ſeparatas repraeſentabat: (notandum hic, duos tantum ſulcos in anteriori parte Tabul. figur. 3. oculis patere, tertium vero in parte poſtica hic non apparere poſſe:) Putaſſes omnino naturam externi calycis, diſci, et ſeminis roſei in baſi roſarum ſecundum naturam latentis defectum his portionibus internis reſarcire intra ſinum
92 matris voluiſſe. Etenim utriculorum aut corticum ſeminalium vicem gerentes hae portiones, diſſectae digitis facile per friabilitatem diſcontinuabantur, ſubſtantiaque interior parte caulis inferiore adhuc multo laxior, mollior et poroſior plus minus lubrica et uda, exiliſſimis hinc inde inſtar ſeminis milii minutiſſimi granulis albidis, lubricis, lanugine ſubtili obductis interſtincta et infarcta, ac inde aptiſſima erat, quae ſuccum abundantius per partem inferiorem a. a. b. b. advectum exceperit, aſſervarit, blande
93 foverit ac praeparaverit. *Tertia* ſupereſt ſive *ſuperior caulis pars* et haec quidem capaciſſima, pariter figur. 3. liter. c. c. d. d. exterius non ſpinoſa, ſed lanuginoſa craſſior, et, ut ſupra dictum, valde mollis interius parum aut nihil lignoſa, ſed ſpongioſa et nutritivae humiditatis ſuccique pleniſſima, uti conſpectui ſe dabat. Cum ergo primordia noſtrae Obſervationis *num. marg.* 7. et porro num. 68. 69. 74. cauſam, quare fruticem ex loco priore

umbro-

umbroſo in alium ſoli meridiano obvium per intervalla ſaepius transferre ipſa neceſſitas exegerit, indicent; ex mox dictis autem elucescat, partem caulis ſuperiorem c.d. inferiore a. b. et media b.c. parte magis perfectam, ſubtilem, ſpongioſam, ſenſibilem et modificatam fuiſſe; haud abs re concluditur, ſolis tunc urgentes radios 94
in hanc c.d. partem intimius penetraſſe, et virtutem ſuam exeruiſſe, motumque circulatorium et aſcenſum ſucci nutritii copioſi in loco umbroſo et pluvioſo, vaſeque carioſo capaciſſimo, ob cauſas ſupra dictas, prius collecti per inferiorem caulis partem advecti, per mediam (quae intra capaciſſimum roſae matris globulum magis magisque dilatari poterat) aſſervati acceleraſſe, et unice huc (in partem ſuperiorem) derivaſſe, cum haec ſuperior pars ad imbibendum et inſugendum ſuccum, et calyci filiae jam dehiſcentis et ſumme peniflorae ſubito communicandum, per ſe prae reliquis capaciſſima, et, ut mox demonſtratum fuit, optime diſpoſita exciterit. Hinc et evenit, quod ipſe ramulus matrem
filiamque ſuſtinens nullas collaterales roſas tulerit, quae tamen in 95
aliis fruticis ramulis abundabant, quod phaenomenon an omnibus ſit ordinarium, Autores ſupra dicti non adnotarunt. Sic humido nutritio *matrem roſam* copioſe praetervecto, haec
ipſa ſucco perficiente interius ſucceſſive privata, exterius vero 96
calycis conſervantis et ab aëre liberrime continuo accedente defendentis munimine deſtituta et denudata, neutiquam dehiſcere, foliola in diſcum diſtincte explicare vel perfectionem et aetatem roſae filiae et aliarum fruticis ſororiarum per triduum utplurimum durantium conſequi valuit, ſed *partum hunc ſibi fatalem* neceſſario citius experiri debuit: qua ipſa conditione rurſus haec ab aliis ſupra citatis num. marg. 19. 20. 87. ſpecifice differt. Con-
ſimile en fatum floris in regno vegetabili, quale in animali vivi- 97
paris nonnullis interdum, hominibus autem ſaepius et proprie evenire indies obſervamus. Vt enim homines matres ſub ipſum partum, vel edita vix prole, conatibus ac viribus nimiis in prolem collatis, poſt partum haud raro morte extinctas dolemus;
ſic roſae partu roſeo inclutae fatum ſuum, ſimulque nobis ob- 98

 ſer-

ſervandi anſam gratulamur, veritati canonis tam ex Philoſophorum quam naturae Conſultorum teſtimoniis genuini ſubſcri-
99 bentes: quod *unius generatio*, ſi non ſemper minimum ſaepiſſime, *alterius ſit corruptio.*

Roſam demum pauca haec, aliorum exemplo maneant:

100 Proliferae an nocuit roſae generaſſe tenellam;
Filia ſin matri protulit interitum?
Profuit interitus! Matri nam gloria ſurgit,
Ut rari partus hic meminiſſe juvet.

Conſpectus contentorum Obſerv. Iae ſecundum numeros ad margines paginarum rejectos.

NUmero I. agitur de Obſervationis materia. 2-7. de fruticis roſei, vaſisque conditione, de terra agri, de ſitu et loco. 8-10. de figura foliorum fruticis, globulo matris, ſecundum Tabulae iconem. 11. de calyce filiae, 12-14. de vividitate matris, partium defectu. 15-17 de efflorescentia, filiae, fato matris, aetate utriusque. 18. de ſpecie harum roſarum. 19. 20. de exemplis proliferorum regni vegetabilis, de roſis VI. Ephemeridum. 21. 22. de caryophyllis, tulipis, corona imperiali, floribus papaveris, jasmini, amarantho, lyſimachia, typha. 23. 24. de jacea, ſcabioſa. datura, calendula, primulis, leonuro. 25. 26. 27. de Aloë variorum locorum, de arboribus plenifloris. 28. 29. de fructibus praegnantibus e. g. citris, limonibus. 30. de limone citrato primo Ferrarii ad iconem tabulae. 31. 32. de limone altero Volckameri in figura. 33. de aurantio, pomo Sinae, Adami, paradiſi. Num. 34. 35. de pomo vulgari, nuce juglande in icone. 36. 37. de fructibus effloreſcentibus et cerealibus. 38-40. de proliferis regni animalis. &c. 41. 42. Regni mineralis. 43. 44. de Cauſis mineral. et animal. obiter. 45. de Cauſis vegetabilium proliferorum ex inſtituto, generalibus et ſpecialibus: ubi exponuntur Numero 46. Cauſa I. Idioſyncraſia vegetabilium, 48. Cauſa IIda tempus anni conſueto magis proliferum. 49-51. Cauſa III. ſoli et regionis per naturam ad foecunditatem diſpoſitio. 52-55. Cauſa IV. nutritionis prolificae materia ſeminoſa ab aqueis et terreis particulis ſimul, modusque per ſucci aſcenſionem et circulationem. 56. effloreſcentiae modus, ut Cauſa V. 57. Cauſa VI. occultae qualitates. 58-61. Cauſa VII. terrae ſive agri conditio, cui vegetabilia immatriculantur, e. g. ager ruderatus, infimatus, ſalium nitroſorum et muriaticorum virtus. 62. 63. Cauſa VIII. vas circumdans fruticem. 64-67. Cauſa IX. aqua naturalis pluvialis, vel artificialis. e. g. liquores proliferi et virtus nitroſorum, Num. 68. 69. Cauſa X. ſol tam orientalis quam meridianus, et locus umbroſus

pariter

pariter ac apricus, 70. Cauſa XI. ars et cultura ſolertior naturae ſubveniens, vel eam ſtimulans, e. g. transplantatio. 71-73. reſciſſio. 74. Cauſae concurrentes. 75. 76. cereales fructus foecundati per aptam arationem, caſus fortuitos, ſeminationem aptam. 77. 78. 79. Experientia Lehmanni, Agricolae, aliorum, et cauſae praedictae quomodo applicari debeant? 80. 81. Cauſa XII. Partes vegetabilium proliferationi faventiores: et differentiae ſpecificae ſeptem, noſtri fruticis roſei ab aliis. 82. quoad caulis α. proliferi partem inferiorem, 83. mediam, 84. ſuperiorem. 85. quoad β folia caulis, γ faſciculi folioſi defectum, 86. δ defectum calycis, ε diſci. 87. ζ quoad aetatem, et 88. η odorem roſae. Numero 89. 90. agitur de cauſis ſpecialiſſimis noſtrae roſae, pluribusque differentiis ſpecificis et de anatomia caulis partis inferioris, 91. 92. mediae, 93. ſuperioris. 94. 95. de modo proliferationis hinc derivato. 96. de cauſa partus matri roſae fatalis. Numero 97. 98. abſolvitur alluſio parallela, et 99. 100. Epilogus.

❋ ❋ ❋

Abdominis totius Hiatus, Viſcera maximam partem propendula, lien ventriculo incarceratus in recens nata puella.

SVperſedere facile inſtituto potuiſſem ſi recens nata haec non-
niſi in cenſum monſtrorum, proprie ſic vocandorum veniret;
cum ſexcenta ejusmodi exempla Schenckius, Paraeus, Hildanus,
Sorbinus, Licetus aliique cumulaverint, nec rariora plura Ephe- 1
meridibus Curioſis hucusque defuerint. At vero nulla prorſus
deformitate quoad numerum et conformationem partium
monſtroſa hic apparente, et partibus tenellae omnibus ſecun-
dum naturam comparatis, ac natura circa hiatum abdominis,
et ſitum viſcerum (ſplenis puta, renisque dextri) ſaltem curio-
ſius aberrante; proſequendum illud exiſtimavi. *Icon Tabu-* 2
lae, ſtudio Bigae Obſervationum addita, deſcriptionem no-
ſtram aliquomodo minimum, ut ſpero, dilucidabit; licet nor-
mam diſtantiae, dimenſionis, ordinis et proportionis viſcerum
mutuae, magnitudinis etiam totius, foetum omnino, (ut ſpatia
viſceribus ſingulis aſſignari potuerint extantiora,) longe exſu-
perantis accuratiorem delineatori figurae in iconibus Anatomi-
cis non exercitato nec autoptae inculcare aut non licuerit, aut
operae pretium vix fuerit; figura praeſertim fere conſimilis,

ſed tamen monſtroſi foetus Eph. D. I. A. III. Obſerv. 103. ut alias paſſim taceam, nec magnitudinem novelli nec dimenſionem adeo anxiam producente. Figura igitur noſtra exhibet foe-
3 tum puellam ſtaturae convenientis a quadragenaria fere, Johannis Holtzig, Acicularii Vratislavienſis vxore An. 1715. d. 30. Junii elapſo legitimo geſtationis tempore, partus conatibus ſexhoriis praegreſſis, in lucem editam. In hac ſat vivida et alioquin vegeta conſpectui ſe dabant:

Extrema omnia minime monſtroſa ſed ſcite formata, brachia nimirum, pedes, facies, et caput totum etc. licet capitis capacitas et peripheria grandiuſcula fuerit, recens natis tamen familiariſſima.

Abdomen totum fere apertum, nulla prorſus cute vel muſcu-
4 lis munitum (figura 9.)

Aperturae ſive hiatus, *circumferentia* tota ſeu rima fere ovalis, aut potius longitudinalis, primo adſpectu anguſtior quidem, ſed in icone magis dilatata et diducta, ut viſcera demonſtranda oculis melius pateant. Circumferentia haec tota in fim-
5 briam quandam lateralem ſive plicam ſecundam longitudinem totius cutis retractam et corrugatam, digiti minoris latitudini hinc inde reſpondentem, hinc inde et latiorem, et nulla prorſus laciniarum intermediarum vel lateralium ſigna praeferentem, ſubalbidam, ac quaſi calloſam, ſatis interim in ipſa ſuperficie planam terminabatur. (liter. a. a. a. a.)

Peritonaeum viſcera et inteſtina ex parte quidem obtegens, ſed minime invicem cohaerens, cujus hiantis (bb.) veſtigia inteſtinis ſingulis transparentibus in gyros regulares convolutis obtenſa deſignantur. (Licet rurſus icon regulares gyros non accurate referat, ſed inteſtina huc illuc rejecta, remota, invicem permiſta vel depreſſa, ut in ſectionibus fieri ſolet, ſiſtat, ut demonſtrandae viſcerum partes illis alias ſubjacentium in apricum venerint.)

Porro apparebant viſcera propendula; e. g. *ren dexter*,
6 (liter. c.) a lumbis liber, rubens, deorſum verſus medius inter inteſtina

teſtina propendens, et velut fluctuans, ſed tamen vaſis emul-
gentibus flaccidis et relaxatis trunco utrique cavae et aortae de-
ſcendenti; uretere autem ſuo veſicae utcunque adhuc con-
nexus.

Hepatis parenchyma grandiusculum, ut ſolet in novellis,
cujus pars dextra (d.) integra plane, ſiniſtra vero dimidia ſal-
tem (e.) repraeſentatur, cum examinato poſtea infante per me-
dium fuerit reſciſſa, ut pateret, quem obtegebat,

Ventriculus (f.) alias recens natis exiguus, ſed hic ob fla- 7
tus diſtendentes magis conſpicuus. Idem fatum erat *inteſtini*
coli proxime ſubjacentis, ideo facile dignoſcendi, cujus pars
(g.g.) ſiniſtra cum circumjacentibus reliquis inteſtinis verſus in-
feriora et latera ſtudio delineatur depreſſa, ut conſpici poſſit
partim

Ren ſiniſter altior (h.) lumbis firmiter per membranam,
per emulgentes autem aortae et cavae deſcendenti ſub inteſtino-
rum obtegentium ductu, connexus: partim

Regio ſuprarenalis et lateralis (k.) in hypochondrio ſini-
ſtro, *lieni* ſecundum naturam deſtinata, ſed ob ejus abſentiam 8
obſcura nunc et vacua. De *renibus* praeterea monendum, quod
ſuperficies eorum non undequaque levis et continuata, ſed
inaequalis et multiplicium laterum portionibus exiguis coagmen-
tatis vel conglobatis per ſulcos tamen invicem ſejunctis conſpi-
cua, in hoc ſubjecto praeprimis notabiliter, ni fallor, apparue-
rit: qualem Malpighius de Viſceribus p. m. 112. frequenter foe-
tibus accidere aſſerit. Porro remotis inteſtinis et depreſſa *ve-*
ſica (l.) diſtincte ſe offerebant contemplanda *uterus* exiliſſimus 9
quidem, principia tamen tubarum Fallopianarum hic ſat nota-
bilia monſtrans; nec non *funiculus* umbilicalis rite ligatus, et
probe adhuc turgida *vaſa IV. umbilicalia*, *canalis* in primis *ve-*
noſus ex vena umbilicali in gibbam hepatis fiſſuram (i.) deſi-
nens, et *urachus* veſicae connexus, ac in hanc ſe inſinuans, inter
duas arterias umbilicales intermedius. Tandem non modo 10
thorax diaphragmate rite diſtinctus, et poſtmodum apertus,
viſce-

viſcera ſua *cor atque pulmones* integra, vividi coloris, *ſanaque*
exhibebat, verum etiam appetentia, ac ſuctio lactis materni, de-
glutitio, reſpiratio, lotii meconiique excretio adeo libere tenel-
lae, dum viveret, ſuccedebant, ut nulla *functionum vitalium*
principaliorum laeſio ferme ſe prodiderit. Attamen fatalis et
11 ſucceſſiva paucis ante obitum horis obtorpeſcentia et ſomno-
lentia, praecipue autem praeternaturalis abdominis hiatus, ac
viſcerum fotu naturali et integumentis appropriatis privatorum,
et inchoatam jam corruptionem prodentium denudatio aëris li-
beriori acceſſui nimis obvia, nec non ſpuma circa os, mox ante
obitum apparens, a convulſionibus procul dubio internis nata,
ſuffeciſſe ſane videbantur, ut *mortis* aetatem infantis nonniſi
ephemeram ſenſim excipientis et nullo nec remediorum, nec
fotuum artificialium appropriatorum, aut ſacculorum ex ner-
vinis balſamicis etc. ſpeciebus vino incoctis ſaepius tepefactorum,
et a chirurgo adſtantibusque reliquis ſedulo applicatorum appa-
ratu retardandae *ſigna et cauſas* abunde exhauſerint.
Lienem quod attinet, ſedulo hic in abdomine paſſim quae-
12 rebatur, dubitando, an, vel relicta in hypochondrio ſiniſtro ſede,
locum in cavo abdominis peregrinum occupaſſet, exemplis a
Tilingio Anatom. Lienis p. m. 45. ſeqq. et Lindano Medicin.
Phyſiologic. p. m. 67. ſeqq. ac Diemerbrockio Anatom. p. 138.
adductis? vel an in ejus defectu acquieſcendum foret? qualem
Hollerius, Laurentius, Schenckius, Kerkringius, ex teſtimo-
nio Ephem. A. N. C. Dec. II. A. III. Obſerv. 199. revera obſer-
varunt. Quamvis huc pertinere videatur neque lienis defectus
in foetu plane monſtroſo, qui et hepate et pulmonibus deſtitutus
ἀταξίαν omnium viſcerum ſubiit, neque proprietas iſta gentilitia,
quam myconiis ipſa nativitate ἀσπλήνοις Plinius Hiſtor. Natural.
Lib. XI. cap. 37. tribuiſſe perhibetur. Eph. D. II. A. III. Obſerv. 199.
neque exemplum aſplenii canis Eph. Cent. V. VI. p. 233. Tan-
dem tamen aperto poſt mortem recens natae ventriculo (quem
13 cadavere exemtum, ſeparatum, et apertum figura 10. ſiſtit) in
hujus

hujus cavitate deliteſcens inveniebatur nobile hoc parenchyma (liter. a.) ſatis vero, ut foetui ſolet, exile. Lateris quippe ſiniſtri ſpatium orificio ſuperiori (b.) et ipſi fundo ventriculi (c.) intermedium occupabat, parsque ejus ſima, inferior, latior, cujus ſuperficies leviſſima ſuturae ſive lineae et vaſorum ſplenicorum rudimenta vix adumbrare videbatur, connexa erat tunicae ventriculi propriae, intimae ſive rugoſae, adeo vero leviter, ut ſponte quaſi avelli potuerit: pars ejus anguſtior libera prorſus et velut fluctuans, ni fallor, exiſtebat. Color ejus naturalis ſaniſſimus, ſubſtantiaque diſſecti viſceris ſpongioſa, rara, et poroſa obſervabatur. Ex his igitur eluceſcit, quod *lienem* 14
hunc non immerito *hoſpitem ventriculo incarceratum* ſalutarit obſervationis titulus, praeſertim cum ex Ephemeridum N. C. Tomis parallelum aut ſeparatum lienis in alio viſcere vel ventriculi cavo reconditi exemplum eruere nondum licuerit; niſi quod Ephem. Cent. III. IV. p. 28. Hepatis ingreſſum in ventriculi cavitatem ad trium usque pollicum longitudinem, Obſervatio Honoratiſſimi Parentis mei, longe tamen diverſis circumſtantiis et cauſis ibi additis, adnotaverit; erat enim hepar cum ventriculo connexione fere cartilaginea conjunctum. Coe- 15
terum quod cauſas praecipuorum phaenomenorum noſtrae obſervationis attinet, exemplis parallelis confirmandas. Puerpera hoc caſu non parum perterrita curatius examinabatur, an forte antecedentium occaſionalium cauſarum reminiſcatur, quibus culpam hujusmodi hiatus extraordinarii in abdomine foetus tribuere poſſet? Hinc illa *duas* inprimis accuſabat *cauſas Primo imaginationem.* Fatebatur nempe ſe primis geſtationis menſibus, forte fortuna lanioni capellam mactanti et exenteranti proxime adſtitiſſe, ac viſcerum inteſtinorumque tractum propendentem ex abdomine, ſaepius adſpexiſſe, ſeque capellae hujus innocentis caedi intime indoluiſſe, poſteaque ſaepius, re familiari ſic exigente, lanionum tabernas viſitantem vitulos porcosque exenterare horumque viſcera, ut fieri ſolet, convo-

luta et ex abdomine propendula vidiſſe, ac praeter ſpem in-
tentionemque ideam de capella priſtinam phantaſiae ſive imagi-
nationi ſuae altius impreſſam probe obſervaſſe. Si cui verbo-
rum luſus et quidem naturali ratione firmatus placeret, vivo
exemplo comprobare hic poſſet, quod ipſa hujus foeminae ἐν
γαστρὶ ἐχούσης ac de miſera capella mactata σπλαγχνιζομένης ſive
ex intimis viſceribus, (quae vocis eſt vera ſignificatio) com-
16 miſeratione tactae natura, affectu hoc vehementiori abuſa, erro-
rem hunc περὶ τὰ σπλάγχνα ſive ex abdomine prominentia in-
teſtina produxerit et commiſerit. Fidem his adſtruunt exem-
pla, quorum pauca, circumſtantiis huc praeprimis facientibus,
ſufficiant. Ephemeridum A. N. C. D. I. A. III. Obſerv. 103. ut
ſupra jam monitum, ancilla ingravidata puellum in lucem edidiſ-
ſe fertur, congruae quidem magnitudinis, ſed corde praecipue,
inteſtinis et viſceribus reliquis plurimis, monſtroſis extra dehi-
ſcentem thoracis et abdominis cavitatem, cute externa leviter
ſaltem tecti prominulis. Cauſa additur, quod gravida vitulum
mactatum attente exenterari conſpexerit, unde imaginativa vis
ſimilem diſpoſitionem partium actutum foetui impreſſerit. Sic
Ephem. D. I. A. VIII. Obſerv. 46. mater gravida deſcribitur foe-
17 tum enixa, cujus abdomen adeo pellucidum, ut inteſtinorum
ſuo ordine convolutorum gyri oculis cerni potuerint, illudque
inſtar ingentis herniae prominuerit, cauſaque redditur imagi-
natio matris ex adſpectu apud agyrtam tabulae herniam ingen-
tem repraeſentantis ſatis evidens. Porro Ephem. D. II. A. VI.
18 p. 263. teſtis adducitur gravida in Vlmenſi diſtrictu frumenti
hinc inde per agrum ſparſos manipulos colligens, quae dum
ſubito conſpexiſſet ſub horum alterutro viperarum reptantium
et convolutorum acervum, horumque motum figuramque,
manu umbilico ſuperimpoſitâ, ſtrenue ſibi imaginata eſſet, fi-
liam peperit cum inteſtinis ſolo peritonaeo inveſtitis per um-
bilici hiatum in abdomine propendulis. Denique Ephem. D.
19 I. A. VI. VII. p. 341. Obſerv. 232. ſub finem perilluſtris Schrö-
ckius

ckius notat, matrem a conſpectu vituli exenterati in macello horrorem contraxiſſe, ut filiolam partu excluſerit, cujus dextra abdominis pars ad ſpithamae longitudinem dehiſcens, lateribus divulſionis ſignum non praebentibus, ſed callo quaſi obductis, inteſtinulaque ex hoc hiatu propendentia, viſceribus reliquis ſalvis, obſervata fuerint. Vbi plurimos Auctores de parallelis caſibus evolvendos allegat: in quem ſcopum conferri quoque poſſunt Ephemerides D. I. A. I. Obſerv. 135. et ſingula fere Decuriarum volumina. His addo non proletarium Döringii exem- 20
plum, qui Lib. I. de Medicina et Medicis, editionis Gieſſenſis An. 1611. p. m. 97. refert: An. 1610. Pragae natum puellum quoad reliquas partes integrum, at inteſtinis et viſceribus extra abdomen (cujus tamen cutis divulſa non fuerit) propendentibus; cauſamque edocet terrorem, et hunc conſequentem intenſam imaginationem a matre vitulum mactatum ejusque viſcera ex diſſecto abdomine propendentia curatius adſpectante, ſpatio ante partum fere trimeſtri conceptam. Haec ſufficiant de prima cauſa noſtrae Obſervationis, imaginatione, *Alteram cauſam* mater puerpera accuſabat *violentiam externam a marito* ſibi illa- 21
tam. Hic enim neſcio quibus Megaerae ſtimulis exagitatus, ac domum forte rediens, poſt rixas varias ſermonesque opprobrioſos cum uxore mixtos, ipſam primis ſtatim geſtationis menſibus ſupra lecti fulcrum inferius violentia ſumma ſupinam extendit, et proſtratam reclinat, verberibusque et impetuoſis aliquot pedum in abdomen gravidae impulſibus et conculcationibus duriſſime tractat: quod ipſum non modo uxoris, ſed et domeſticorum teſtimonio fuit affirmatum. Mirum igitur non 22
eſt, et primam imaginationis et alteram hanc violentiae externae cauſam concurſu mutuo hiatum et rupturam abdominis in foetu uteris clauſtris circumſepto, et viſcerum hinc propendentiam, neceſſaria et velut infallibili ſequela produxiſſe, adeo ut neutri cauſarum palma adjudicanda, ſed potius aequali jure utraque incuſanda merito videatur, licet gravidae abdomen nul-

23 la manifeſta vel interioris doloris vel laeſionis veſtigia prodiderit: parallelum namque de viſceribus juvenis curru transeunte ruptis, cute illaeſa, caſum honoratiſſimus Parens meus Eph. D. III. A. V. VI. Obſ. 228. pridem adnotavit, ac, ſi analogismum a mollioribus animatis ad duriora inanimata corpora huc ſano ſenſu applicare velimus, celeberrimus olim Morhoffius Diſſertatione de Scypho vitreo per certum humanae vocis ſonum (ſive fortiorem et convenientem ſoni impulſum) rupto et fracto, Kiloni A. 1682. in 4°. c. fig. adornata comprobavit, et porro ex reſonitu, ut audit, cranii in vulneratorum et percuſſorum inſpectione ſaepius obſervari ſolito id comprobari poſſet. Inſuper non praetereunda putavi dehiſcentis in foetu a violentia

24 externa abdominis exempla duo parallela ab honorando Parente meo partim ex protocollo Phyſicatus, partim ex ejus Renunciationibus Medico-forenſibus, Manuſcriptis (quas indefeſſo labore, exquiſito ſtudio magnoque numero ex obſervatione propria collectas ſelectasque aſſervat) mecum perbenevole communicata. Haec fuſioribus diſtinctioribusque circumſtantiis ibi conſignata, breviſſime ſaltem hic concentrata accipe: I) gravida nempe, ſtupro notata, mediis geſtationis menſibus in campum exſpatiando, ex ponticulo ligneo anguſtiori delapſa, abdomine in palum ſive ſublicam proximam fortiter impegit, et paulo poſt rhedae obvia ex improviſo impulſum in abdomen fortiorem a temone perpeſſa eſt, unde dolorem continuum in iſta regione perſenſit, donec legitimo inſtante tempore Anno 1717. d. 28. Auguſti puellam enixa fuerit abdomine dehiſcente, et utrinque in fimbriam calloſam corrugatam (qualis ſupra num. marg. 3. 19. --) terminato, tumoreque magno infantile caput adaequante per medium hujus hiatus propendulo, qui tumor nonniſi inte-

25 ſtina viſceraque infantis peritonaeo obducta continebat. 2do) Sartor in ſuburbiis Vratislaviae habitans, vel tyrannus potius et barbarus, in furorem actus uxoris gravidae abdomen, octiduo ante partum legitimum ſed difficillimum, pedibus ſuis crudeliſſime calcat, inſaniamque aliquoties reiterat, ex quo foetum illa

An.

An. 1707. d. 13. Junii enititur, cujus abdomen totum apertum et viſcera maximam partem ſugillata, membraque plurima nonniſi ab impetu violentiſſimo conquaſſata et varie contorta oculis ſe ſiſtebant; deficiente tamen hepate, quod a foetu ſeparatum et dilacerum inſtar molae carneae foetu ipſo paulo citius excludebatur.

Sed miſſis pluribus, *de Cauſa fimbriae abdominis* in Obſer- 26
vatione noſtra ſic dictae, breviſſime aliquid monendum. Non mirum quippe videbitur, dum hiatus ſive dehiſcentia abdominis, primis mox ingravidationis menſibus partim ab imaginatione, partim a violentia externa contigit; cutem interea et muſculos abdominis ſenſim ſenſimque magis retrocedentes et ſecundum longitudinem ſe retrahentes in ſubſtantiam craſſiorem, compactiorem et duriorem ſive plicam ejusmodi vel fimbriam lateralem velut corrugatam degeneraſſe, et in calloſam quaſi duritiem in ſuperficie ſatis planam, ſubalbidam, et digiti minoris latitudini hinc inde correſpondentem, ſucceſſive abiiſſe, cum propter tantum a ruptura usque ad partum menſium intervallum, et materiam interea nutritiam continuo huc affluentem et, ut latius ſe diffunderet, per cutis muſculorumque continuum retroceſſum praepeditam, adeoque ſenſim ſeſe huc apponentem et coacervantem aliter hoc fieri non potuerit: pari ratione ac latera vulnerum graviorum et profundiorum dum coaleſcere et conſolidari incipiunt, callum ſat notabilem utplurimum contraxiſſe quotidie obſervamus, atque ex parallelis nonnullis in Obſervationem noſtram exemplis ſupra allegatis, parilem fimbriam calloſam (praeſertim num. marg. 19. 24. f.) in rupto abdomine innuentibus perſpicimus.

Quoad *cauſam renis dextri* dislocati et in medio inteſti- 27
norum antrorſum propendentis; hanc non immerito in violentia externa, concuſſione et calcitratione vehementiſſima a marito facta quaerimus, pariter ac in alio parallelo caſu (ſupra num. marg. 25.) hepar per ejusmodi violentiam ſede naturali dislocatum, disruptum, ex abdomine foetus ſeparatum, citius-

28 que ipſo foetu excluſum legimus. Nec minus *cauſam Lienis* a ſede naturali diſturbati et abrupti in praedictam externam violentiam forte conjiciendam conjectare quis poſſet, praeſertim cum rupti lienis per violentiam externam ac percuſſionem ex Ephem. A. N. C. D. II. A. VIII. p. 498. D. III. A. II. p. 33. A. IX. X. p. 12. et inaugurali ſub praeſidio Excell. Eyſelii ab Eruditiſſimo D. D. Michaële Vanſelovio, Phyſico tunc Circuli Arnsvvaldenſis, An. 1696. d. 8. Sept. Erffurti habita Diſſertatione exempla, aliaque aliunde non ſint ignota; cumque per vas breve in ventriculi fundum ordinario inſertum, ſeceſſus aut introitus lieni in ventriculum ob concuſſionis violentiam ſubito tunc paratus forte fuiſſe videatur, cujus rei poſſibilitas ex Obſervatione Illuſtris Wedelii Eph. D. I. A. IX. et X. p. 69. aliquomodo concludi poſſet, qui in anatomia foeminae cujusdam vas breve magnitudine notabili calamum ſcriptorium majorem adaequans, et a liene, unico trunco in ventriculum deſinens, et aliquot ibi ramos diſſeminans deprehendit, uno ramorum ſtylum in ventriculum admittente, reliquis in exteriorem ejus tunicam inſertis, aliudque praeterea vas ſed minus ex liene ad ventriculum tendens itidem
29 pervium adnotavit. At vero hanc lieni in ventriculum viam dubiam non immerito reddent, qui intimius perpenderint a capacitate tanta vaſis brevis in foemina adulta, ex Obſervatis Wedelianis deſcripta ad parem in foetu capacitatem vix valere ſequelam, dilatationemque hujus vaſis a percuſſione violenta ſubortam tantam, et lieni integro intranti et in ventriculi cavum usque penetranti ſufficientem vel potius disruptionem vaſis (quam neceſſario cruor et mors aliorum exemplis inſecuta fuiſſet) conceptu eſſe difficillimam; nullo inprimis rupturae vel vulnuſculi in ventriculi fundo ſponte conſolidati veſtigio ſe manifeſtante, et parallelis de liene in ventriculum hac ratione ingreſſo, vel in ejus cavitate invento caſibus adhuc non obviis aut ſatis probatis. In-
30 ſuper rupturae lienis exempla allegata cum non in foetibus ſed adultis ſe exeruerint, rupturamque hujus viſceris exundatio ſanguinis et ſubſecuta repentina mors concomitata ſemper fuerint;

(con-

(confer Obſervationes ipſas num. marg. 28. citatas) in probationem conjecturae adductae eadem minime pariter venire, quivis facile perſpiciet. Hinc apparet in cauſa potius prima, matris 31
nempe imaginatione a cauſis ſupra expoſitis oborta vehementiſſima et naturae plaſtices circa *ſitum lienis* fortuito et curioſius aberrantis, huncque *hoſpitem ventriculo incarceratum* reddentis errore rariſſimo, nobis, ſi placet, eſſe acquieſcendum. Tantum! Infantem hunc vivum oculis uſurparunt prima quidem die ex officio requiſiti Excellentiſſimi meritiſſimique urbis noſtrae Phyſici, honoratiſſimus Parens meus, Collegaque ipſius aeſtumatiſſimus, D. D. Graſſius, Pater, pluresque alii praeter meipſum Medi- 32
dici, quos inter et D. D. Graſſius, filius: Altera vero die invitatus ſubito teſtis mortis et intimioris explorationis ſtudio inſtituendae optimus Parens meus, accedentibus poſtmodum Excellentiſſimis meritiſſimisque Academicis Curioſis P. T. D. D. de Helvvich et D. D. Klaunig, ſectionem, (cui quidem ego mox a principio interfui) adornante Georgio Kriſche, Chirurgorum Seniore apud nos laborioſiſſimo.

Summarium contentorum Obſervationis ſecundae ſecundum numeros ad margines paginarum rejectos.

NUm. 1.) Defenſio thematis, et num. 2. 3. iconismi foetus. 4. agitur de abdominis hiatu in infante. 5. de fimbria calloſa, peritonaeo, 6. de rene dextro dislocato et hepate. 7. 8. de ventriculo, rene ſiniſtro, 9. 10. de reliquis viſceribus. 11. de modo et cauſa mortis. 12. 13. 14. de liene ventriculi hoſpite incarcerato. 15. de cauſa prima phaenomenorum in foetu imaginatione materna, quae num. 16 - 20. exemplis huc aptis probatur. 21. 22. 23. de cauſa ſecunda, violentia externa; de cauſarum combinatione exemplis probata. 24. 25. de exemplis a violentia. 26. de cauſa fimbriae calloſae, nec non 27. renis dextri dislocati; 28 - 30. de cauſa lienis in ventriculo, probabili, et 31. de vera cauſa. 32.) de teſtibus ſectionis.

Dn. D. Maximiliani Preuſſii
SCHOLION.

PErlecta Obſervationum biga, ad teſtimonium meum a dilectiſſimo filio ſaepius provocari video. Vt igitur merito teſtificari poſſum, hiſtorias de roſa et foetu &c. et circumſtantias additas non aliter ſe habuiſſe, quam ibi accurate recenſentur; ſic ſcholii loco caſum ſubnectere volui in Manuſcriptis meis (ſupra Obſervatione ſecunda num. marg. 24. citatis) mihi his demum diebus aliud quaerenti adhuc occurrentem, et dignum, ut exemplis ſuperius num. 16.- 20. margin. adductis de fatali imaginatione materna in foetum derivata, inſtar paralleli cujusdam annumeretur. An. 1718. d. 7. Januar. Vratislaviae foetus a plebeji hominis uxore, poſt praeterlapſum regularem partus terminum, excludebatur, in quo praeter alia plura ſpectacula erant: Tumor inſtar pugni ſeroſo- ſanguineus in regione oſſis ſacri retrorſum protuberans, nec non tumor praegrandis antrorſum ſub umbilico ex abdomine dehiſcente propendens, cujus circumferentiam fimbria lateralis corrugata et ex muſculis abdominis et cute retroceſſis concreta ac calloſa arcte ambibat; tumorque integer obductus tunica pellucida, ſive, ut ſectio monſtrabat, ipſo peritonaeo, viſcera et notabilem inteſtinorum tractum, praecipue tamen hepar diſcolor, deforme et maximum, continebat. Quaeſita mater, an gravida ex aſpectu rei deformis ideam forte ſibi impreſſerit, vel an a violentia externa fuerit laeſa? rem negavit. Retulit autem, quod mediis menſibus geſtans ſomno aliquando profundo oppreſſa, infantem ſomniaverit in abdomen ſibi violenter irruentem et delabentem tumore magno retrorſum et antrorſum, ſimulque pedibus et manibus ſurſum incurvatis deformatum, et hoc ſomno perterrita ac expergefacta ideam triſtem hinc contraxerit. Notabile eſt, infantem ejus hujusmodi artubus et tumoribus notatum fuiſſe, licet puerperae eundem obſtetrix neque monſtraverit neque deſcripſerit.

Ana-

Anonymi

RELATIO

de Serpentium Antro Romano

ad

Ill. D. Antonium Vallisnerium.

MOrbida facta olim Roma, crudelis ubique luctus, ubique pavor et plurima mortis imago Virg. 2. Aeneid. concipiebatur. Languentes turbae ignota cruciabantur flamma. Moriebantur priusquam mori ſe animadverterent. Aſt morte mors minime ceſſabat, rediviva in cadaveribus, homines e vivis tollebat. Hac ſtrage ſtupida natura propriarum obliviſcebatur afflictionum: Germanus fratrem, ſponſus uxorem, parens filium derelinquebant, et puer quia incautus ludebat periculo e mammis contagioſis non alimentum ſed venenum ſugebat. Cadaveribus non ſepulchra ſolum; atqui nec oſſa tegere ſufficiebant arva. Medicae herbae, radices, antidota nihil valebant. Infauſtum hoc evenit eum, ut Sulmoneus canebat Orpheus Metam. L. XV.

Dira lues quondam Latias vitiaverat auras,
Pallidaque exangui ſqualebant corpora morbo.

Sed mortalibus deficientibus medicinis ad immortalia ac divina Urbs urbium fecit recurſum;

Funeribus feſſi, poſtquam mortalia cernunt
Teſtamenta nihil, nihil artes poſſe medentum,
Auxilium coeleſte petunt.

Sicque legatos ad Epidaurea littora mittentes Aeſculapii opem invocavere. Ille autem ad luem Romuleam ſanandam ſerpentis aſpectu atque ſpecimine properavit,

Huc ſe delata pinu Phoebeius anguis

Contulit, et finem ſpecie caeleſte reſumpta
Luctibus impoſuit, venitque ſalutifer urbi.

Atqui Aeſculapii ſerpentem non unicum in orbe adeſſe perſtrepit vulgus. Plurimi hujus loci ſcholae angues ſalutiferiores exaltant atque pertinaciter affirmant, collem eſſe viginti quinque paſſibus Roma diſtantem ſerpentibus hujusmodi fertiliſſimum, qui ſua triplici lingua (ut eis apparet) lambendo morbos profugant quoſcunque. Durum tamen videtur, ab angue, a quo mors orta fuit, modo vitam inſurgere. Quare quid ſentiendum, ignoro, exponam tamen, quae circa Balneum Serpentum notavi.

Collis adeſt propter oppidum Saxi in jurisdictione Baronali illuſtriſſimi Patritii Marchionis Romani, in quo orientali ex latere antrum vix hominis capax conſpicitur: Hoc arte minime elaboratum, ſed potius naturae videtur opus. In limine parvula adſunt muri veſtigia, cui incumbere os antri olim autumatur: nil profunditatis adeſt, imo veluti ſupra terram apparet poſitum. Diameter cavernae vix ad quartum extenditur palmum. Longitudo hominis longitudinem aequat. Internae cavitates variis gaudent fiſſuris ac foraminibus, ex quibus egredi ſerpentes dicuntur. Rarius in ingreſſu medico ſulphureus, veluti ovorum elixatorum foetor naribus percipitur; intus calor adeſt non exiguus, ut vix dimidio quadrante ad ſudorem non ſpernendum artus concitentur. Calor iſte haudquaquam omnibus ex foraminibus fovetur; aſt ab illo tantum in dextro latere deficientis antri: quod non modo ſenſu tactus eſt cognitu facile, verum etiam accenſae candelae approximatione: nam flammula omnibus aliis appoſita fiſſuris nulla palpitatione dimovetur; ſecus vero in foramine deſinentis antri, dextrorſum veluti ab afflante borea illico extinguitur; ibi maximum caloris adeſt, ſed quamplurimis aqueis particulis commixti, quod veluti vapor aquae bullientis aegre tactu toleratur, praecipue ſi intra foramen manus

nus pervadat. Prope exitum antri ex ipſius fornice aliquae undae guttulae emanare videntur: (unde hic calor, unde hic latex, infra diſcutietur.) Caeterum in praedictis ſpecus ſciſſuris ac foraminibus ſerpentes latitare communis fert opinio, miraque vetulis tantum credenda narrantur, ab incolis non modo ruſticis, verum etiam aliquali prudentia dotatis. Tanta in nobis mentis praeoccupatio valet! narrat, inquam, montem ſive collem nullum ſerpentem niſi unius generis claudere; lacertae tamen minime deficiunt; hucque ſi alius perveniat anguis, praecipue venenatus, ſtatim illum incolentes ſerpentes, morſibus interimunt. Inſuper aſſerunt pertinaciter, angues iſtos veluti ſacros minime occidendos, aſſerendo illorum interfectores, ſtatim infortuniis quamplurimis caſtigari. Hinc narrant nonnullos illico viſum amiſiſſe, alios auditum, nonnullos et ipſam vitam. Inter quos annis elapſis, quamplurimis adhuc viventibus teſtibus, de Nicolao Fulcaneo e monte virgineo, calceareo, narratur: hic enim unum ex his ſerpentibus cum in calceariam accenſam jeciſſet, dum anguis comburebatur, eum in calceariam praecipitaſſe, illumque paucorum menſium ſpatio miſerrime e vivis diſceſſiſſe; de quibus nugis quid ſana mente ſentiendum, infra.

Aſt redeamus ad noſtrum antrum iſtum, ſi arthriticis aut gallicis doloribus, aut lepra quisquam vexatus eſſet, intret et horam unam aut alteram in illo permaneat, pluribus vicibus id faciat, atque opii vi, aut naturaliter dormiat, ita ut ſerpentes facile eum immotum lambere poſſint, ſanitati reſtitui eſt qui neget nemo.

Et ideo illuſtris auctor Petrus Bordellot aſſerere auſus eſt, antrum ſe habere veluti hypocauſtum ſulphureum, ſerpentes vero veluti ſudarium animatum atque ſulphureum ſudoris deterſivum. Eſt tamen nemo, qui vellet affirmare hanc ſe ſerpentium lambitionem vidiſſe; nam unanimiter accolae conveniunt, angues nunquam aut egredi e foraminibus niſi aeger dormiat, nec ab eodem, nec ab adſtantibus videri ſe permittere; quare ſi ad os antri curioſi aſſidentes ſub cortina ad ſerpentium intuitionem

nem invigilent, nunquam angues ex latibulis prodeunt, adeoque duntaxat dormientes teſtes adhibent, qui horum ſerpentium lambitionem affirmant; imo nec ipſi dormientes aliquid conſonum veritati unquam aſſerere, namque nil ſenſiſſe in dormiendo teſtantur.

Verum quia effectum, qui ab una cauſa ortum habere cenſetur, ſaepe accidit ab altera provenire, hinc minime incongruum erit ſcrutari, an a ſerpentibus, ut vulgo creditur, aut aliunde haec ſanitas ſuccedat. Quemadmodum et ſanitas et vulneris coalitio pulveri ſympathetico, ſive unguento armario temere tribuitur, cum apud ſanos Philoſophos opus tantummodo ſit naturae, et ſicuti ciborum fermentatio, quae olim a ſolo calore, ab acidis ſuccis pendere nunc evidenter eſt viſum: ita et fortaſſe ſanitas reſtituta in hoc antro nequaquam a ſerpentibus, multo minus ab eorum lambitione non viſa pendebit.

Operae pretium igitur cuncta ad trutinam examinare, totum antrum inſpicere, ejusque ſenſibiles actiones et paſſiones ponderare, atque ab incolis aſſerta ad veritatis trutinam redigere. Et primo loco aliquid agamus de horum ſerpentium venenata natura. Fateor eos non modo, ſed ſerpentes omnes et viperas ipſas veneno eſſe orbatas naturaliter; nec unicus tantum hanc refero ſententiam: Johannes Zvelferus in ſua Pharmacopoeia Aug. in animadverſ. trochiscor. de vipera idem ſentit, ut et Helmontius et Poterius, aſſerentes, nullum animal per ſe venenum habere, ſed tantum morſibus venenoſis necare, quando iracundiae oeſtro corripitur, et veluti ab exaltato miasmate flammula aliqua ſeu aliquod exile coagulativum morſu transmittitur in ſanguinem; quod hominis et canis rabidi exemplo innoteſcit, non enim omnes humani et canini morſus exiſtunt venefici, at duntaxat illi, qui ab homine et cane irato proficiſcuntur; quod confirmatur, animadvertendo, quamplurimos a vipera morſos (ut autores et experientia teſtantur) absque ullo

ullo medicamine, brevi ſanos evaſiſſe, alios vero neque ſuccis, neque ferro, neque igne in ſanitatem reſtitui potuiſſe. Atque hic poſſem Avicennae autoritatem exponere dicentis, ex potatione vini, in quo moritur vipera, aut de quo bibant viperae, quosdam fuiſſe ſanatos. Et praedictus Zuelferus citato in loco aſſerit, feminas quasdam nobiliores Anglicas de vino viperino, ſive in quo viperae extinctae ſunt, quaſi interno cosmetico ad pulchritudinem corporis, et univerſae cutis formoſitatem comparandam absque ullo damno aut ſanitatis detrimento bibere. Sed ad quid haec? ſi noſtro aevo carnem viperinam, tum in eſculentis, tum in potulentis aegris propinamus; nec valet dicere, venenatos ſerpentes in dentibus ſeu in veſiculis ipſis adjacentibus, venenum ſervare; nam canibus atque felibus capita viperarum propinata, cum aliis ferculis impune comeduntur. Linquo nunc rapacia volatilia anguibus omnibus veſcentia, et capones arte nutritos viperis his celebres, pro morbis contumacibus debellandis. Riverius etiam de febre peſtilenti ait: caro viperina exiccata nulla venenoſa qualitate praedita, ut vulgo videtur, ſed pulvis virtute alexipharmaca potenti etc. Quare cum ex Hippocrate, 1. de diaeta, ex manifeſtis obſcura conſideranda, ex manifeſta ſalutis recuperatione per uſum carnis viperinae deducendum erit, per lambitionem ſerpentium poſſe quoque ſanitatem reſtitui. Nec obſtat, quod extra lambendo operentur; quis enim ſalivae vim ignorat? ſcimus canes ſcabiei, vulneribus et leprae in ſemetipſis ſola ſaliva mederi. Inſuper ſalivae virtus in mercurii extinctione emicat; relucet in ciborum fermentatione, in oculorum macularum abſterſione. Quia dum Hippocrates ſcribit in lib. de carnib. in articulis adeſſe ſalivam, poteſt non incongrue quis hariolari, ſerpentium ſalivam cum illa articulorum quandam habere homogeneitatem. His adde quod teſtantur quamplurimi habitatores Saxi, angues ſolam partem morboſam lambere, quod ſi veritati reſpondet, ad quid in ſola illa parte lambitio, ſi ibi nil operare-

 tur?

tur? ſanos cur non lambunt artus? belluae enim nullae prudentes ſicut ſerpentes; quod confirmari etiam poteſt ex eo, quod Hebraeos peſte afflatos ſerpens reſtituit; non incongruum igitur aſſerere licet, Deum creaſſe ſerpentes iſtos ad augendam ſuam gloriam in hac morborum ſingulari curatione.

Aſt ego, qui aliorum opinionem defendere minime volo, et veritatem ſenſibus proſequor, his traditionibus minime acquieſco, nec profecto obſcuris ſtandum, dum emicant clariora. Sanitatem propriismet oculis in hoc ſpecu recuperatam vidi, et ideo negare minime audeo: cauſam tamen altius perpendere convenit, nam ſi ſufficienter ex notis atque accidentibus ſanitatis cauſam inveſtigare poſſumus, ad quid recurremus ad ſerpentum lambitionem nunquam viſam, aut perceptam ab aſſidentibus et ab aegris. In hoc antro tactu percipio calorem, ſentio ſudorem, inſpicio fumoſum vaporem, aquam calidam guſto, ſulphureum odorem olfactu accipio: quare omnibus liquet ſenſibus, antrum illud nil aliud eſſe quam verum balneum ſiccum, aut vaporoſum de natura hypocauſti. Ad cujus veritatem elucidandam atque indagandam, ut aliquid conſentaneum exponerem, nullum recuſavi laborem, et quanquam ſeptem mille paſſus ab antro iſto diſtarem, aliquam tamen experientiam facturus, et in ipſo loco plurima animadverſurus, illuc terque quaterque me contuli, ubi ultra praenotata cognovi, collem iſtum non longe diſtare a Monterani oppido, cujus ager gaudet mineris vitriolicis, ſulphureis, atque marcaſita, quae (ut ait Joh. R. Glauberus in ſua parte 2. ubi agit de concentratione mineralium per nitrum) ſulphuris receptaculum, quare collem antri praefati, ob maximam viciniam, claudere intra ſua viſcera ſulphur, minime dubitandum; eo magis cum prope adſint ipſa aedificia et fodinae, ubi ſulpur conficitur, ſive ut propriis loquar verbis, extrahitur atque depuratur. Addo inſuper, hoc in jugo, ubi antrum praedictum eſt, quamplurimas eſſe ſciſſuras, in quibus non parvus emanat calor non diverſo modo

quam

quam ex antro ipſo, et hyemali tempore fumus quoque conſpicitur, a frigore denſatus, quod ſecus contingit aeſtiva tempeſtate. Neque multum diſtant ab his fiſſuris, vel ab antro alicujus domus veſtigia, quam, vulgo aſſertore, Romani Medici incendi curarunt, ideo quia a morbis, ab ipſis pro deſperatis habitis, hic plurimi, cum eorum opprobrio, ſanabantur. In hujus domus reliquiis cernuntur adhuc integrae cellulae duae admodum anguſtae, parvi hypocauſti inſtar, quae vaporoſum calorem talem temperatum naturalemque ab aliquibus montis foraminibus mutuabantur, quae foramina adhuc apparent. Quod vero calor ex foraminibus prodiens ad efformandum hypocauſtum ſuffecerit, ſudorem expellendi capax, periculum feci in me ipſo, qui clauſa janua, vix unius horae ſpatio ibi permanens, optime ſudavi; hanc domum igitur quampluri-mas continuiſſe cellulas ſudoriferas, ex relictis veſtigiis patet.

Calorem autem iſtum ſub ſpecie vaporis diverſis ex collis locis erumpentem conſimilem eſſe vapori illi, qui in antro percipitur, non eſt dubitandum. Si porro quaeratur, unde proveniat, ex praeſuppoſitis liquet, hunc calidum vaporem non aliunde quam ex mineris ſubterraneis ortum habere. Omnium quippe mineralium, quae ab aqua, ſive pura ſive ſalibus animata diſſolvuntur, igneae particulae, quae inter eorum moleculas latitant, in diſſolutione reſiliunt, atque ſecum aquam diſſolventem in vaporem rapiunt, caloremque ſenſibilem efficiunt. Hinc etiam ſi ferrum involvatur panno aqua madido, poſt aliquot horas incaleſcit, ut ope thermometri appliciti ante aſperſionem et poſt eam innoteſcit. Plurimi quoque volunt, praecipue priſci, qui craſſo modo philoſophabantur, aquam evadere calidam per miſcellam ſulphuris, et per tranſitum aquarum per ſulphureas mineras: aſt quia recentiores vident immiſcibilitatem ſulphuris et aquae, nequaquam a ſulphure thermarum calorem deducunt. Quare licet ſulphuris odor in omnibus aquis ferventibus percipiatur, non eſt tamen quod pura aqua purumque

que ſulphur calorem efficiant; aſt aliquod aliud minerale aut ſal corroſivus, quorum medio fit diſſolutio corporis et reſilitio igniculorum, ut dilucidius in miſcella calcis et aquae apparet propter actionem alcali aquae, et calcis acidi, ut Tachenius addit in Hippocrat. medic. clavi: ſilex coctus donec gluten id eſt alimentum moriatur, vocatur calx, quae adhuc recens aqua aſperſa efferveſcit, agitque ejus acidum in patens et proprium alcali, eo magis quia (ut ait Boyle de fluido et Sal. Sec. 18. (quidquid ſentiat in contrarium Gliſſonius cap. 34. de minimo naturali) aquarum particulae in perenni motu agitantur atque moventur. Hinc eſt quod mixta aqua acidis quibusdam, tanquam menſtruum ſua agitatione illorum particulas evolvit atque fermentat, ut videre eſt in panis acido fermento aquae permixto, in ſpiritu chalcanthi et oleo tartari, atque coralliorum tinctura, et hoc eſt quod ajebat Tachenius in ſuo Hipp. chim. inſenſibiliter acidum aſſumit alcali, et alcali viciſſim ſorbet acidum, in utramque partem tendunt fermentorum more. Quod idem aenigmatice protulit Cous 1. de diaeta: ſpiritus alter trahit, alter protrudit. Quare cum plurima aqua ſubterranea per mineram vitriolicam, ſulphuream, ferream etc. pervadit, et aqua, ut ait Willis de ferment. cap. 9. ſit unum e magnis ſolventibus, ſeu menſtruis, quae a natura exiſtunt, ſatis mechanice deduci poteſt, aquam in mineris praefatis fermentationem poſſe cauſare; et quia in efferveſcentiae motibus ſpirituoſiores particulae et leviores facile avolant, ſecum alias aqueas trahentes, hinc fit quod qua data porta extollitur, et prodit calidus vapor, et ubi antro ſive alio obice retinetur, ut in caſu noſtro, illud valde calefacit, ut delineavit Willis clariſſimis verbis, de ferm. cap. 3. inquiens: etiam corpuſcula ſulphurea ſoluta et ſimul aggregata, calorem quandoque et ignes ſubterraneos accendunt, quorum halitibus ſpecus et cavernas veluti ab hypocauſto excalefactas dum latices aquoſi pertranſeunt, furorem concipiunt et fontium calidorum ſcaturigines pro thermis ſuppeditant. Addo et ego, quod ſaepiſſime

piſſime

piſſime aquae elatae ſub vaporis ſpecie in montium cacumine in frigore ſtationario ſummitatum condenſantur et refrigerantur, ut origines quoque fontium frigidorum exiſtant.

Quod vero latices aquoſi mineralibus mixti, ſub ſpecie vaporis aſcendant, autopſia in caſu etiam noſtro innoteſcit; antrum enim, de quo agimus, in variis fornicis partibus guttas exſtillat, quae dubio procul nihil aliud ſunt niſi vapores ipſi fornici adhaerentes refrigerati et in guttulas aquae converſi; cujus ut certior fierem, aptavi foramini noſtrae cryptae, per quod aſcendebat vapor fumi inſtar (ex quo etymologiam Fumaioli deſumſit) vitream campanam ſtillatoriam multo luto linitam, ita ut totus vapor intra ventrem campanae intraret, et ſtatim per alembicum aquam collegi tantummodo odore ſulphureo praeditam, et vix tranſierat media hora, ubi fornix antri guttulas dare ceſſavit; argumentum evidens, guttulas illas ab illo vapore pendere; quod confirmatur pariter ex eo, quod tempore frigidiore magis viſibilis ſit fumus ille vaporoſus, majusque illius ſtillicidium, a frigore enim pendet vaporum in aquam condenſatio.

His praelibatis, deſcendamus ad penſum, noſtramque ſententiam proferamus; Sanitas, quae in hoc antro recuperatur, ſerpentibus minime tribuenda, ſed duntaxat vapori illi calido minerali, qui ſpecum in hypocauſtum convertit. Cujus rei ſatis clarum indicium haberi poteſt e relicti illius domus veſtigiis: ibi enim, ut praenotavimus, duae cellae adinſtar hypocauſti adhuc ſtant, quae ex aliquo foramine prope pavimentum, talem ac tantum vaporem calidum accipiunt, ut ſi janua diligenter clauſa eſſet, cellulae iſtae haud diſſimiles appareant hypocauſtis illis ex tabulis elaboratis, quae vocant arcas. Hac igitur, (antequam domus incendiata fuiſſet, aut, ut ſatius eſt credere, a tempore, quod ut canit Ovidius Metam. lib. 15. edax rerum eſt, deſtructa,) ad ſanitatem reſtituendam ſudoris vi aptae erant, ibi enim ſerpentes non aderant, cum eo tempore januis munita ita clauſae eſſent, ut nulli animalium pateret ingreſſus, ſolo enim ca-

lore a praedicto foramine aegri ſanabantur, atque calor iſte vaporoſus nullo pacto ab antri calore diverſus eſt, ubi ſerpentes morari inanis refert fama, tum ut patet ex praedictis, tum ut apparet ex ſimili odore ſulphureo, tum quia denique eadem apparet aqua indiſtinguibilis ſenſibus ab ea, quae per alembicum fuit collecta in antro et in cellularum foraminibus.

Ad confirmandam doctrinae hujus cohaerentiam, dico, tot Romae hypocauſta conſpici, quae praeſtant conſimilia prodigia; ſiquidem gallicis in morbis, et doloribus articularibus mira ego ipſe vidi, et tamen illorum calor, cum ab igne artificiali dependeat, aequalitatem caloris antri adamuſſim minime ſervare poteſt. Quare igitur noſtrae cryptae mineralis vaporoſus calor, qui ſemper immutabilis eſt, minoris erit valoris prae igne iſto artefacto absque praefatis anguibus, atque a morbis aegrum levare non valeat? cum, ut docet Hippocrates, natura in omni re ſit ſimilis, omnesque calores et ignes germanam jactent naturam.

Hinc Willis in Pharmac. rat. cap. de ſudatione ſcribit: Pro nutriendis animalium corporibus unico tantum aditu, ſcilicet per os, alimenta ingeruntur, at natura ſatis provida exitum multiplicem, ſive plures evacuationum modos efformavit, quibus materiae alibilis recrementa, vel particulae quaevis incongruae, aut aliunde ſuſceptae, aut intus genitae foras ejiciantur. Inter quos evacuandi modos amplior eſt, qui per cutem celebratur, ita ut Sanctorius lib. de Med. ſtat. de octo comeſtorum et epotorum libris quinque per inſenſibilem tranſpirationem abire, aequa lance demonſtrarit; hinc (pergit Willis) ſi heterogeneum aliquid in primis viis ſubſiſtat, vomitu aut purgatione excernitur, quod ſi, ut in caſu noſtro, ſanguini aut liquori nervoſo ſe immiſceat, aut ſolidis partibus adhaereat, mox tranſpiratione et ſudore eliminatur.

Neque hic gallici et articularis doloris cauſam, aut ipſius elephantiae examinare libet, ne diſcurſus nimium ſe extendat; autopſia tamen ipſa docet, enumeratos morbos, qui in centro

tro ſuperare conſuevere, ſudorificis praecipue ſanari. Quod innuere voluit Hippocrates 2. prorrêt. inquiens: qui vero juvenis eſt, et circa articulos nondum callos habet concretos, et accurate vivit, et laboris amans eſt, ſanari poterit. Laboris amans, id eſt, qui labore ſudorem in ſe provocat, aut ſaltem poros magis aperit; cui, clarius ait Riolanus de arthrit. ſudorum provocatio maxime conferre poterit: ſic enim ſeroſa materia per habitum corporis diſcutietur. Sudorem gallicis morbis et leprae prodeſſe tam clarum eſt, ut auctoritatem recuſet. Quare quidquid ab Ethicis ſententioſe profertur, agentibus de virtute morali, dictum commutare conſuevi in virtutem phyſicam, ajendo: virtutem poſuere Dii ſudore parandam.

Item Hippocrates lib. 2. praediction. et quibus, ait, circa articulos dolores fiunt, ſudores ſibi nocturnos oboriri dicunt; inde addit: et ſi ſudores non fiunt, periculum eſt ne claudi fiant. Inſuper de loc. in hom. carnes, inquit, valde plenae factae, cum capere non poſſint, fluit humor, qui capi non potuit. Et paulo inſuper noſcens reaſſumtionem venarum et ſudoris utilitatem, addit: cum autem corpus fuerit reſiccatum, et alioquin corpus ipſum ſibi ipſi communicans ſit, etiam cum ſiccum eſt, deducit et concipit, ac ducit ubicunque humor tandem obtigerit. Quae verba tam clare diaphoreſis utilitatem noſtris in morbis declarant, ut mei nil ſit prorſus addendum.

Addo denique auctoritatibus praedictis, mechanice minime oſtendi poſſe, quomodo ſola ſerpentium lambitione removeatur humiditas illa vitioſa, quae ſecundum Hippocratem in cit. l. de loc. in hom. arthritidis cenſetur cauſa, ego autem ocula- riter per ſudorem evacuari oſtendo.

Haec ſufficerent, pro ſententiae tamen meae confirmatione duas juvat addere hiſtorias. Quidam Andreas Mulio Viterbienſis doloribus arthriticis ſumme cruciatus, menſe Novembri An. 1682. noſtrum antrum ingredi cupidus, opium a me poſtulavit, quod non avara manu praeſcripſi, noſcens a timore vim opiatorum obtundi; ipſe tamen moratus eſt in antro tota no-

ſte inſomnis, neque, ut ipſe ait, ſerpentem ullum, neque ullam lambitionem ſenſit, copioſo ſaltem tandem profluente ſudore. Summo mane exiens ab antro (cum ante ingreſſum vix ſe movere potuerit,) alacriter percurrebat; ſicque ab antro inſalutatis ſerpentibus ſanus diſceſſit. Idem evenit Angelae, Joh. Baptiſtae Orioli incolae uxori; iſta enim ſummis cruciatibus articularibus vexabatur: menſe autem Septembris A. 1681. manens per binas noctes in ſerpentium ſpelunca, opio nil operante, nullum ſenſit ſerpentem, et ſana, mediante copioſo ſudore, evaſit. Sic finem facio, cum illo Hippocrateo dicto 1. de diaeta: immerito ullus ipſorum reprehendatur, propterea quod invenire non poterat; imo laudandi omnes, quod inveſtigare conati ſunt.

Vlteriorem de hoc Antro relationem curioſam Anonymi cujusdam praelaudatus Dn. Vallisnerius noſter cum ibidem communicaverit, eandem hic ſubjungere, Lectori curioſo non ingratum eſſe poſſe cenſemus.

Poſtquam Anno 1697. mihi ob adverſam valetudinem fuit conſultum, ut me ad Antrum illud ſerpentum prope oppidum Saſſo dictum, in monte fruticibus obſito, a natura efformatum, atque in jurisdictione illuſtriſſimi Marchionis Romani, Conſtant. Patritii, viginti circiter milliaribus Roma, in via, quae Viterbio ad Centumcellas ducit, ſitum, conferrem, quod talibus plenum eſſet animalibus, quae virtutem varias infirmitates, et has inter etiam contracturas nervorum, qua laborabam, curandi haberet; et quamvis magnum mihi haec cura metum incuteret; ab amicis tamen, ut absque ullo timore eandem ſubirem, monitus fui, cum nullum exemplum ſuppetat, quod ullum vel minimum damnum ab illis animalculis illatum, econtra nervorum contracturas, dolores, lepram, ſcabiem, et omnis generis ulcera ibi ſanata fuerint; neceſſe tamen eſſe, ut ante ingreſſum, pro ſomno inducendo, opium ſumerem, cum alias animalcula illa a corporis aegrotantium motu mox aufugiant; tempus autem illuc eundi menſem Majum inter et Junium conſuetum eſſe. Florentia itaque in viam, Viterbium verſus me dedi, ubi in noſtrum

Capu-

Capucinorum monaſterium ingreſſus fui, et quamvis inſtitutum illud meum, qui curam aegrorum ibi habebat, diſſuadere mihi ſtuduerit, omnia falſa eſſe dicens, quae tum de animalium illorum praeſentia, tum virtute referantur, (id quod etiam poſtea Medicus coenobii ordinarius confirmavit,) nihilominus iter meum continuans, in locum illum perveni, atque poſt aliquot dierum in praefati Marchionis palatio moram, ſumto prius opio, antrum intravi, impoſito panno craſſo et pulvinari parvo, ad evitandum incommodum ab arena et parvis lapillis in ſolo occurrentibus. Oſtio dein cum panno occluſo, et omni veſte depoſita, corpore extenſo decubui, ſomnum et ſerpentum adventum expectans. Ipſa caverna eſt a natura facta, circa cujus ingreſſum aliqui ficus ſilveſtris et quercei frutices viſuntur; in antro ipſo diverſae ſunt lapidum aperturae, et aliquae cavitates profundae in montis interiora exporrectae; ſpatium ejus non amplius eſt, quam ut hominem extenſum capiat, altitudo dimidium hominem aequat, ut impoſſibile ſit, erectum ibi ſtare poſſe; amplitudo vero ea eſt, qua commode quis corpus vertere queat. Cavitates ſive ſciſſurae praefatae plenae ſunt ſerpentibus minoribus, magnis et maximis, e quibus illi exeunt in montem redeuntque; quin et ex iisdem continuo calor quidam exhalat, qui in aeſtate aliquas herbulas, quae in antro illo naſcuntur, exſtillare facit, in hyeme autem fumus evaporat, qui e longinquo viſum incurrit, unde etiam fumarium, Italiae *fumarolo* nominatur: vapor ille aut calor inſtar halitus humani exhalat, dulcis, ſuavis, non moleſtus aut ſulphureus, qualis eſt balneorum mineralium. Idem calor ſudorem in corpore aegrotorum ſenſim excitat. Quando itaque perſona dormit, quidam ſerpentes egrediuntur, explorantes, an corpus illud vere ſit immobile; et poſtquam obdormiſſe et ſudare comperiunt, alii ſerpentes tam in ipſo antro prodeunt, quam in illud ingrediuntur, et linguis ſuis omnem ſudorem abſumunt, quin et ulceribus, ſi quae adſint, ſe applicant, usque dum cruſta abſcedat et ulcera ſanentur. Incolae mihi narrarunt, angues hos tantum habere robur, ut corpus aegri in-

vertere valeant; quod ego quidem aſſerere nequeo, cum id in octo meis ingreſſibus non obſervaverim, ubi trina ſaltem vice obdormivi, quinquies autem dormire non valui, dum opium mature operationem ſuam non peregerat, et ita ibi dormiens actui illi attendere non potui, hic vero immobili in ſitu permanens ſomnum cum fingerem, nullam tamen revolutionem ſentii. Quidquid ſit de hoc, ſuo in pretio id relinquo. Solum hoc dico, ſerpentes poſt praeſtitum ſuum officium, iterum abire, poſtquam nec minimum malum aegroto intulerunt; id quod in me ipſo expertus ſum, qui licet per tres quatuorve horas in antro ſubſtiterim, ſi nil boni, ſaltem etiam nil mali mihi fecerunt. In illo tempore, quo dormire non potui, et ita immobilis, quaſi dormirem, permanſi, ſemper aliquos anguium illorum ſuper corpus meum repere ſentiebam, horroris quaſi febrilis ſenſum inducentes, ubi quandoque huc et illuc oculos nonnihil convertens, ſaepius, imo fere ſemper diverſos ſerpentes, parvos et magnos, videre contigit; quorum aliqui media ſui parte ex fiſſuris lapidum propendebant, alii etiam circa ramos quernos et ficuum haerebant. Duabus ultimis vicibus, quibus antrum intraveram et bene dormiebam, ſocius meus (qui in tuguriolo vicino ruinoſo me expectare ſolebat,) longiorem meam in antro moram ſuſpicatus, acceſſit, ut me vocaret atque in egreſſu pro more ſuo adjuvaret; unde ego expergefactus plurimos ſerpentes ſuper me conſpexi, qui a primo meo motu auffugerunt; ultima etiam vice, vel penultima, cum dormire non poſſem, evidentius luſtrare eos ſtudens, paulo poſt minorem aliquem, palmum cum dimidio longum, cinericei coloris, (qui etiam in reliquis omnibus cernitur,) ex apertura prodire, et circiter cubiti diſtantia a meo capite, ſubſiſtere, perque longum tempus me intueri, cum vero manum meam paululum verſus illum extenderem, ſenſim ſe invertere et abire obſervavi.

Epi-

Epiſtola reſponſoria
MARCI GERBEZII,
Medici Labacenſis in Carniolia,
ad Epiſtolam ab Exc. Domino
FRANCISCO SIGISMUNDO CATHARINIO,
Medico et Practico Graecenſi in Stiria famigeratiſſimo, 3. Jan. 1718. ad ipſum, ut ſuam febres malignas, et petechiales curandi methodum communicet, ſcripta, Labaco 2. Martii An. 1718. transmiſſa.

PerIll. et Excellentiſſime Domine
Dn. Collega, Fautor, et Amice Collendiſſime.

ETſi te, Amice aeſtumatiſſime, in eum Practicum Medicum, qui alios potius docere valeas, quam ab aliis doceri egeas, non minus publica fama, quam particularis Celſiſſimae Principiſſae de Eggenberg, dum poſtremo hic Labaci moraretur, ad me facta dilaudatio jam pridem adoleuiſſe abunde divulgarit, quod ſingularis Tua erga meam tenuitatem humanitas, laudabiliſſimaque curioſitas tibi tamen eo perſuaſerit, ut quoque meam malignas, et petechiales febres curandi methodum tibi cognitam habere concupiſcas; Te eandem celare nec volo, nec debeo.

Et quamvis hocce in paſſu deſiderio tuo abunde ſatisfactum iri nullus dubitem, dummodo te ad Chronologiae meae Med. annum tertium, ubi §. XL. et fol. 248. et ſeq. illa ſatis fuſe deducta reperitur, ablegarem: vt ulterius tamen curioſitati Tuae ſatisfacerem, adhuc quaepiam eis hic adjungenda eſſe cenſueram.

Et imprimis quidem omnem epidemiam ſolere eſſe ſuae ſingularis naturae, ſeu genii, a ſua ſingulari cauſa dependere, et ſingularibus quibusdam ſolere ſtipari ſymptomatibus; proindeque ſingulariter tractari debere. Conſequenter eidem univerſalem aliquam medendi methodum aſſignare vix eſſe poſſibile.

Qua de cauſa jam pridem exhortatus eſt medicos practicos celeberrimus Sydenhamius, ut in curandis quibuscunque epidemiis minime praecipites ſint, ſed in primis ſuae curae com-

miſſis

miſſis patientibus potius veluti ſpectatores agant, diſpiciantque, quonam natura vergat, quidve ſponte ſua ſalubriter moliatur? et poſtea primo eam ſagaciter ſectando in reliquis aegrotis ſuam medendi methodum inſtituant. *Natura* ſiquidem, teſte Hipp. *artificioſa eſt, optima morborum medicatrix, et per ſe docta, quod ſibi congruum eſt, ſervare, et quod incongruum ſegregare.*

Secundo maximam intercedere aegrotantium inter temperamenta, ſexum, aetatem, vitae ſtatum &c. diverſitatem, quae ſimiliter med. methodum plurimum variat; dum aliter tractari vult ſanguineos, aliter bilioſos, aliter melancholicos, et aliter phlegmaticos, quamvis hi adeo hiſce malis non ſoleant eſſe obnoxii, qua ſanguinei, et bilioſi, quique optime videntur eſſe conſtituti, et ſolidiſſimae valetudinis, utpote robuſti, juvenes, et optime colorati.

Item aliter gravidas, et copioſis menſtruis obnoxias, aliter alias mulieres. Sanguineos ſiquidem tempore populariter graſſantium morborum priusquam illi adhuc in malum inciderunt, praeſervative penes cautiorem, quam alios, diaetam, a ſua plethora proportionata venae ſectione liberate juvat, bilioſos, et alios cacochymicos a ſua cacochymia competente purgatione expiare. Gravidis, et copioſis menſtruis obnoxiis etiam vena in brachio, vel ſalvatella inciſa ſanguinem proportionate imminuere. Vt vel ſic ſanguini ad febrilem incenſionem, ad abortum, et ad intempeſtivam menſium proruptionem proni proclivitas ſaltem quadantenus adimatur; vel ſi qua eos tamen in morbum incidere accidat, eum facilius ſufferre queant. Quamvis qualiter ſimilibus etiam jam actu a morbo oppreſſis (exceptis in utero gerentibus, cum quibus nonnihil, uti paulo poſt audietur, cautius eſt agendum) in prima mali invaſione, vel ſaltem in primo biduo, triduove, et priusquam exanthemata ſeſe produnt, proportionata ſanguinis imminutio venae ſectione, vel ſaltem vicutis ſcarificatione facta, vel ſi praeterea cacochymici eſſe videantur, lenis, nempe aqua laxat. Managettae. magneſ. ⊕, vel aliquo ſimili inſtituta corporis evacuatio, vel ſaltem clyſtere moe-

emolliente eluitio, quin imo in malo a recenti repletione, et cibo, aut alia vitioſa materia in ventriculo turgente, ventriculi levi vomitorio depletio obeſſe poſſet, non videam: et haec quidem ex conſilio ipſius Hipp. qui 2. *aph.* 24. expreſſe ſuadet: *In principio, ſi quid movendum eſſe videtur, eſſe movendum.* Et 4. *aph.* 10. *purgandum eſſe in valde acutis, ſi materia turget, eodem ipſo die, et differre eſſe malum.*

Et hoc quidem non tam propterea, quaſi ego exiſtimarem, venaeſectione, aut purgatione malignitati directe quid ſubtrahi poſſe; ſed ſufficit, quod ei ſubtrahatur quid indirecte; in quantum nimirum imminuto ſic ſanguine mox in mali invaſione, viribus adhuc conſtantibus, neque adhuc protruſis exanthematibus ſperare fundate licet, quod febris in ſanguineis adeo non intendetur, in gravidis praeterea facilius abortus, et in copioſis, aut praematuris menſtruis obnoxiis eorundem intempeſtiva proruptio praecavebitur. Purgato vero leniter, citra videlicet magnam humorum exagitationem corpore, ſaltem in non gravidis, bilioſis tamen, et cacochymicis ſpes non vana ſit, malignitati fomitem, qui ei juxta dicta, a cacochymia facile accedit, ſubductum iri, conſequenter malum tanto facilius non ſolum tolerandum fore, verum et ſuperandum, quamvis, uti monet ipſe Hipp. 1. *Aph.* 24. *haec omnia cum diligenti circumſpectione*, maxime in gravidis, ſint facienda; utpote quas idem Hipp. caute tractare jubet, dum dicit 5. *Aph.* 24. *praegnantes purgabis, ſi materia turget, quadrimeſtres, et usque ad ſeptimum menſem ſed has minus: minore vero vel grandiore faetu exiſtente, abſtinebis.* De quo vero tamen ulteriora *in Intricato-extricato meo Medico part. 2. cap. XVI.*

Eſt quidem in poſtrema noſtra rubeolari mox ſub anni 1715. ingreſſum (eo usque enim ſaltem ſporadice graſſabatur, variolis econtra maligniſſimis toto praegreſſo autumno ſaevientibus,) hic Labaci inchoata, et per totam hyemem usque in Junium menſem excluſive cum plurium per provinciam hominum millium internecione in omnem ſexum, et potiſſimum in juvenilem, et quoad apparentiam ſaniſſimam aetatem graſſata epidemia nos

neque ex venae ſectione, neque ex purgationibus adeo manifeſtum collegiſſe levamen, ut eis potiſſimam curationis vim tribuere potuiſſemus; vidimus ſiquidem non minus reconualuiſſe, et obiiſſe eos, qui utrumque, vel ſaltem alterutrum in mali principio adhibuerant remedium, quam qui nullum, vel ſolum alterutrum, ut adeo perinde mihi eſſe deberet, pro eis ſtare, vel non ſtare. Quod ſuperius a me inducta ratio vero adeo eorum uſum ſuadeat, nec diſſuadeat experientia, niſi in peſte ipſa propter ſingularem ſuam acutiem, et celeritatem, talium remediorum celebrationi nullum tempus concedentem, vel etiam forte in aliqua alia epidemia per experientiam ſpecialiter tali: non poſſum non eorum uſui in ſuis circumſtantiis, et cum ſuis cautelis ſubſcribere.

Tertio apud alios aegrotos ſubinde praevalere febrim, accedereque eam ad ardentium naturam cum pulſu celeri, frequente, et inaequali, ſiti immenſa, et ſanguineae maſſae veluti colliquatione, ſudoreque non tam ſublevante, quam potius vires depaſcente. Apud alios econtra febrim videri eſſe ſat mitem cum pulſu, et urina veluti naturali, reliquis accidentibus vero interea tanto deterius conſtitutis, praeſertim virium proſtratione, quibus propterea ſimiliter univerſalem aliquam medendi methodum aſſignare non licet. Niſi ſaltem in genere dicamus, in priore caſu temperatiora adhiberi debere, minime aromatica, aut volatilia, qualia ſunt ♁ium diaph. C. C. phil. prpt. ocul. 69. marg. coralia, terr. ſigill. bolus arm. ſacch. ſaturni, vnicornu utrumque, lap. bezoar, or. et occ. lap. Goanus la pietra di Goa dictus, nitrata quaecumque, ſeu ⦶. prpt. flor. ⦶. lap. prunell. ⦶. antim. arcan. dupl. (niſi diarrhoea adſit) ſpec. de gemm. frig. pulv. pann. rub. correctus, &c. Aegris ſaltem mediocriter, et non nimium coopertis: vires ſublevando temperatis, et ſucc. limon. citri, granat. Item ſyr. de acido citri, limon. granat, aut rubi idaei, et ſpir. vitrioli, aut ⦶. ſicut et potu ordinario ad gratiam dulcificatis, et acidulatis. In altero caſu autem, ubi nimirum febris mitior eſt, et ubi non tam ſanguis, quam ſpiritus affecti eſſe videntur, aut ſanguis ad coagulationem tendit,

tendit, malignitas econtra praevalere cenſetur, poſſe praetermiſſa venae ſectione mox uſurpari volatiliora, et aromatica, qualis eſt pulv. pannon. rub. ord. pulv. alexiph. pulv. rubeus Caeſ. contra peſtem, ſpec. liberant. bezoard. min. ⊖. C. C. volat. liquor. C. C. ſuccin. mixtura ſimpl. camph. myrrh. tinct. bezoard. tinct. ♃ii, Elect. diaſcord. Frac. famoſum illud Pauli de Sorbeit *de febre maligna* adeo decantatum decoctum vincetoxici, et leviſtici &c. praeſertim tempeſtive admota veſicantia, et ventoſarum per dorſum, et crura iterata tractio, frictiones &c.

Verbo, ut rem claritatis gratia adhuc breviter recolligam: In quacunque epidemia populariter graſſante ego primo ad genium talis mali attendere ſoleo, et quonam natura ſibi relicta cum levamine aegrorum tendere, quosve motus ſalubriter moliri ſoleat, obſervare; hincque primo de agendis concludere. Sique advertam eam ſpontaneas alvi fluxiones, narium haemorrhagias, aut ſudores toleranter, et conferenter, uti vult Hipp. 1. *Aph.* 2. ferre; in cacochymicis, et alvum renitentem habentibus in prima mali invaſione ad mentem ejusdem Hipp. 2. *Aph.* 24. et 2. *Aph.* 10. corpus proportionato laxativo, vel ſaltem clyſtere, vel in recente repletione, cibo et potu adhuc indigeſtis, vel alia peccante materia in ventriculo turgente levi vomitorio expurgare ſoleo. In ſanguineis venam incidi curo, et in ſudorem minus proclivibus moderatis diaphoreticis naturam ad ſudandum diſpono. Si vero contrarium adverto, motusque illos naturae minus conferentes eſſe perſpicio; potius contrarium molior, purgantia quaecunque una cum venae ſectionibus praetereundo, ſolis moderatis alexipharmacis nunc volatilioribus, nunc minus, vel prorſus non volatilibus, ſed ſaltem abſorbentibus, et praecipitantibus, aut nitratis, nec non cordialibus talibus &c. contentus. Secus ac ſolent procedere illi, qui aegri corpore qualitercunque conſtituto mox ad alexipharmaca, eaque fortiſſima recurrunt, aegrosque maxime coopertos ad intempeſtivos ſudores cogendo, quemadmodum id obſervavi olim Viennae cum aegri interitu. Imo et hic Labaci in famoſo patricio, cui ex repletione in febrim incidenti praemiſſo ſolo

clyſtere mox propinata erant gr. 40. lapidis Goani: Cui tamen procul dubio melius contuliſſet vomitorium, et poſtea, quae ulterius videbantur eſſe neceſſaria.

Secundo obſervare ſoleo aegrotantis temperamentum, aetatem, vitae ſtatum &c. Hincque, ſi in tempore, id eſt prima invaſione, vel ſaltem primo biduo, triduove, et priusquam adhuc maligna exanthemata prodierunt, ad aegrum vocor, in ſanguineis, gravidis, et copioſis menſtruis, aut alias intempeſtivis obnoxiis, aut conſuetam aliquam ſanguinis profuſionem ſuppreſſam habentibus de venaeſ. ſum ſolicitus: niſi, uti jam ſuperius dixi, epidemiae ſpecialis genius contrarium ſuadeat, qualiter communiter ſolet peſtis. In bilioſis, aut aliter cacochymicis (in gravidis tamen cum ſingulari praemeditatione) proportionato purgante, vel in recenti repletione proportionato vomitorio, praeterea corpus expurgo, vel ſaltem clyſtere eluo. Et deſuper primo ad idonea alexipharmaca, cordialia, ventoſas, veſicantia &c. me accingo, conjunctis ſymptomatibus quoque ſuis remediis occurendo. Siti videlicet aqua decoctionis rad. ſcorzon. raſur. C. C. hordei, et ſem. faenic. per ſe, vel ſpir. Vitrioli aut ⊕. ad guſtum acidulata, vel etiam ſuperius recenſitis ſyrupis dulcificata: decocto citri Mynſ. ſine cortic. parato, aut aqua Noceriana per ſe, vel cum ocul. 69. C. C. phil. ⊕. ♁iato et ſacch. perl. maritato; pomis citri, limon. taleolatim conciſis et ſacch. perſperſis ſaepius ori, ad exſugendum inde ſuccum ingeſtis, ceraſis, aut aliis acidis fructibus conditis &c. Vigiliis, et capitis doloribus, applicato temporibus, et fronti ungu. alabaſtr. popul. cum ol. papav. nuciſtae, vel etiam uno vel altero gr. opii ſubactis. Deliriis, emplaſtris veſicatoriis, et capiti raſo applicitis pipionibus, aut pullis recens per medium diſcerptis, nec non plantis pedum applicito catapl. ex raphano, panis fermento, ſale, et ruta invicem conquaſſatis, et aceto rutaceo perſperſis confecto. Convulſionibus, antiſpasmodicis, cordialibus, et alexipharmacis adjunctis, pulvere puta Marchion. ſpec. diacinn. Mynſ. ſpecifico cephal. liquore C. C. ſuccin. &c. recteque nunc laudatis veſicantibus, pipionibus aut pullis capiti raſo iterato admotis &c.

Tertio

Tertio attendere ſoleo ad febris genium, et ad malignitatem. Hincque ſi febrim adverſam malignitati praevalere, in venaeſectione tempeſtive inſtituenda, ſique videtur in levi corporis ſaltem clyſtere emolliente evacuatione, in temperato regimine, in temperatis, et ſaltem abſorbentibus alexipharmacis, cordialibus, etc. refugium quaero. Si vero febrim adverto mitiorem, minusque urgentem, praetermiſſa venaeſectione mox me in cacochymicis, aut cachecticis ad proportionata evacuantia converto, ad plus minus calida, aromatica, et volatilia alexipharmaca, cordialia, ventoſarum tractiones, et praeprimis ad veſicantia, utpote quae prae aliis optatum ſuum effectum edidiſſe communiter obſervavi, ſi modo ſatis mature fuere in uſum tracta. Atque ſic communiter meae curae commiſſos, ſi tamen tempeſtive ſatis ad eos vocor, illique ſe exacte obtemperantes exhibeant (quemadmodum in Hippocratici illius 1. *Aph.* 1. obligantur: *Oportet non modo ſe ipſum exhibere promptum ad ea, quae decent, facienda, ſed et aegrum, et praeſentes, et externa*) ad optatam morbi ſolutionem opitulante, a quo eſt omnis medela, Deo perduco.

Remediorum formulas, quibus iſta perficere ſoleo, quidem hic ſubjungere etiam non obeſſet; quod tali vero Viro ſcribam, qui eas aliunde me melius formare novit, facile me excuſatum iri, confido. Excuſatum etiam, ſi epiſtolae mox finem imponerem: praeſertim quod, quae forte adhuc hic adjungi poſſent, potiſſimum deducta reperiantur in Chronol. meae medicae loco citato.

Ne quid vero tamen praetermittam, ex quo hactenus dicta forte adhuc aliquam lucem mutuare queant; eis ſequentia adjicio: Et primo quidem fuiſſe hic Labaci eo anno, anno videlicet 1715. quo memorata noſtra rubeolaris epidemia populariter graſſabatur, juvenaſtrum practicum, qui ut ſibi apud homines aliquod nomen conciliaret, evincere conabatur, eo anno nulla prorſus eſſe introſumenda purgantia, nullam venam ſecandam, niſi quis vellet ultronee ſeſe periculo contrahendae illi febrili malignitati ſubjicere. Multos jam etiam in ſuas partes

pertraxerat,et inter caeteros quoque Celſiſſimam Principiſſam de Averſperg, quae ex mea ordinatione recte poſtridie praeſervativam curam ſubire determinaverat. Poſtquam ego vero ei repoſueram, experientiam recte oppoſitum ſuadere, qua mihi conſtat, quod hactenus illi, qui (principium autem veris erat,) adhuc, ſed ſolum apparenter ſani, caeterum vero tamen vitioſis humoribus referti, aut ſanguine nimio turgentes praeſervativam me ordinante curam ſubierant, corpus decenter expurgando, venam, ſi eis neceſſaria eſſe videbatur, ſecando etc. potius a contractione talis infectionis ſe praeſervarint, quam quod eam incurriſſent: veluti fuere varii utriusque ſexus religioſorum conventus, quibus ego curando praeeſſe ſoleo, et alii plurimi ſaecularium. Rationem etiam illud ipſum evincere, qua indubium eſt, corpora pura, qualia tali curatione redduntur, infectioni, et putredini minus eſſe obnoxia, quam impura: tantum effeceram, ut non minus memorata Celſiſſima Principiſſa, quam potior nobilitatis pars eo veſpere ibidem in ſocietate bey der Geſellſchafft congregata potius meam opinionem amplexa fuerit, quam Juvenaſtri illius veram curandi methodum primo cum lampade quaerentis:et quidem cum eo emolumento, ut neminem ſciam,qui peracta tali cura in malignam illam febrim incidiſſet. Quidquid etiam de hujusmodi curis, ut inutilibus, de purgantibus,ut deleteriis et venenatis, de venae ſectionibus, ut nocentiſſimis, et de cacochymia, et plethora, ut de entibus chimaericis in tractatu ſpeciali *de curis vernis* non pridem evulgarit contra communem, Hippocratis, Galeni, et reliquorum claſſicorum autorum, nec non omnium ſcholarum medicarum ſententiam, quia medicamenta, quae tamen teſte Gal. toto coelo a venenis differunt, a venenis non diſtinguit, D. Werloſchnichius Welſenſis in ſuperiori Auſtria Practicus,caeterum vir apprime doctus, amicus meus ſingularis. Secundo in poſtrema illa noſtra rubeolari epidemia ſubinde poſt acta, communiter intra 14. dies exantlatas rubeolas aegris veſiculas quaspiam aqueas nunc majores inſtar piſi, nunc minores toto corpore cum fuſco cutis, ac ſi aduſta fuiſſet, colore ſubinde prorupiſſe ſolitas. Et

iſtos

iſtos communiter interiiſſe intra paucas dies, proculdubio ob vires a priori morbo adeo fractas, ut poſteriori ſufferendo impares fuerint redditae. Quamvis ex iisdem nonnulli tamen evaſerint, veluti ego ipſe, cui primo 21. morbi die tales veſiculae minutiſſimae ſed cum ſublevante ſudore, adeoque critice ſupervenerant: et parochus Iggenſis D. Omerta, cui veſiculae illae ſed triplo majores 14. morbi die cum febris, et anxietatum, imo et delirii renovatione fuere protruſae. Vterque mox in prima mali invaſione ſanguinem emiſerat: Ego utpote potius bilioſus, quam plethoricus dorſi ſcarificatione: Dn. parochus venae medianae inciſione. Caeterum uterque alexipharmacis, et cordialibus temperatis, uti et regimine temperato tractatus. Parochus tamen et veſicantibus, utpote delirus cum metu convulſionum.

Tertio quamvis hac tranſiens certus in poſtrema Olomucenſi peſte, uti aiebat, Loimicus talia veſicalia exanthemata etiam impeſtatis eſſe familiaria ſubinde edixiſſet, eaque pro carbunculis aqueis, Waſſer Carbunckel habuiſſet; nos epidemiam illam noſtram tamen propterea pro vera peſte, ob ulteriorum peſti familiarium ſignorum defectum nullatenus agnoviſſe.

Quarto altera illa febre, in qua febre exiſtente mitiore cum pulſu, et urina connaturaliter, reliquis vero tanto deterius conſtitutis, qui laboraſſent, quidem adeo frequenter mihi non occurriſſe; fuiſſe tamen Vicarium ad S. Petrum extra urbem, qui primo elapſa aeſtate adeo maligne cum pulſu et urina usque in decimum morbi diem adeo connaturali febricitarat absque ullorum exanthematum protruſione, ut niſi ſingularis, eaque repentina virium proſtratio, linguae ariditas, delirium, et tendinum in manuum carpis ſubſultatio eum febricitare arguiſſet, cum nemo febricitare judicaſſet. Qui tamen non obſtantibus factis faciendis, volatilibus videlicet alexipharmacis cum antiepilepticis ob ſubſultationem illam tendinum communiter inſtantium deliriorum, et convulſionum praenunciam maritatis, cordialibus, veſicatoriis, et pipionibus, pullisque capiti raſo itera-

to

to applicatis etc. Decima tertia morbi die e medio ſublatus fuit. Vt adeo manifeſte apparuerit, longe periculoſiores eſſe ſolere tales, quam acutiores illas febres, et hoc, uti reor, partim quod eae curantem medicum non reddant aeque attentum, partim, quod facilius ſit incenſum nimium ſanguinem ſufflaminare, quam torpidum, et ad coagulationem tendentem reſuſcitare, et volatilem reddere.

Denique, cum ex hiſce ſic poſitis confidam, Te Amice aeſtimatiſſime, abunde caepiſſe, quae mea genuina eſſe ſoleat febres malignas, et petechiales curandi methodus, in eo ſaltem ab aliorum curandi tales febres modo diverſa, quod conſideratis nonnihil accuratius earum differentiis, et genio, nec non patientum temperamentis, ſtatuque magis ad celebrandas in prima mali invaſione venaeſectiones, et lenes purgationes inclinet, quam alias communiter fieri ſolet ab aliis practicis; et hoc quidem ob rationes ſuperius adductas, et experientiam ipſam; etſi, uti dixi, eae ſemper tantum levamen prae ſe ferre non ſoleant, ut absque eorum uſu curationes ſaepius aeque feliciter non ſuccederent. Vnde cenſeo duo iſta magna remedia, venae ſectionem, et purgationem in morbis malignis quidem non eſſe abſolute neceſſaria; eſſe tamen ubi videntur eſſe, convenientia, ſummopere proficua, et propterea, ſi medicus tempeſtive ad aegrum vocetur, aetas, temperamentum, vires, et reliqua conſentiant, facile non praetermittenda.

Si proinde mea iſta, uti reor, rationabilis, Hippocratis autoritate, et experientia ipſa ſuffulta opinio aeque Tibi, ac mihi arriſerit, eam amplecti, et cum ſuis cautelis pro ſapientiſſimo tuo judicio imitari poteris. Sin minus? ſaltem ſincera iſta mea Tibi ſerviendi promptitudine boni conſules. Sique Tibi et in aliis me ſervire poſſe exiſtimaveris, ulterius jubebis. Interea vive, et cum Tuis ad votum vale. Dum ego me ulterioribus tuis favoribus enixe devovendo maneo Celeberrimi Tui Nominis

cultor devotiſſimus

Marc. Gerbezius Med. Lab.

EPISTOLA

EPISTOLA
D. JOANNIS PHILIPPI BREYNII
DE
ALCYONIO
MIRAE ET ELEGANTIS STRVCTVRAE,
REPERTO IN MARI BRITANNICO,
AD
D. MICHAELEM FRIEDERICVM LOCHNERVM,
ARCHIATR. ET COM. PALAT. CAESAR. NOBIL.
EPHEM. NAT. CVRIOS. DIRECTOREM
ET COLLEGII MEDICI NORIB. DECANVM.

D. MICHAELI FRIDERICO LOCHNERO, ARCHIATRO CAESAREO S. D. JOANNES PHILIPPVS BREYNIVS, MED. DOCT.

OPtimam illam ſemper cenſui amicitiam, quam ſimilitudo genii peperit et vis occulta cognati ſtudii fovet. Haec amicitiae noſtrae, Vir Illuſtris, baſis, hoc objectum eſt. Vtrumque noſtrum idem tenet ſtudium, inquiſitio ſcilicet naturae, quod animos noſtros incognitis, ſed ſvavibus alligavit catenulis. Saepius enim naturae arcana quaerens, tacitus mecum es, ipſe inobſervatus tecum. Nec ſufficit tibi affectus et amoris terminos privatis includi cancellis, ſed publico eos prodis τεχνουργίῳ *eruditiſſima* ſcilicet *de Belilli*, polychreſto illo Solorenſium Timorenſiumque medicamento, ante annos aliquot ex India Orientali in Europam delato, *diſſertatione*, quam tenui nomini meo inſcribere dignatus es. Hanc mihi non tantum, ſed et omnibus hiſtoriam naturae et materiae Medicae vere amantibus, gratiſſimam eſſe oportet. Ego lubens fateor mihi pharmacum hoc nunquam viſum, quod tamen ut muſeolo meo quoque accedat, curabo: interim, illuſtris Lochnere, Tecum judico, nos Europaeos facile medicamento hoc adeo raro et adulterationi vix detegendae et corruptioni obnoxio, carere poſſe; cum forte meliora, quorumque bonitas facilius dijudicari poteſt, uti in ſimplicibus non praeparatis contingit, vel noſtris habeamus in terris, vel ex aliis regionibus minori longe cum moleſtia aſportentur. Nec obſtant inſignes adeo, quae ipſi adſcribuntur virtutes, qui enim Indorum hyperbolicas virium medicamentorum deſcriptiones et exaggerationes noverit, facile is fidem iis mox non adhibendum eſſe, mihi largietur, niſi propria vel aliorum fide dignorum virorum experientia et longo uſu fuerint probatae. Cui itaque copia ejus forte for-

tuna ſuppetit et occaſio, experiatur ipſe, quid valeat et cum re-publ. Medica absque invidia communicet.

Quae hac occaſione de *Tethyis* refers, ubi doctam non ſaltem de iis excutis antiquitatem, ſed quid et neoterici de iis tradiderunt, abunde enarras, digniſſima ſunt, quae legantur. Haec autem, ubi mecum perpendo, veterum de iis monumenta ſatis obſcura, nec recentium multo reperio clariora. Interim videtur mihi, *Bellonium*, *Rondeletium et Aldroandum*, cum *Ariſtotele* componi poſſe, idemque animal intellexiſſe, ſcilicet marinum imperfectum (ſit verbo venia) incertae figurae, plerumque tamen conglobatae, calloſa cute tectum, duobus foraminibus, altero oris, altero anus vicem ſupplentibus pervia, ſubſtantiae intus carnoſo fiſtuloſae, ſcopulis, vel teſtis adhaerens. Hunc pro Tethyorum charactere habeo, donec meliora fuero edoctus; non enim Tethya nunquam a me viſa diffiteor, quorum in ſcholis medicis nomen aeque ac naturam pene ignota eſſe, recte mones. Ex Tethyorum Amboinenſium deſcriptione, a *Clariſſ. Rumphio in Muſeo Amboinico* p. 46 tradita, hic quidem, quem dedi, non apparet character; ſed dubito an ad Tethya referenda ſint, quae hoc nomine deſcribit Rumphius loc. cit. an non potius ad Alcyonia, imprimis ſi conferantur cum certa quadam Alcyonii ſpecie, a me inferius tradenda. Idem ſentio de producto illo marino, ex quo teſte Rumphio l. c. p. 47. Belilli paratur. Vt adeo Belilli ex Tethyis fieri ex Muſeo Rumphiano citato, adeo certo demonſtrari necdum poſſit.

Optandum itaque maxime, quae verba tua, Vir Excellentiſſime, ut iterum inculcem permittas, *fore virum in hiſtoria naturali verſatum, in iis, quae mari alluuntur regionibus, qui hoc laboris ſuſcipere et anatomen interiorem Tethyorum conſcribere vellet*; addo ego *et caeterorum productorum marinorum, Zoophyta, Zoographis plerisque dictorum.* Horum enim hiſtoria,

ſtoria, ſi ulla, eſt inculta, confuſa, manca, ne dicam ferme nulla. Libenter ego ſpartam hanc pro ingenii modulo in me ſuſciperem, mari vicinus, ſed Baltico, quod ad minimum circa noſtra litora, ejusmodi Zoophyta, ſi unicam urticae marinae ſpeciem, hactenus a me obſervatam excipiam, ignorat; et quamvis alia maria, ut Oceanus Germanicus, Britannicus, Hiſpanicus, mare mediterraneum mihi inviſa non ſint, attamen nec in iis multa hujus generis corpora in itinere conſtituto obſervandi contigit felicitas, quare eam aliis, quibus occaſio et fortuna magis favent, relinquere cogor. Interim unicuique licet ſymbolum ſuum afferre (quod egregie ſane praeſtitit ſolertiſſimus rerum naturalium marinarum indagator *D. Reaumur* in una et altera urticae marinae ſpecie, *dans les memoires de l' Academie Royale des ſciences* An. 1710. p. 608. et ſeq.) donec ex multis particularibus univerſalem eorum condere liceat hiſtoriam. Hic piaculo ducerem praeterire indefatigabile *Illuſtriſſimi Comitis Marſiglii* ineffabili Hiſtoriae Naturalis dulcedine capti, *circa ea, quae ad maris et marinorum corporum naturam ſpectant,* *ſtudium,* quod *ſpecimen ejus Phyſicum Hiſtoriae maris,* Illuſtriſſimae Societati Regiae Pariſienſi ſcientiarum tranſmiſſum, paucis *dans l' Hiſtoire de l' Academie 1710.* recenſitum, affatim teſtatur; ſpecimen vero ipſum cum figuris, vel forte ipſam hiſtoriam naturalem maris, ſummo adhuc expectamus deſiderio. Sed e diverticulo ad viam. Patebit fortaſſe accuratius examinanti, zoophyta ita dicta, talia revera non eſſe, ſed omnia et ſingula, vel ad vegetabile, vel animale regnum referri poſſe. Quemadmodum *ſpongias* a veteribus quoque inter zoophyta marina numeratas, e carceribus eductas, vegetabilium claſſi adſcripſerunt Botanici. Sed neque *ſpongiarum* productionem et naturam exhauſtas eſſe, veteres ſive, ſive recentiores ſi evolvamus patebit; longe minus *Alcyoniorum.* *Alcyonia* enim veterum, quorum Dioſcorides et Plinius mentionem faciunt, quid revera fuerint, ex contractis ipſorum ſcriptis hariolari vix licet. Recentiorum Alcyonia;

u 3 pluri-

plurimis quidem rerum naturalium cultoribus nota ſunt, eorum vero character latet hactenus. Inter rei herbariae namque ſcriptores, Principes *Rajus* et *Tournefortius* in deſcribendo certo Alcyonii, quod vegetabilium claſſi inſerere non dubitarunt, charactere deficiunt. Vnde ego, donec alius aptiorem demonſtret, ita definio, *Alcyonium eſſe plantae genus in aquis naſcens, fungiforme, variae figurae, cruſta in quibusdam ſcrupoſa, in aliis calloſa tectum, ſubſtantiae intus ſpongioſae, in aliis ſpeciebus quaſi carnoſae.*

Cum generis hujus meminerim, liceat mihi, hic ſpeciem ejus quandam, mirae et elegantis ſtructurae, olim a me obſervatam annectere. Ejus iconem mea manu exaratam, una cum deſcriptione, Roma jam 1703. miſeram ad illuſtriſſimam Societatem Regiam Londinenſem, ſed ſaeviente marte perierunt literae cum incluſis. Monitus poſtmodum, ut ſchedas meas reviderem, ſequentem reperi deſcriptionem. An. 1703. menſe Julio in itinere marino ex Anglia in Italiam conſtitutus, dum in canalis Britannici extremo e regione promontorii Lizard dicti, navigabam, puer quidam in navi, caſu mirum quoddam productum marinum, hamo ex mare protrahebat, una cum parte ſaxi, cui baſi ſua adhaerebat firmiter, quod mox ad me, quem in rebus naturalibus curioſum norant, deferebatur examinandum. Erat autem ex latiori baſi ramoſum et quaſi digitatum, ramis 7. vel 8. ſi recte memini, teretibus, pollicem fere craſſis, molle et lubricum ſubſtantiae tenacis, carnoſae et elaſticae, trium unciarum altitudine, ubi rami longiſſimi, quae, quod miratu dignum, ad ſex ſeptemve uncias gradatim increſcebat, ubi baſi verſus ſuperiora elata ſuſpendebatur, gracileſcentibus interim ramis; ſi vero erigebatur iterum depreſſa baſi, ad priſtinam ſe ſenſim contrahebat dimenſionem. Coloris carnei, innumeris aſteriſcis, inſtar Corallii ſtellati, minoris, albi, *Joh. Baubin.* undiquaque in ſuperficie ornatum, poris minoribus punctulorum inſtar hinc inde

inter-

interſperſis. Ramus, ubi digitis comprimebatur, jucundo ſane ſpectaculo, ex aſteriſci uniuscujusque fere centro erigebatur ſtylulus, teres, ſesquilineam longus, non nihil diaphanus inſtar cornu limacis, qui fortius compreſſus aquam ſaepe fonticuli vel ſiphonis inſtar evomebat, remiſſa vero preſſione, ſe iterum contrahendo quaſi abſcondebat. Odore praeditum erat foetido, piſces marinos mortuos referente, ſapore vero ſalſiſſimo-muriatico. Subſtantia interior carnoſa erat, poris, vel potius tubulis ſecundum longitudinem, aqua repletis pervia coloris ex albo transparentis, quae circum circa cute tegebatur ſive cortice calloſo, unius lineae ferme craſſitiei, in exteriori ſuperficie aſteriſcis et poris, de quibus ſupra, ornato, coloris albicantis, non nihil diaphani. Hunc inter corticem et interiorem ſubſtantiam, innumera latitabant corpuſcula ſphaerica, coloris ex aurantio-rubicundi (unde toti carneus) ſed admodum exigua, ſemine ficus triplo minora, aqua intus repleta, quae ego pro ſeminibus habebam, aſteriſcis ſupra deſcriptis forſitan floſculorum vices ſubeuntibus; quod ut credam eo facilius inducor, quia cum floſculis et ſeminibus quarundam ſpecierum fuci, obiter quondam a me obſervatis, a ſupra laudato *Dn. Reaumur* vero *dans les memoires de l' Academie des ſciences* 1711. et 1712. ſumma diligentia deſcriptis, multum conveniunt.

Salutavi itaque hoc *Alcyonium ramoſo-digitatum, molle, aſteriſcis undiquaque ornatum.*

Palmam ſive manum marinam, quibusdam, Joh. Bauhin. Hiſt. Plant. T. 3. p. 791. hoc ipſiſſimum Alcyonium eſſe fere perſuaſus ſum, ſed quid ipſius deſcriptio valeat cum icone ad exſiccatum ſpecimen parata, judicet, qui meam cum ipſius deſcriptione conferet; qua ſeductus accuratiſſimus alias *Tournefortius*, eam in *Inſtitutionibus rei Herbariae* fucis, nomine *fuci manum referentis*, minus recte inſeruit. *Barrelieri Icon* 1293. et 1294. (in

(*in Opere de Plantis in Gallia, Hiſpania &c. obſervatis, a Clariſſimo D. Antonio Juſſieu, digniſſimo Tournefortii ſucceſſore nuper edito*) titulo *fungi Amanitae marini*, aliquantulum praeſtat Bauhiniana, ſed tamen exemplar quoque ſapit aridum, non recenter ex mari extractum.

Ipſe jam judices, Illuſtris Lochnere, an Tethya a Rumphio deſcripta non majorem convenientiam cum meo habeant Alcyonio, quam cum Tethyis ab Ariſtotele zoographisque recentioribus memoratis.


Sed manum de tabula; ſupereſt ſaltem, ut de obſequiis meis, quibus aliquo modo inchoata noſtra amicitia promoveri poſſit, ſis quam certiſſimus. Vale et ut coepiſti fave

Dabam Gedani e Muſeo 1717.
d. 11. Decembr.

T. T.
J. Phil. Breynio,
M. D.

MICH.

MICHAELIS FRIEDERICI LOCHNERI
ARCHIATR. CAESAR.
DE
ACRIVIOLA
EIVSQVE
NOVIS SPECIEBVS
FLORE PLENO ET PERVVIANA FOLIIS QVINQVEFIDIS
BREVIS
COMMENTATIO
AD
VIRVM NOBILISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM
DN. D. IOHANNEM GEORGIVM
VOLKAMMERVM,
MEDICVM NORIBERG. SENIOREM,
BOTANICORVM GERMANIAE PRINCIPEM,
ACADEMICVM CVRIOSVM.



Acriviola flore pleno
Acriviola flore gemello
Acriviola
Fol. quinque fide
Acriviolae Structura
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
Acriviola folia
Pelta Threcidica
Pelta Amazonica

CONſtruxeram in hortulo meo topiaria nonnulla opera e bacillis corylinis ad albedinem decorticatis, neque craſſis nimis, neque refractariis, ſed aequaliter teretibus ac flexibilibus; hoc enim bacillorum genus prae reliquis omnibus huic labori aptiſſimum. Topiariis his faſtigiis veſtiendis ſelegeram ſcandentes gratiſſimae elegantiae plantas varias, nitidiſſimis diſtinctas floribus. Feriit nulla tamen magis oculos, nulla ſolis aeſtum aërisque ingratam vim, foliorum opacitate denſitateque avertere potuit, atque haec, quam ideo otii in praediolo meo fallendi gratia deſcribendam ſuſcepi. Incendit animum jam cupidum magis, nova et a nemine, quantum mihi conſtat, deſcripta plantae ſpecies TIBI, Amiciſſime VOLKAMMERE, φίλατον κάρα, et mihi Ratisbona ab amico communi transmiſſa. Hoc cum inſpexiſſemus attentius novum naturae miraculum, et ego, cui claſſi accenſenda foret, ex TE velut ſtudii hujus oraculo ſciſcitarer, TV pro ingenii, quo polles, acumine, mentisque innata hilaritate,

et lepidos miſcendo jocos et mollia verba,

animum curis laſſatum, erexiſſes; ſolitudini meae literatoque otio poſt abitum tuum relictus, firmiter conſtitui, TIBI hoc quicquid eſt, inſcribere, ſpe firma fretus, ex illuſtri TVO nomine, et parta apud Europaei orbis praecipuos Botanicos gloria et auctoritate, incomtae tenuique opellae meae aeſtimationem acceſſuram, et decus.

ACRIVIOLAE PRIMA PATRIA
ET DIVERSI NOMINIS RATIO.

Peruviani haec ſuboles ſoli eſt, ut auri argentique, ſic ſaluberrimarum herbarum feraciſſimi regni; hinc vere de hac Americana provincia Poëta cecinit:

Producis lepidos opulenta Peruvia flores,
mirandi noſtro germinis orbe parens.
Ne tibi tam placeas auri argentique metallis,
quae male foecundo gignis ubique ſolo.

Nomen plantae indigenum eſt *Pellon chili*, quod forte e regno Chili Peruano contermino huc immigrarit. In Mexicanum porro transplantata agrum, viridariorum ſeptis et feneſtris exornandis adhibita, *Pellon mexiquititl* dicta eſt, teſte Nardo Antonio Reccho in Hernandez Hiſtor. medic. nov. Hiſpan. L. V. c. XXXV. p. 161.

Quo quidem temporis articulo ex his orbis novi provinciis in Europam noſtram transfretaverit, haud equidem liquet. Veroſimile eſt ab Hiſpanis aliis Indicis mercibus junctam in Europam allatam eſſe, ubi *Naſtuerço de las Indias* dicta, ſic ſentiente incomparabili Cluſio, (ubi male forte e typothetae negligentia *Maſtuerſo* legitur) Not. in Manardem. Ex Hiſpania reliquis provinciis copia facta peregrinae hujus elegantiae floris.

Excell. Comelinus in Praelud. Botanic. notavit, hoc plantae genus tot ferme nomina obtinuiſſe, quot illius meminere Auctores; et flos certe exiſtit, ſi ullus πολυώνυμος. A *naſturtii*, quod aemulatur, ſapore, *naſturtii indici* nomen, vel potius a ſpeciali patria, *Peruviani* indidit Nard. Ant. Recchus loc. cit. quem ſequitur uterque Bauhinus, et Botanicorum plurimi, quos

defendit numerus junctique umbone phalanges.

Quo ſenſu pariter illuſtr. quondam Turnefortius in immortal. Inſtit. Rei herbariae opere Claſſ. XI. Sect. II, Gener. VI. *Cardamindum* vocat, quaſi *Cardamum Indum*; κάρδαμον enim Dio-

ſcoridi

ſcoridi naſturtium audit, quod cardiacis conveniat, unde pariter καρδαμίνακα. Huc Khuenius Breidenbachius in Zodiac. Medic. reſpiciens p. 669. ſcribit:

Cardamum pingit quoque Dodonaeus, in oris
Indorum tantum ſurgens, Indumque *vocatum.*

Inde quoque *ſyſimbrium indicum* appellatur, cum naſturtium eodem gaudeat cognomine. Alii, quos inter diligentiſſimus Dodonaeus, a floris ſimilitudine, qua regium florem delphinium ſive calcatrippam aemulatur, *Delphinii peruani* nomen impoſuit:

- - Scilicet auratum dat gloria calcar
Huic plantae, et flores magnus es inter eques.

Secundum Anglum Coulejum plantar. libr. IV. qui ſimul a Britannis *Tarksheel* a calcare magno dici affirmat. Et jam ante Coulejum, Khuenius, quem modo laudavimus, et quidem magis appoſite, ad Delphinium retulit:

Flos croceus, retropendens, et imagine cornu eſt,
quale refert caudam Delphinion herba recurva.

Ob coccineas venulas, quibus aſperſi quaſi flores, a Manarde *floris ſanguinei* nomine inſignitur, quo collineat Joh. Terentius Not. in Nard. A. R. dum ſcribit: Duo folia minima lineas quasdam rubeas inſcriptas ferunt plagis Chriſti opt. max. quibus in cruce paſſim exornari ſolet, haud diſſimiles, tria vero reliqua inter praedictas ſunt tria veluti clavorum capita. Haec pio zelo abreptus Manardes. Quod amplexicaulis ſcandensque planta, convolvulis accenſetur a Dodonaeo; quippe

Exprimit effigiem, qualis convolvulus effert
cauliculis frondes laetas pulchreque virentes,
quosque ſuis ſpatiis diſcriminat angulus aequis.

Aſari vero *Peruviani* titulum promeruere folia.

A ſapore acri, quo pollet, κατ' ἐξοχὴν *acrem Americanam* dictam voluit ſolertiſſimus quondam horti Patavini praefectus,

Proſper Alpinus de Plantis exoticis. Ab odore, quem ſpirare nonnullis videbatur, vel potius quod ad floris propius accederet ſtructuram, inter violae ſpecies recenſita a Joh. Terentio notis in Hernandez et Nard. Anton. Recchi hiſtor. med. N. H. libr. V. c.35. Hinc cum illuſtri Moriſonio ſuo Ammannus, Florae illud delicium Lipſienſe, *violam indicam luteam naſturtii ſapore* circumſcripſit, quos incomparabilis Hermannus in Hort. Lugd. Batav. p. 628. et βοτανικότατος Plukenetius in Almag. Botanic. p. 388. ſequitur. Patriciatus Dantiſcani haud exiguum decus, Breynius, in Prodrom. rar. plantar. *violae affinem umbilicato ſive peltato folio, ſapore naſturtii Americanam* delineat.

Qui floris tandem ſimilitudinem, cum ſapore junxerunt, *ACRIVIOLAE* aptiſſimum tribuere nomen. Primus, qui hoc uſus cognomine, extitit Federicus Caeſius Angeli et S. Poli princeps, Marchio M. Coelii in Tabb. Phytoſophicis, quas e fronti-ſpicio naturalis theatri ejusdem principis MStis Franciſcus Stellutus Lynceus depromſit Tab. XII.

Cujus veſtigiis laudatis inſiſtens, Amicorum optime, in Flora tua Norimbergenſi *Acriviolam* nominaſti, una cum Exc. Comelino in Praelud. Botan. et ingenioſiſſimo Rivino in ordine plantar. irregul. p. 24. Sed haec ſufficiant, cum jam omnia ferme plantae hujus cognomina recenſuerit et congeſſerit ὁ πάνυ Plukenetius in Almag. Botan.

ACRIVIOLAE GENVS ET SPECIES.

Nominis apud veteres Botanicos diſcrimen hinc potiſſimum ortum traxiſſe videtur, quod plantam ad certum reducere genus, et ad ſigna debita cogere nequiverint. Quae felicitas magna ex parte hodierno contigit ſeculo, licet circa hanc quoque plantam, diverſis inhaereant ſententiis Botanicorum coryphaei. Nec enim perfectiſſima illa adhuc adinventa methodus, omnes ſuppeditans claſſes, quibus inſerendae plantarum anomaliae. Ipſe acutiſſimus Rajus in diſſertatione de Variis plantarum Methodis candore ingenii nunquam ſatis praedicando, ingenue confiteri coactus eſt: Subductis rationibus omnibus ſe inveniſſe,

natu-

naturam in pleriſque methodum affectare, non tamen in omnibus obſervare; ſed ſpecies quasdam producere ſingulares et ſui generis, alias incerti, ut ita dicam, laris, et ob convenientiam in diverſis partibus ad plura genera revocabiles. Proinde genera ſumma ſeu claſſes illae, quarum notae ſolae conſtitutivae ſunt, genuinae et a natura definitae non erunt. Nec tamen ulla inſtitui poteſt methodus generalis, plantas omnes complectens, quae hujusmodi genera non neceſſarie admittat. E tripode certe dicta ſunt.

His methodi difficultatibus non obſtantibus, *Acriviolam* noſtram methodi ſubegit legibus idem Vir, ob ingentia merita ſtudii Botanici omni digniſſimus aeternitate, et plantis pentapetalis enangioſpermis ſive vaſculiferis flore irregulari ſive difformi, cui terna ſingulo flore ſuccedunt ſemina, accenſuit. Veſtigia illuſtris Raii premens induſtrius Hermannus, plantis tricapſularibus tricoccis annumerat. Celeberrimus Turnefortius affinitatem ei conciliavit, cum herbis flore polypetalo anomalo, cujus piſtillum abit in fructum multicapſularem. Mihi non poſſum temperare, quin ex ejus laudatiſſimis Inſtitutionibus rei herb. loc. cit. delineatam et deſcriptam Acriviolam benevoli lectoris oculis ſubjiciam.

Cardamindum (ſive acriviola,) ſcribit, eſt plantae genus flore A polypetalo, anomalo, ex quinis nempe petalis diſſimilibus B in inciſuris calycis D naſcentibus C conſtante. Piſtillum autem F ſurgit e fundo calycis D in caudam E deſinentis, abitque deinde in fructum G, in quo velut in capitulum colliguntur ternae utplurimum capſulae H ſubrotundae ſemine foetae I ejusdem formae K.

Cum ob floris anomaliam neque ad violam, multo minus ad naſturtium trahi queat, Tu, amicorum optime *Volkammere*, in *Flora* tua *Noribergenſi*, exaſciatiſſimo opere, genus Acriviolae dicere muſſas; ſequentibus tamen mentem aperire mihi libuit: Plantam eſſe tricoccam flore difformi ſeu irregulari pen- „ tapetalo, quem delapſum ſemina ſequuntur terna nuda. Acri- „

vio-

„ violam ideo vocari, quia quoad irregularitatem florum, et „ quia petala quandam cum viola martia affinitatem habere vi„ dentur, quamvis non proprie, ad hoc genus pertineat.

Quatuor plantae hujus ſpecies recenſentur, quas magnitudo et color floris diſcriminat. Quae minor vocatur, flore gaudet vel ſulphureo ſive dilutiori, vel aureo ad coccineum accedente. Maxima, quam ante aliquot luſtra America novarum feraciſſima rerum, et Africae poſtea, nobis exinde miſit, floribus eisdem gaudet ac minor. Cujus ſtructuram omnibus partibus ampliorem vulgari naſturtio Indico, jam ulterius deſcribere conſtitui.

ACRIVIOLAE FOLIA AN PELTATA ET DISCRIMEN PELTAE AMAZONIAE ET THRECIDIAE.

E craſſa, pallida, fibroſa, repente *radice*, admirabili fertilitate luxuriant viticuli longiſſimi, herbacei, ſucculenti, glabri, qui vel ſolo incumbunt, eique adrepunt, vel vicinos ſtipites bacillosque ſuis complexibus involvunt. Horum genicula foliis ſuppeditant originem.

Foliorum proceritas in minori et majori ſpecie ex ſoli felicitate et fertilitate dependet, ſaepe latiora ſunt quam longiora, medio pallente umbone, cui pediculus inſeritur in aliquot concolores radios ad ambitum usque diductos. Sunt autem folia ſuperne glabra, inferne brevi lanugine hirſuta, medio fere, ut in cotyledone, pediculum excipiunt ſesquidodrantalem, interdum ſubrubentem, tortilem, ac capreolorum inſtar, quibus tamen deſtituitur, vicinos bacillos ſuis complexibus involventem.

Foliorum figuram, variarum plantarum foliis aſſimilant. Veneris umbilico ſimilia N. A. Recchus, Aſari modo orbiculata Cluſius ad Manardem, hederae modo angulata Chabraeus, circinatae rotunditatis Bauhinus, orbiculata peltata cum Hermanno incomparabili recentiores plerique pronuntiant; quo ipſo, quod a Bauhino depingitur naſturtium indicum foliis anguloſis cum ſiliqua, e claſſe acriviolarum proſcribitur.

Dicuntur autem vulgo a botanicis peltata folia, a pelta brevi ſcu-

ſcutulo, cujus formam referre debet. Sed movit amicus quidam circa hoc foliorum cognomen dubium, aſſerens, adhuc ſub judice litem eſſe, quae et qualis peltae conformatio fuerit?

Xenophon a Polluce citatus libr. I. Onom. c. x. n. 6. p. 91. Edit. Hemſterhuiſ. Πέλτη Ἀμαζονικὴ, ὥς φησι Ξενοφῶν, παρεοικυῖα κιττοῦ πετάλῳ. *Pelta Amazonica, ut Xenophon inquit, hederae folio ſimilis eſt.* κιττὸς nempe Attice pro κισσὸς. quamvis Seberus e MSt. legerit χρυσοῦ πετάλῳ. Cl. Kuhnius citat Xenophontem libr. V. Ἀναβ. de Myſonaec. qui habet εἰκασμένα κιττοῦ πετάλῳ. Qui has peltas ferebant, vocabantur πελτάσται vel πελτόφοροι. Xenophon dum πελταστῶν meminit, ὁπλίτους opponit, et hocipſo declarat peltiſtas fuiſſe minoris, hoplitas gravioris armaturae milites.

Secundum Plin. hiſtor. natur. libr. XII. c. 5. Foliorum (ficus Indicae) peltae Amazonicae effigiem habent. Quadrangulam figuram illis tribuit Plutarchus in Vit. Theſ. cui adſtipulatur Lexicographus Varinus Phavorinus Camers: πέλται, λόγχαι καὶ ἀσπίδια τετράγωνα. *Peltae, lanceae, et parvi clypei quadrangulares.*

Plurimi Graecorum et Latinorum Auctorum peltae lunatam formam adſcripſerunt, et quidem lunae mediae. Sic enim Quintus Smyrnaeus Calaber libr. I. v. 146.

Ἂνγ' ἔθετ' ἀσπίδα δῖαν ἀλίγκιον ἄντυγι μήνης
Ἥ θ' ὑπὲρ ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου ἀντέλλησιν
Ἥμισυ πεπληθυῖα γναμπτῇσι κεραίης

Divinum etiam clypeum ſuſtulit, lunae orbi ſimilem,
Quae ſuper altiſluo oceano exoritur,
Cornibus incurvis ad dimidium ſui plena.

Virgilius pariter conſentit canens:

Ducit Amazonidum lunatis *agmina* peltis.

Et Tragicus Seneca:

Lunata *latus protecta* pelta.

Cajus Silius Italicus, qui, teſte Martiali, magni celebrat monumen-

ta Maronis, Punicor. libr. 2. v. 80. pag. 68. Edit. noviſſ. Drakenberg.

- - lunatis *Biſtones* armis.

Et libr. VIII. Punic.

- - *ubi mille per agmina virgo*
Lunatis *acies imitatur martia* peltis

Stat. Papin. Theb. libr. 5.

- - *Amazonio Scythiam fervere tumultu*
Lunatumque *putes agmen deſcendere.*

Ad quae verba Lutatius Placidus Statii ſcholiaſtes: *Scuta Amazonum, quae peltas appellant, in modum lunae formata ſunt.* Quae certe deſumſit e Servio Mauro ad v. 494. libr. I. Aeneid. *Scutis breviſſimis in modum lunae formatis jam mediae.*

Firmant haec ab Auctoribus Graecis et Latinis allata teſtimonia, monumentorum antiquiſſimorum rudera et marmora, in quibus Amazones earumque bella expreſſa, a peltis quippe ſemilunaribus, quas manibus tenent, Statio *peltiferae* dictae, hinc pro foemineo ſcuto habitum eidem libr. XII. Theb.

Non cum peltiferis, *ait haec, tibi pugna* puellis,
virgineas nec crede manus.

et libr. VII. Theb. - - *innocuis jubeas decerpere* peltis.
Adduximus haec omnia, ut appareat folia acriviolae noſtrae non poſſe, rebus ſic ſtantibus, vocari *peltata orbiculata.* Teſte enim Svida in Lexic. πέλτον ἄσπις ἴτυν οὐκ ἔχουσα. *Pelta eſt clypeus rotunditatem non habens.* Sed ariadneum filum praebet hic nobis, vir reconditae eruditionis, Petitus de Amazon. dum diſtinguit inter peltas Amazonum et Thracum. Illas lunatas et peculiaris figurae eſſe, marmora evincunt, et a threcidicis plane diverſas: ſecundum Heſychium enim, Πέλτη ὅπλον Θρᾳκῶν. Et Maxim. Tyrius diſſ. VII. Πελτάζουσι Θρᾷκες νησιῶται τελέεσιν. *Thraces in bene tractandis peltis operam ponunt.*

Fuere autem threcidicae peltae integrae et aequales pleno circu-

li

li ambitu. Facem porrigit Plutarchus; qui dum probat Ancilia differre a peltis, expreſſe addit in vit. Numae: Αὐτὰς τὰς πέλτας ἀγκύλια καλοῦσι διὰ τὸ σχῆμα, κυκλὸς γὰρ οὐκ ἐςὶν οὐδὲ ἀποδίδωσι ὡς πέλτη τὴν περιφέρειαν, ἀλλ᾽ ἐντομὴν ἔχει γραμμῆς ἑλικοειδοῦ. *Has peltas* (Saliorum) *Ancilia appellant propter figuram. Neque enim haec figura plane eſt circulus, aut circuli ambitum velut pelta abſolvit, ſed inciſionem habet lineae cochleatim ſinuatae.* Quo Plutarchi effato deſtruitur ſententia Dionyſ. Halicarnaſſens. qui libr. II. peltas Thracum cum ancilibus Saliorum comparare anniſus eſt; de quibus fuſius Clar. Gutberleth, quem in ipſo aetatis flore acerba mors maximo hiſtoriae litterariae detrimento abſtulit, de Saliis Mart. ſacerdot. cap. XIII. et J. D. Ramus in Exerc. Hafn. edit. de Ancilibus Romanorum. Plurima huc facientia pariter congeſſit, eruditiſſimus Apoſtolici ſacrarii praefectus, Fortunatus Scacchius, Sacror. Elaeochryſm. Myrothec. III. c. XX. ſeqq. qui Crethi et Plethi 2. Reg. 16. denominationem a cetra et pelta deducere conatur.

Dicuntur igitur Acriviolae folia peltata non ab Amazoniis, ſed Threcidicis peltis. Nitidiſſimus hortorum ſcriptor, Rev. P. Renatus Rapinus, omnis antiquitatis hortenſis ſcientiſſimus, ambiguo hoc peltae vocabulo abſterritus, clypeata naſturtia, ſenſu aeque ambiguo vocavit, Hort. libr. I.

CLYPEATA per omnes
Horti pulvillos naſturtia.

Sed haec occaſione peltatorum foliorum ex antiquitate decerpta ſunto; quamvis folia acriviolarum nunc dentur plane ab depictis abludentia, quod in deſcriptione novae Americanae ſpeciei poſtea nobis demonſtrandum reſtat.

Hoc pariter de peltatis acriviolae foliis obſervatione haud indignum, haec aquae immiſſa et rurſus extracta, nil humoris aquei in ſuperficie relinquere, ſed omnis expertia humiditatis, ac ſi nulla unquam aſperſa fuiſſent aqua, conſpectui ſe offerre, id quod, VOLKAMMERE ſuaviſſime, Aſcanius ille tuus, pater-

nis veſtigiis tenerrima adhuc aetate jam inſiſtens, TIBI demonſtravit.

His denique foliis lucentique eorum viriditati, viridiuſculae inhiant eruculae, quibus ni quantocyus obviam eat hortulani ſolertia, de illis actum erit. Simile hoc inſecti genus illi, quod artificioſiſſima manus Graefiae natae Merianae, in Erucarum metamorphoſi depinxit et lingua vernacula deſcripſit p. II. cap. 28. p. 57. ſeqq. Sed relictis foliis nunc florem inſpiciamus.

ACRIVIOLAE FLOS
CALCARE ARMATVS.

Ad ſingulas foliorum alas prodit alter petiolus brevior et gracilior, qui terminatur in florem ampliſſimum, artificii acuti delicias, odoratum, extus croceo intus nunc cinnabarino, nunc coccineo, nunc ſimul ex utroque variegato mixtoque colore, pulcherrime ſuperbientem, quem ſi ſolis radiis illuſtratum inſpexeris, gracili holoſerica pube, aurato perfuſa, diceres interpolatum.

Floris figuram varie pro vario captu expreſſit Botanicorum cohors. Aquilegiae et oſiridi ſive linariae aſſimilavit toties jam laudatus N. A. Recchus; Flori regio Delphinio ſeu Calcatrippae Dodonaeus; Jaceae tricolori Terentius Not. in N. A. Recchum; Perſicariae ſiliquoſae, vulgo Noli me tangere dictae, Bauhinus; plurimi Violae; aſt

pulchrior illa quidem viola cognomine verna.

Regnat autem in omnibus anomalia, miruſque floris acriviolae ab omnibus hucusque recenſitis diſſenſus.

Terentius ſeptem foliola flori tribuit, forte ad ſtabiliendam, quam de flore, ſanctiſſimi Salvatoris noſtri plagas et clavos referente et exprimente, conceperat piiſſimam ſententiam. Pentapetalam autem rerum magiſtra experientia declarat; ſuntque petala illa in maxima Africana acriviolae ſpecie, de qua nobis in floris deſcriptione potiſſimum ſermo, ſesquipollice latiora, quorum duo ſuperiora, ſurrecta e baſi anguſta coccineis fulgentibus

bus virgulis ſtriata, ſenſim in rotundam latitudinem expanduntur. Tria inferiora petala fulciuntur anguſtiſſima craſſiuscula croceata cervice, et ubi in latum orbem ſe diffundere incipiunt, concoloribus ad marginem barbulis capillantur, unguibus holoſerica macula modo coccinea, modo intenſius miniata, rhomboidea Bauhino credita, inſcriptis.

Medium occupant aliquot brevia, rigida, recurva, flaveſcentia ſtamina, oblongis ſtriatis concoloribus apiculis ornata. Flori ſubjicitur flaveſcens calix parte antica, qua floris petala complectitur, in quinque mucronatas crenas, poſtica vero in longiſſimum calcar poſteriora verſus protruſum, et purpuraſcentibus per longitudinem ſtriis inſignitum, productus.

Calcar hoc a Dodonaeo, uti diximus, *corniculum* vocatur *delphinio ſimile*, a Cluſio Balſamines appendici aequiparatur. Galli, quod ab ordinis ſacri, a caputio quo veſtiuntur, Capucinorum dicti, cucullis non multum abludat florum acuminata extremitas, *la capucine* plantam hanc vocant, atque in majorem et minorem, la capucine grande et petite, diſpeſcunt.

Luſum Poëticum de hoc acriviolae calcare inſtituit Muſarum et Florae delicium apud Anglos, Abrahamus Coulejus:

Ecce eques auratus de ſtipite carceris arcto
(agnoſcens ſignum ſole tepente datum,)
Proſilit et fulvis florem calcaribus urget,
Et ſimili flavum ſuſcipit ore diem.
Tale ſolet Caſtor, cum pervolat aequora coeli,
Spadici nitidum ſubdere calcar equo.
Credo aliquam pugnam fortis bellator inivit.
Aſpice ſanguineis corpora ſparſa notis.
Ah utinam hoc habitu viſus tibi, Naſo, fuiſſet,
Narraſſes lepidam gnaviter hiſtoriam.
Omnia dixiſſes, genus altum et fata ſuperbi
Floris, et illa rubens quid ſibi gutta velit.

ACRIVIOLAE SEMEN
ET
FALSO CREDITA SILIQVA.

Calcare cum flore delapſo, ſequuntur vascula ſubrotunda, rugoſa et verrucoſa, utplurimum terna, rarius bina, Cl. Hermanno teſte, preſſius invicem juncta, quibus ſingulis involvitur ſemen oblongo rotundum, (non quidem circinatae rotunditatis, quod Botanico cuidam placuit,) fuſcum, craſſum, ſolidum, rugoſum, ſtriatum ſeu anguloſum, nonnihil incurvatum. Aſſimilatur hoc ipſo Heliotropio tricocco mediocris magnitudinis; Terentius autem violae martiae et forma externa et viribus aequiparat.

Et hoc pariter de ſemine annotandum eſt, capſulam ſeminalem reſeratis commiſſuris trifariam hiare, ut contento ſemini exitum patefaciat. Impatientibus quippe plantis, quarum ſemina maturitatem adepta ſponte vel ad attactum reſiliunt, quod in ſiliquoſa Lyſimachia aliisque fieri conſuevit, accenſet Excell. Camerarius de Herb. Mimoſ. p. 11.

Quae cum ita ſint, quid optimo Cluſio viſum fuerit, ut plantae huic chryſalidos fructum affinxerit, non capio. Rediit tamen in viam Not. in Manardem, et in Exotic. Botanicorum hic coryphaeus, et rerum naturalium ex Indiis allatarum praecipuus promus condus, et ingenue fatetur, Naſturtium Indicum ſive Acriviolam noſtram non ferre fructum chryſalidi ſimilem, ſed, quod modo diximus, tribus ſeminibus ſimul junctis conſtantem et ad Bauhinianum Heliotropium tricoccon accedentem.

Videtur autem fructus, qui chryſalidos ſpeciem refert, ſiliqua eſſe Lobelio a nautis ex Peruviano regno patriam reſalutantibus, allata, teres, rotunda, uncialis et duos digitos longa, coriacea, ſtriis et rugis exarata, luteola, ſummo et imo ventricoſa, tantillum falcata. Hujus ſiliquae iconem Lobelius ad radices naſturtii indici ſive acriviolae poſuit; quae ſiliqua etiam in Dodonaei Hiſtoria plantarum conſpicitur; qua tamen viri coe-

tero-

teroquin in ſtudio Botanico lyncei utique decepti ſunt, et credulitatis dedere poenas.

Illuſtriſſ. Dn. Sloane hanc a Lobelio Dodonaeoque acriviolae affictam appictamque ſiliquam eſſe, Arachidnam Indiae utriusque tetraphyllam hariolatur, quam in inſula Jamaica in horto Dn. Harriſon, in loco Liquance dicto laete propullulantem vidit; ceu ipſe refert in catalogo (ſtupendi laboris nec minoris judicii opere) Plantar. Inſul. Jamaicae p. 72. et 73.

ACRIVIOLAE NOVA SPECIES FLORE PLENO.

Mira recenſitae hucusque Acriviolae maximae a polydaedala natura efficta venuſtas, Excell. Hermannum movit, ut animi ſui ſenſa declaraturus in haec eruperit verba: *Si unquam amoenioris Florae cultoribus tum varietate tum inſigni florum elegantia ſeſe commendavit planta, baec profecto ſcandentis violae vulgo naſturti Indici dicti, nova ſpecies, cujus amplitudinem et majeſtatem quilibet intuentes merito ſuſpiciunt et admirantur.*

Ingenua viri optimi, cui univerſum Chloridis in veteri et novo orbe regnum patuit, confeſſio!

Nec diffiteor, cum primitus haec ex Indiis ad Caput bonae ſpei, dehinc in Belgium et tandem ad TE, βοτανικότατε Volkammere, allatam, et in horto beati Fratris tui domeſtico laete luxuriantem intuitus eſſem, me ſumma illam admiratione veneratum eſſe. Sed obtudit oculorum aciem illa, quam nunc delineandam mihi praefixi acriviolae ſpecies flore pleno, ſtupendum in floribus ludere geſtientis naturae miraculum, cui ni fallor auctoritas inter omnes acriviolae ſpecies debebitur. Suppeditavit hanc mihi in nupero Ratisbonenſi itinere renovata amicitia cum Viro ſpectatiſſimo, Johanne Wilhelmo Weinmanno, ut artis Pharmaceuticae, ſic ſtudii Botanici callentiſſimo, cujus uberrimi teſtes ditiſſimum ejus Herbarium. Conſtat illud ex aliquot plantarum myriadibus, optime quoad poſſibile exſiccatis et conſervatis, ſed nitidiſſimis coloribus affabre effigiatis, ad-

ſcriptis

ſcriptis undique Au&orum, qui plantarum meminere, nominibus; nec theſauro hoc contentus eſt, ſed indies adhuc ad augendum illum nullis parcit laboribus nullisque ſumtibus.

Hoc Florae delicium,(nec enim piget confiteri,per quem profecerim) ex horto Swandorfenſi, ubi haec nitida ſpecies floruit, primam mihi notitiam dedit, TIBIQVE, VOLKAMMERE, eam inſpicere geſtienti, et mihi, ipſum florem venuſtate ſplendentem transmiſit. Sed et ſpecierum mox ulterius deſcribendarum ectypa, penicillo pictoris, quoad fieri potuit, ad vivae plantae effigiem expreſſa ac delineata, lubentiſſime communicavit.

Exhibemus illam et quidem majori alacritate, cum hucusque, quantum mihi conſtat, nullus Botanicorum Acriviolae flore pleno mentionem injecerit. Non defuit chalcographi in aes illam incidendi ſedulitas, attamen minime accedit, ad illam, quam prae ſe fert, pulchritudinem

- - - naturali picta figura manu.

Quin imo convictus ſum fateri, innatam plantae colorum vivacitatem pictoris penicillo, utut ſatis felici, vix tamen exprimi poſſe. Quodſi enim auratum fulgorem quis inſpexerit, et Indicum

- - multo ſaturatum lumine florem,
vicini agnoſcit nobile ſolis opus;
Laetus multiplexque ardenti fulgidus auro
orbis, adoratas blande imitatur opes.

Germina protrudit flos e globulo viridi cappariformi, dehiſcens in umbellam ſe diffundit, inſtar caryophylli vel Tunetani floris, vel ſi mavis calthae Africanae. Singula floris folia crenata; quae primo ordine locantur, largiora et latiora; quae ſequuntur petala pedetentim anguſtiora, ac tandem centrum verſus brevi acumine gracileſcunt, et coactae ſunt brevitatis.

Medium floris umbilicum globus viridis occupat, latibulum calcaris in reliquis acriviolae ſpeciebus habitum. Omni enim calcare deſtituitur acriviola haec flore pleno, ut hoc ipſo a ſim-

ſimplici diſcriminetur ſpecie, quod in calcatrippa ſponte proveniente flore pleno coeruleo itidem fieri conſuevit, quam modo laudatus Weinmannus ad monaſterium Carthuſianorum prope Ratisbonam Pruel dictum in agris laete absque calcaribus creſcentem obſervavit.

Cave inſuper globoſum illum e minimis foliolis viridiusculis coagmentatum floris umbilicum, pro capſula ſeminali habeas; haec quippe foliola ſucceſſu temporis, quod et in ranunculis flore pleno contingit, flore magis magisque ſe explicante ac dilatante debito ac conſveto colore inficiuntur, viriditate omni penitus evaneſcente.

In quatuor ſpecies, ut ſimplices, diſpeſcuntur acriviolae flore pleno. Color tres diſcriminat. Prima gaudet floribus colore luteo dilutioribus, quibus aureae internitent lineae, cujusmodi lineis et folia quaſi circumſepta ſunt. Altera ſpecies eſt foliis ſplendoris aurei ardentiſſimi, quibus jucundiſſimo ſpectaculo flavae interſperſae maculae, et crenati ejusdem varietatis mucrones: Tertia ſpecies ſanguineo, vel ſi mavis coccineo, colore rutilat, aureis interdiſtincta lineis, quae coloris mixtura variegatos efformat flores, aſpectu et ſuavitate amoeniſſimos.

Et quod ulterius decori floris accedit, inſigni fertilitate ad bacillorum ligneorum in pyramides effigiatorum congeriem, quibus alligantur, propullulant, ut in has acriviolae tot florum lucidorum feraciſſimae ſpecies optime illud quadrare videatur, quod de Narciſſo nobili Japonico jam olim pronuntiavit Botanicorum facundiſſimus: *quod* nempe *eximii floris color intuentium obtutum hebetet, et ſi ſerenus forte dies affulſerit, floresque accumulatos radiis ſol meridianus illuſtraverit, mille velut ſcintillas evibrent, quas pertinax oculus inconnivensque vix momento ſuſtinuerit.*

Quarta ſupereſt ſpecies, quam non equidem color, ut reliquas, ſed ſitus diſtinguit, flore nempe utrinque ſive gemello. Sufficiat hujus iconem ad vivum expreſſam, citra ulteriorem deſcriptionem exhibere, cum ſuperflua ſit.

Omnes hae acriviolae ſpecies flore multiplici uno eodemque folio gaudent, quod intercurrunt coſtae albiſſimae ſive nervi, quos ἶνας Graeci vocant. Folia coeterum grata ac pellucida viriditate micant, aeque tamen, ac aliarum flore ſimplici, hiemem minime ſuſtinent. Pediculi, quibus caules alligantur, interdum diluta purpura colorantur. In reliquis partibus ab aliis communibus, niſi partium mole et amplitudine, haud diſtinguitur; odor denique ac ſapor non niſi fragrantia et acrimonia, quae in pleniori major et delicatior, differt.

ACRIVIOLA PERVVIANA
FOLIIS QVINQVEFIDIS.

Vidimus acriviolas peltato ſive umbilicato folio; nunc aliam, pariter Indicam, ſiſtimus *quinquefido folio*, ab his, quae in Botanicorum notitiam pervenere, et deſcriptae ſunt, plurimum abludentem. Deſcripſit illam Pl. Rev. P. Ludovicus Feuillee ex ordine Minorum, qui ex Matheſeos, quam optime callet, ſtudio, Regii Mathematici ſpartam promeruit. Vt hanc melius exornaret, ad dubias adhuc Inſularum ac locorum novi orbis litorumque incogniti olim maris longitudines rite indagandas, ſecunda vice Americam adiit. Quibus in itineribus feliciter extra Matheſeos ſphaeram divagando plurima nobis hucusque ignota in naturali hiſtoria detexit, inque Gallias redux factus, ad vivum nativisque coloribus depicta Ludovico magno Gallorum Monarchae exhibuit; quae poſtea ejus operi Gallice inſcripto: Journal des Obſervations Phyſiques, Mathematiques et Botaniques, inſerta ſunt; quo certe labore omnem laudem promeruit; quippe

Orbe ſitas alio peragravit ſedulus oras,
Ne quid inexpertum ſua cura relinqueret unquam.

Inter rariores ab ipſo collectas plantas comparet haec nova ſpecies ſub nomine *Acriviolae quinquefido folio*. Peruviana eſt, ut

ut reliquae; illam enim in ſuburbio ſeptentrionali Melampo dictae, parte regiae urbis Limae reperit. Indigenae *Mello* vocant; Hiſpani, locorum illorum domini, *Pavarato*, hanc potiſſimum ob cauſam, quod flos e duobus conſtet foliolis, alarum avis inſtar expanſis. Radicis praecipua pars craſſitie binas aequat lineas, pluribus capillata fibris, cortice obſcuro veſtitis.

Caulis maxima amplitudo vix duas lineas craſſitie ſuperat, in altum tamen aſſurgit foliorumque extremitates tenaculorum loco ſunt, quibus arbores arripit, ſeſeque illaqueat, illasque ad ſumma cacumina usque cingit. Caulis inſuper rotundus, laevis, dilutiſſime virideſcens, ſecundum longitudinem nodis, binos pollices fere ab invicem diſtantibus praeditus. Vnicuique nodo pediculus ſive cauda trium et ſemis pollicum longitudine innaſcitur, craſſitie trium quadrantum lineae. Capreolorum more intorta eſt, cujus in extremitate folium quinquefidum prodit, longitudine pollicis triumque quadrantum, latitudinis duorum et dimidii; nec folium, uti plurimum in plantis fieri ſolet, in margine, ſed aliquot lineis a margine cauliculo connectitur ſub umbilici forma, ex quo tot nervi praecipui decurrunt, quot foliis ſunt inciſiones; fibrae hae nerveae forinſecus planae depreſſaeque, ex adverſa parte rotundiores, et ex utroque latere in ramulos bifidos diſpeſcuntur, qui verſus ambitum regularis folii excurrunt, et ad ejus circuitus terminantur. Folia pellucida viriditate gaudent, ſuntque tenuiſſima, leviterque acuminata.

Florum pediculi e folii axillis prodeunt longitudinis utplurimum duorum pollicum et partis tertiae, craſſitie lineae. Hi calicem integrum ſuſtinent, in quinque partes aequales profunde diſſectum, et in oblongum caputium ſive mavis corniculum excurrentem, longitudine rotundum, aduncum in extremitate. Ex inferiori calicis parte collaris inſtar dependent bina majora lutea petala, profunde circa extremitatem in quinque partes diſſecta, medium folium trifidum, lateralia bina bifida. Habent haec petala fere decem lineas longitudinis et ſex craſſitiei.

E ſuperiori ejusdem calicis parte tria alia petala concoloria cum duobus prioribus excurrunt, longitudine duarum linearum. Piſtillum e calice prodiens quinque ſtaminibus coloris lutei lucidi cingitur, in faſtigiis eodem colore micantibus. piſtillum hoc in fructum A abit tricapſularem. Quodlibet conceptaculum ſemen trium ſuperficierum includit, prima earum ſphaerica, reliquae binae planae, longae quinque lineas, craſſae quatuor; membranis binis tectae, exteriore viridi, interiore albicante et ſubtiliſſima. Grana haec ſaporis ſunt acrioris linguam ferientis et ſubaciduli, quae qualitates et hanc acriviolam antiſcorbuticis accenſeri poſſe, ſatis evincunt.

ACRIVIOLAE PRAECIPVA VIRTVS ANTISCORBVTICA.

Cum e novo orbe ad nos primum allata eſſet,

Interna utilitas non explorata latebat;
Effectus nec qui diceret, ullus erat.

Temporis tamen ſucceſſu, cum ſapor, ignisque examen conſtituentes plantae partes detegeret, in plurimos humanae ſalutis uſus planta vertebatur. Imprimis acrimonia guſtum afficiens, naſturtiique aemulus ſapor prodidit appropriatum remedium eſſe ad malum illud,

Cui nomen ſcorbuti Saxones indunt,
Arctoos late qui populatur agros.
Monſtrum atrox, nullum quo miſit tetrius unquam
Praedatum in terras vindicis ira Dei.
Centum illi horribiles, centum (mirabile,) formae
Bis centum armatas arbitror eſſe manus.

Hoc monſtrum dedit natura acriviolae mitigandum domandumque, nec ſine evidenti ratione. Sale enim ſuo volatili acidi ſcorbutici fomitem corrigit, mucilagines craſſas reſolvit et incidit, langueſcentem partim, partim depravatam ſanguinis fermentatio-

tationem ſuſcitat et auget, ac ſufflaminatam circulationem promovet, atque ad eliminationem per urinarias vias diſponit; quod vulgus exſiccare nominat, cum potius attenuet et aperiat; eo ſenſu a N. A. Reccho calidis et ſiccis in quarto fere gradu ſive ordine accenſetur. Sali volatili copioſo in hac planta ſociata eſt plurima pariter olei copia, quae partium praepollentia jure meritoque inter antiſcorbutica praecipua illam collocat. Et quod mireris, in ſcorbuto, calido dicto, ob admixtum plantae γλισχρὸν balſamico-gelatinoſum nutritium, omnem prae reliquis antiſcorbuticis meretur laudem.

Dira haec lues agris incognita noſtris fuerat, usque dum belli illa immaniſſima tricennalis bellua oras noſtras peteret, dehinc latius ſerpendo, vires brevi tempore acquiſivit, ſtragesque tantas edidit, quantas vix ullus morborum. Cum illuſtri Senatui ſuprema ſemper lex fuerit ſalus populi, duobus collegii noſtri membris eruditiſſimis, Roetenbeckio et Hornio, id laboris commiſſum, ut de Endemio hoc ſeptentrionis malo, urbem agrumque tunc infeſtante, aliquid conſcriberent. Obtemperantes mandatis et pro virili munere fungentes, ut ſacram anchoram ad malum hoc leniendum commendarunt cochleariae plantam, antea nunquam in agro noſtro viſam, cujus iconem inſuper ſchediasmatibus de ſcorbuto impreſſis adjungi curarunt.

Apparuit hoc ipſo, quaſi ex machina Dei optimi maximi ineffabilis clementia et averruncando, quod miſerat ira percitus malo, medelam porrigebat, cum deſideratiſſimam cochleariae plantam colonis incognitam noſtris patefaceret. In prato enim udoſo Bommelsbrunnenſi Parochiae iſtius vigilantiſſimus Paſtor, Benedictus Mauritius, e figura libello impreſſo adjuncta eam agnovit, nec manipulos tantum, ſed corbes ſatis amplos hac planta impletos in urbem noſtram miſit ad labem depopulatricem refraenandam.

Nec hic ſubſtitit caeli benignitas, malo enim ulterius gliſcenti et cauſarum ejus diverſitati, alia adhuc ſuperaddidit appropriata antiſcorbutica, quae inter trifolium fibrinum olim nobis

quoque incognitum, nunc in pratis ſponte pullulans, acriviolaque noſtra in omnibus hortis proveniens, eſt referenda.

In foetibus ab infelici foecunda tamen matre ſcelotyrbe prognatis, aeque felices promit effectus; maxime in ſtomacace, (ubi

Tetra ſitu putri foedataque dentibus ora)

tam optatum fert acriviola auxilium, ut tritae ſaepius recentibus floribus gingivae, nulla alia planta antiſcorbutica indigeant, et conſerva acriviolae fauſto omine unguento de aquilegia ſubſtitui poſſit; ligamentorum enim radicumque dentium ſucceſſivam ab acido antiſcorbutico corroſionem exeſionemque tollit. Dentium doloribus ſcorbuticis mederi, teſtis eſt N. A. Recchus, quatenus nempe irritationem nervulorum dentibus gingivisque inſertorum, a ſalibus corroſivis factam compeſcit et mitigat.

Ex Indiis orientalibus reduces nautae, ſcorbuticis articulorum doloribus vagis, et membrorum languore ad incitas redacti, ſimulac oras Africanas capitis bonae ſpei attingunt, acriviola maxima Africana mire cum aliis antiſcorbuticis in hoc tractu luxuriante, ſpem firmam reſtitutionis in integrum non ſperant tantum, ſed etiam nanciſcuntur.

Sic Archiatro quondam regio Danico, Simoni Pauli, quidam fide dignus ex Indiis redux inſtar nobilis arcani retulit, acriviolam vulgarem adverſus contumacem et malignam ſcabiem ſcorbuticam plurimum valere, id quod in Quadripartit. Botanic. recenſet. Hinc et ad vulnera recentia et ulcera pedum ſcorbutica oleum plantae hujus per affuſionem ſimpl. olei oliv. et nuc. paratum cum fructu uſurpatur. Praeſtantius tamen adhuc et efficacius redditur, ſi lotus hortenſis odoratus ſimul infuſa fuerit,

Datur pariter phthiſis ſcorbutica;

nam non una mali gliſcit violentia: centum
diverſas agit effectus.

In hac phthiſi, ſacrae inſtar anchorae acriviola. Audiamus hac de re differentem beatum Ettmullerum, communem non Germaniae

niae tantum noſtrae, ſed Europae totius, (id quod editiones operum Venetae, Gallicae, Anglicae et Belgicae probant,) praeceptorem. *Acriviola ſive communiter naſturtium Indicum,* ſcribit, *commendatur valde in curatione phthiſeos, ſive ejus folia, ſive ſuccus uſurpentur, ſi aſſumatur cum conſerva roſarum valdopere ad phthiſin curandam confert, hocque expertum ſecretum fuiſſe dicitur B. D. Moebii, Profeſſoris quondam Jenenſis. Et quidem in phthiſi hac ſcorbutica prodeſſe dixerim, ubi acidum ſcorbuticum corrodit pulmones. Vnde talia antiſcorbutica, ſive cum conſerva roſarum ſive cum ſero lactis caprilli uſurpentur, prodeſſe vix dubitem, cum lacte imprimis ſumta coercent febrim hecticam cum phthiſi conjunctam.* Haec optimus Ettmullerus.

Patet hinc, quod jam innuimus, vim plantae hujus ſpecificam non conſiſtere tantum in acri volatili, ſed in concreto integro. Si enim capiatur ſuccus expreſſus, et blanda evaporatione exſiccetur, ſubſtantia craſſa remanet, ad amaritiem accedens, ſale eſſentiali largiter impraegnata, quae non minus egregia pollet vi, ac ipſum acre volatile eidem antea ſociatum, et arte ſeparatum, ſub ſpiritus acriviolae nomine. Fluit exinde quoque, cur N. A. Recchus plantae hujus vim commendet, ad auferendos dolores et tumores a cauſa calida ortos.

Proderit igitur ratione volatilis acris in affectibus ſcorbuticis frigidis; ratione ſalis eſſentialis, in γλισχρῷ balſamico nidulantis, in calidis. Sic cum tuſſi affectis mederi N. A. Recchus tradit, intelligi illud poteſt, de tuſſi illa proveniente a viſciditate pulmonibus impacta, veſiculos implente et acidum morboſum contrahente, membranas aſperam arteriam ſuccingentes vellicante; quatenus nempe acriviolae particulae acres volatiles mucum illum incidunt, reſolvunt, attenuant, acidumque irritans et vellicans compeſcunt. Ab hac reſolvendi et mucum viſcidum attenuandi vi ac virtute aperiendi diureticis accenſetur, quippe acidi in muco nephritico ſtabulantis, compingentis et coagulantis optimus averruncus.

ACRIVIOLA ALIMENTI MEDICI VICES SVPPLET.

Qui acetariis delectantur, crudasque amant portulacas, endivias, naſturtia aquatica et hortenſia, lactucas aliaque, acriviolae flores pariter ſibi habeant commendatos, qui omnia reliqua acetaria ſuperant, ſive ſoli aſſumantur, ſive aliis intybaceis ſocientur, aromatis enim tunc loco erunt, ob blandientem guſtui ſaporem acresque particulas linguae papillas nerveas leniter titillantes.

Vt fercula alia menſis illata non guſtus tantum illecebris inſerviant, ſed et oculos paſcant et delectent, inſperguntur illis flores, quos inter acriviolae non ultimus locus eſt.

Succenturiatur quoque acriviola capparibus, quandoquidem eximiam ad faſtidia abigenda vim, cibique aviditatem revocandam non ſecus ac cappares obtinet. Nec figura diſſimiles externa, ſi, antequam flores erumpunt, globoſae florum gemmae, aeque ac cappares ſive vino ſive aceto, ſale vel aromatibus additis condiantur, quippe et cappares flores ſunt fruticis cujusdam exotici nondum completi. Virtute longe ſuperant conditae hae acriviolae gemmae, Africanos Arabicosque cappares, de quibus Dioſcorides Pliniusque memoriae tradiderunt, puſtulas eos in ore excitare et oſſe tenus gingivas exedere; ei cappares in Queixome ſinus Perſici inſula non longe ab Ormuzio ad arboream magnitudinem creſcentes, adeo acres et amaros. ut a nullo animantium, praeterquam ab aquaticis quibusdam avibus, attingantur, quo ſpectat illud Fierae:

Solvitur ardenti torpeſcens flore palatum
Capparis.

Jam vero acriviolae florum gemmae, omnem ſcorbuticam temperant acrimoniam, omnes oris eroſiones, gingivasque putres puſtulisque foedatas curant potius et mitigant, omnemque ſtoma-

ſtomacacen tollunt. Inexpertum adhuc, an illud quoque efficaciae poſſideant, quod, de capparibus notatum reliquit Plinius Hiſt. nat. libr. xx. c. xv. *Spleneticis prodeſt in vino pota radicis cortex duabus drachmis dempto balinearum uſu, feruntque xxxv. diebus per urinam et alvum totum lienem emitti.* Haec de cappari aemula et ſuccedanea acriviola. Optimo igitur jure medicamentis alimentoſis adjungitur, quae magnam partem vincunt, aliquatenus tamen vincuntur, ſive quae naturam ſuperant et in qualitatibus varie immutant, ac alterant et ſimul vero nutriunt, dum particulas quasdas nutritias corpori offerunt, quae ipſi aſſimilari queunt. Sic acriviola attenuat, incidit, aperit, detergit, acrimoniam temperat, ſed et ob γλισχρὸν balſamico-glutinoſum particulis nutritioni aptis non deſtituitur.

NOTANDA CIRCA CVLTVRAM ACRIVIOLAE.

Seminibus ſatis vel leviſſima adhibita opera planta haec faciliime pullulat. Seritur in pulvillis et areolis, ſecundum Chloridis illum archidaduchum Elsholzium in Horticult. duobus poſt novilunium diebus. Ad topiarium opus veſtiendum nihil natura commodius produxiſſe videtur. Initio, dum tenella prorepunt germina, inſueſci debent, ut bacillos inſcendant; illorum poſtea aſperitatibus ſe illaqueant, jucundiſſimoque ſpectaculo obumbrant et inveſtiunt. Funiculis humiliora germina comprehenſa verſus parietem vel feneſtras inclinantur easque obtegunt. Aliis denique fruticibus prope conſitis, velut convolvulus conſvevit, radicoſo brachiolorum amplexu ſeſe maritat.

Vmbroſis maxime laetatur, nec colles etiam dedignatur, modo ſaepius irrigetur. Semina juſto tempore decerpi queunt; ſed humi jacentia cum melius maturuerint, ſponte dejecta colligantur, ſecurae quippe maturitatis, in ſicciori poſtea aſſervanda loco.

Aliter ſe res habet cum propagine acriviolae flore pleno, quem modum inter ſecretiora ordinis repoſuere reverendi patres Capucini, nec ſe ad hoc arcanum mihi revelandum et communicandum, per Botanophilum Weinmannum hucusque exorari paſſi ſunt. Quicquid enim de ſemine certis aſtrorum aſpectibus ſive conſtellationibus ſole leonem ingrediente vel plenilunio ingruente vel in eclipſeos momento maximo immiſſione in terram aliqui narrant, gerrae ſunt atque aedepol lirae lirae, cum jam probe notum ſit, felicius plantulis quam ſeminibus acriviolam flore pleno propagari.

Delectentur igitur in perbreve adhuc ſpatiolum, momentaneo hoc ſuo ſecreto inexorabiles patres in planta Gallica lingua, uti innuimus, ab ipſis nomen habente la Capucine. In tuo interim horto, Amicorum aeſtumatiſſime, VOLCAMMERE, per aeſtatem praeteritam laetiſſime floruit, a maximi principis hortulano, hortulanorum ingenuorum principe, tibi communicata, ulterius a TE artium hortenſium apprime gnaro et oraculo propaganda.

Et ex Tua quidem mente, a planta nimirum adultiore circa autumnum ramuli decerpti terrae in vaſe fictili committuntur, ſic facile ob cauliculorum ſucculentiam radices agunt. Per hyemem vero in communi hibernaculo feneſtras pone locantur, quandoque, ſi opus, irrigandi, ſic facile omnem hyemis injuriam eludunt, et in infinitum propagari poſſunt.

Sic Flora TVA hoc anno balſaminen et geniſtam Hiſpanicam flore pleno exhibuit, et quid non ſperemus a Te,

Ουωλκαμήρε φύσις τῷ πανδώτωρα δίδωσιν
ἴδμον ἔμεν πάντων ὅσσῃ ἡ ἔτευχε μόνῳ

Volkamere datur cui ſingula noſcere ſolit
quae natura parens provida in orbe creat.

Ad TE enim ex omni plaga, qua patet orbis, confluunt rariora plantarum ſemina, germina mundi olim nobis incogniti, *quae miranda TVVS nunc continet hortulus, inſtar parvi orbis.*

Vt

Vt adeo ſpes effulgeat haud exigua, pharmacum illud immortalitatis hyperbolice Sinenſibus dictum Te propagaturum, radicem nempe Ninzin, ſive Gin-Seng. quam illuſtris Dn. Juſſieu S. Altitud. Reg. Ducis Aurelianenſis nunc Galliam moderantis, et Regentis Principis ſupra omnes laudes poſiti, (quem Deus ſemper periculoſis hiſce, quae ipſi imminere videntur, temporibus ſoſpitet et tueatur) Botanicus et Archiater, una cum zingiberis planta TIBI transmiſit. Hanc TV felici terrae hortuli commiſſam, omni diligentia nutris, noſtro aſſvefaciendam climati. Non enim Sinenſis tantum imperii incola et accola, quam poſt Martinum Martinium, Nierenbergium, Kircherum, Boymium, Menzelium, Cleyerum, Kaempferum deſcripſit amiciſſimus Breynius, Hiſtoriae naturalis ſeculi noſtri certe ſcientiſſimus, in diſſert. Lugd. Batav. de Radice hac et herb. Acmella habita. Hanc pariter R. P. Jartoux ſocietati Jeſu a Miſſionibus Sinicis, in libro gallice ſcripto: Lettres edifiantes et curieuſes des miſſions etrangeres de la compagnie de Jeſus p. X.

Differt tamen illa, quam Dn. Juſſieu TIBI miſit a Sinenſi minime viribus, ſed tantum patria, cum Canadenſis ſoli proles ſit, quam nuperrime illis in oris detexit et ſolide deſcripſit ejusdem, quam modo laudavimus, ſocietatis presbyter R P. Joſeph Franciſcus Lafitau a Miſſionibus ſacris Canadenſibus, in notitia quam dedit Gallice: Memoire preſentée a S. Alteſſe Royale Monſigneur le Duc d' Orleans, Regent du Royaume de France, concernant la pretieuſe plante de Ging-ſeng de Tartarie et Canade. Meminit hujus quoque plantae Dn. Sebaſtianus Vaillant, qui ſumma cum laude plantas in Horto Regio Pariſienſi demonſtrat, in libello praeterito anno Lugduni Batav. impreſſo, cui titulus: Diſcours ſur la ſtructure des Fleurs, leurs difference, et l' uſage de leurs parties prononcé a l' ouverture du Jardin Royale de Paris An. 1717. et l' eſtabliſſement de trois nouveaux genres des plantes, l' Araliaſtrum, Sherardia et Boerhaavia. Sic in Germania recuſum eſt: l' Eſtabliſſement d' un nouveau genre de plante nomme ARALIASTRVM, du quelle fameux

Gin-ſeng ou Ninzin des Chinois et une eſpece communiqué par Mr. Vaillant Demonſtrateur des plantes au Jardin Royale de Paris a un de ſes Amys a Hanovre, le 2. Febr. 1718. cujus ſcripti, quia breve eſt, exeplum hic ſubjungemus.

Sed ad finem properans, ad Te redeo, VOLCAMMERE optime, qui merito inter majorum gentium Botanicos locum memereris, imo principibus Germaniae in hoc ſtudio viris palmam reddis dubiam. Hinc eſt quod omnes Chloridis amaſii mecum exoptent Methodum tuam plantarum, cujus in Flora Noribergenſi ſpem feciſti, cunctis, quas hodie adhuc vidimus, perfectiorem. Haec enim naturis plantarum analoga, et anomaliis exceptionibusque hucusque obviis, (quae ſtudium hoc exagitarunt) componendis aptiſſima. Cujus editione ſi fidem datam liberes, Teque a me hoc ſchediaſmate exorari patiaris, nullus dubito, quin res fiat omnibus gratiſſima acceptiſſimaque, reipublicae literariae ſtudioque Botanico utiliſſima. Vale Amicorum conjunctiſſime! DEVS TE ſervet.

* * *

Cum novi hujus plantarum generis conſtitutio, quam Dn. Valens cum literato orbe communicavit, rem botanicam docte illuſtret atque adaugeat, adeoque digniſſima ſit, quae ab omnibus legatur; ideo eandem coronidis loco hic adjungere placuit, et quidem gallice conſcriptam. Latino indutam habitu exhibuiſſem, ni metuendum fuiſſet, ne aliquid nativo linguae decori decederet, cum rara ea ſit interpretum felicitas, ut ſuo ipſi ſtilo πρωτοτύπου elegantiam aſſequantur.

Eſtabliſſement

d' un nouveau genre de plante nommee

ARALIASTRVM

du quelle fameux

Ninzin ou Gin- ſeng des Chinois

eſt une Eſpece, communiqué

Par Monſieur Vaillant Demonſtrateur

des plantes au Jardin Royal de Paris a un de ſes Amis a Hanovre le 3. Febr. 1718.

L' *Araliaſtrum* eſt un genre de plante, dont la fleur A. (*a*) eſt complette (b) reguliere, polypetale et hermaphrodite, portant ſur l' ovaire B. Cet ovaire, que le calice, qui eſt a pluſieurs de coupures, couronne; devient une Baye D. dans laquelle ſe trouvent ordinairement deux ſemences applaties, coupées comme en demie cercle, les quelles repreſentent conjointement un eſpece de coeur. Ajoutez, la tige ſimple terminée par une umbelle dont chaque rayon ne porte qu' une fleur; et que cette tige eſt accolée au- delà de ſa moitie, comme celle de l' Anemone, par l' aſſemblage des baſes des quelque queues, du bout de chacune des quelles partent pluſieurs feuilles diſposées en rayons ou en main ouvert.

(*a*) Voye *Aralia* dans les Inſt. R. h. Tab. 159.
(*b*) c' eſt a dire, garnie d' un calice.

Les Eſpeces de ce genre ſont.

I.

Araliaſtrum Quinquefolii folio, majus, Ninzin vocatum D. Sarrazin. Gin-ſeng des lettres edifiantes et courieuſes. T. 10. p. 172.

II.

Araliaſtrum quinquefolii folio minus D. Sarrazin. Plantula Marylandica, foliis in ſummo cauliculo ternis, quorum unumquodque quinquefariam dividitur, circa margines ſerratis. n. 36. Raj. Hiſt. 3. 658.

III.

Araliaſtrum Fragariae foliis minus. Naſturtium Marianum Anemones ſylvaticae foliis monophyllon, floribus exiguis. Pluken. Mantiſſ. 135. Tab. 435. fig. 7.

Pour faire connoiſtre en quoy l' ARALIASTRVM differe de l' ARALIA d' ou derive ſon nom, il eſt a propos de donner auſſi le charactere de ce dernier genre, tel que je l' ay pareillement etably dans me Demonſtration de l' année 1717.

l' ARALIA (c) eſt tout a fait ſemblable a l' Araliaſtrum par la ſtructure et la ſituation de ſa fleur, mais ſa Baye contient ordinairement cinq ſemences diſpoſées en rond autour de ſon axe. D' ailleurs les feuilles ſont branchües a peu prés comme celles de le Angelique; et les tiges qui dans quelques Eſpeces, ſont nues, et qui dans d' autres, ſont accompagnées des feuilles alternes, portent toutes pluſieurs umbelles a leur ſommité ou elles forment le plus ſouvent comme des grapes.

Les

(c) Inſtit. Rei Herb. p. 300. Tab. 159.

Les Eſpeces d' ARALIA ſont.

I.

Aralia caule aphyllo, radice repente D. Sarrazin.

Chriſtophoriana Virginiana, zarzae radicibus ſurculoſis et fungoſis ſarſaparilla noſtratibus dicta, Pluken. Almag. 98. Tab. 238. fig. V. zarzaparilla Virginenſibus noſtratibus dicta, lobatis umbelliferae foliis Americana ejusd. Almag. 396.

II

Aralia caule folioſo laevi D. Sarrazin.

Aralia Canadenſis Inſt. R. h. 300.

III.

Aralia caule folioſo et hiſpido D. Sarrazin.

IV.

Aralia arboreſcens ſpinoſa.

Angelica arboreſcens ſpinoſa ſeu arbor Indica fraxini folio cortice ſpinoſo n. 1. Ray Hiſt. 2. 1798. Chriſtophoriana arbor aculaeta virginienſis Pluk. Almag. 98. Tab. 20.

Toutes les eſpeces de ces deux genres, a l' exception de la derniere de l' un et de l' autre ſont communes en Canada, d' ou Mr. Sarrazin Conſeiller au conſeil ſuperieur Medicin du Roy, et correſpondant de l' Academie Royale des ſciences, les a envoyees pour la premiere fois a Jardin Royal de Paris des l' annee 1700.

Les habitans de la Colonie, et ceux de la Virginie appellent SALSE PAREILLE la premiere eſpece d' ARALIA, parceque ſes racines en ont a peu pres la figure et les vertus. Monſieur Sarrazin dit avoir traite un malade d' une vomique, lequel par l' uſage d' une boiſſon faites avec ces raçines s' eſtoit query d' une

d' une anaſarque, deux ans auparavant. Cet habile Medicin aſſure que les racines de la ſeconde eſpeces etant bien cuites et appliquées en cataplasme, ſont tres bonnes pour la queriſon des vieux ulceres, de meme que leur decoction, de la quelle on baſſine et ſerinque auſſy les playes. Il ne douce point, que les vertus de la troiſieme qu' on va decrire brievement, ne ſoient les mêmes, que celles de la ſeconde. (*d*)

Ses racines tracent et pouſſent des tiges qui s' elevent ordinairement a la hauteur d' un pied et demie, et quelques fois de deux pieds. Leur partie inferieure eſt heriſſée de poils roux, durs et piquants. Ces tiges ſont accompagnées depuis leur origine jusque vers leur partie ſuperieure qui ſe partagent en pluſieurs rameaux nuds, chargez d' umbelles a ſimples rayons, par des feuilles alternes, branchuëes et presque ſemblables a celle de *Podagraria hirſuta Angelicae folio et odore D. Vaillant* plante gravée dans la 2de partie du Muſeum de Boccone, ſous le nom de *Cereſolium rugoſo Angelicae folio aromaticum.* Tab. 19. et dans Rivinus ſous celuy de *Myrrhis fol. Podagrariae.* Plukenet. Mantiſſ. Almag. Botanic. p. 134. Myrrhis Virginiana Angelicae multiplici lobato folio. An Myrrhis Americana foliis Angelicae ſemine brevi craſſo Breyn. Prodr. 2. 75.

(*d*) Courte deſcription de la 3. Eſpece de l' Aſalia.]

Elo-

ELOGIVM
VIRI EXCELLENTISSIMI, DOCTISSIMI, ET EXPERIENTISSIMI,

D. D. CAROLI RAYGERI,

ACADEMIAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NAT. CVRIOSORVM COLLEGAE, PRACTICI POSONIENSIS QVONDAM CELEBERRIMI,

CONSCRIPTVM

A

JOANNE ADAMO GENSELIO,

PHIL. ET MED. D. EQV. D. M.

ACAD. LEOPOLDINO-CAROLINAE NAT. CVRIOS. COLLEGA, CELSISSIMI S. R. I. PRINCIPIS ESZTORAZ ARCHIATRO, REG. LIB. CIVITATIS SEMPRONIENSIS PHYSICO ORDINARIO.

CUm dignum laude virum Muſa vetet mori, nihilque honeſtius, juxta Cujacium, cenſeatur, quam eorum excitare memoriam, qui omni doctrina exculti et exornati aliquando vixerunt: animum induxi beate defuncti Collegae noſtri, D. D. Caroli Raygeri, Viri longiori vita digniſſimi, vitam, et gloriam ſuccincte narrare, ſacroque cineri ſuprema ferre. Dudum hoc, et jam ante decennium a me factum eſſet, haeredes hiſtoriam vitae ejus hucusque denegaſſent: quam ut primum aliunde nactus ſum, facere amplius non potui, quin tanti viri memoriae conſervandae pro virili conſulerem, meaeque pietatis ſignificationem darem. Sed quamvis ipſa ſibi praemium ſit virtus, et gloria Raygeriana jam tum ſit ampliſſima, neque adeo elogii noſtri acceſſione fieri poſſit amplior: attamen dum in vitas magnorum virorum quaſi in ſpeculum intueri licet doctrinae, vitaeque inculpatae, et e virtutum Raygerianarum ſplendore noſtris animis nitorem quendam foenerabimur, et piis manibus gratae mentis pietatem teſtabimur: quamvis ſatius eſſet de Raygero ſilere, quam pauca et non ſatis pro meritis et dignitate dicere. In vitam hanc ingreſſus eſt, et primam lucem aſpexit Anno 1641. d. 22. Septembris in civitate Poſonienſi, Hungariae ſuperioris metropoli, coronae regni ſede, inauguratione Regum celebri. Patrem habuit virum Excellentiſſimum et Doctiſſimum Wilhelmum Raygerum, Phil. et Med. Doctorem, Auſtriae inferioris Phyſicum ordinarium, et Practicum Viennenſem et Poſonienſem famigeratiſſimum: matrem omnibus virtutibus ornatiſſimam matronam, Annam Mariam, ex familia Knogleriana. Primaevo itaque flore pubeſcens, quamdiu in parentum ſinu haeſit, ab ipſis ad vitae rectitudinem, morum

honeſtatem, et verum de divinis ſenſum liberaliter inſtitutus eſt, cum egreſſus, privatis et publicis praeceptoribus commendatus eſt, et traditus, quorum ductu, et auſpicio in celebri olim *Gymnaſio* Poſonienſi honeſtarum artium perceptione ſuccreſcentis aetatis florem excultum dedit. Anno aetatis duodecimo patre orbatus, minimus natu fratrum erat: ingenii tamen praeſtantia, et eruditione facile maximus. Specimen ejus inſigne edidit anno aetatis decimo quinto in inauguratione et dedicatione Gymnaſii, cum orationem hebraeam cum laude recitaret. Tam praeclari ingenii ad altiora impetus cum aetate creſcebat, ſubinde ad magna nati animi eluceſcebat jubar. Miro igitur ardore ultra communem ſortem enitebatur, monſtrans ſe aurei parentis non eſſe plumbeum filium. Proinde neque domi ſe diu continuit, ſed ut primum excelſae magnaeque gloriae pulchritudinem animo concepit, continuo ad altiores ſtudiorum Magiſtras et ſedes adſpiravit, quarum aliquot in Europa praeſtantiſſimas ex voto nactus eſt, inque illis operam et ſtudium iis impendit artibus, quibus ad magnae fortunae cultum mentes magnae incitantur, quibusve poſtea ſe commendabilem omni loco et aevo reddidit. Ac primum quidem Anno 1659. Altorfium adiit, ubi per biennium fere in collegiis privatis et publicis inſignes in philoſophiae et linguarum ſtudio fecit progreſſus. Anno 1661. Wittebergam conceſſit, ſtudii Theologici cauſa, ad quod et animum jam adjunxerat, mortuo vero fratre ſuo natu majore Ferdinando, matris et agnatorum conſilio ſtudium amplexus eſt medicum, quod et An. 1662. menſe Februario Argentorati dextro Apolline auſpicatus eſt, doctoribus uſus celeberrimis Melchiore et Joanne Alberto Sebiziis, patre et filio. Horum ut aſſiduus, et indefeſſus auditor fuit: ita animum quoque ſtudiis et rebus honeſtis tanta cura intendit, ut admirationi eſſet ipſis Profeſſoribus. Nam et in publicis diſſertationibus tam oppugnando quam defendendo theſes ad diſceptationem eruditam propoſitas virum ſe praeſtitit, veſtigia preſſurus patris, cujus exemplo ad virtutem, et ſtudia inflammabatur. Illuſtriſſimum

hujus rei documentum eſt docta ejus diſſertatio, proprio marte elaborata de *INEDIA* Ann. 1664. ſub praeſidio D. D. Joannis Alberti Sebizii habita. Anno ſequente Menſe Aprili ad Batavos transfretavit, non ut videret turres, et portas civitatum, pontes, et montes more noſtrorum peregrinatorum, coelum non animum mutantium, ſed ut mores et ingenia exterorum videret, notaretque viſa, et notata animo reconderet, atque in futuros uſus reponeret. Alias enim inconſultus, vanusque fuiſſet hic diſcurſus, qualis eſſe ſolet formicarum per arbuſta repentium, quae in ſummum cacumen, deinde ad imum inanes aguntur, id quod Beato noſtro facere piaculum fuit. Hinc id potius operam dedit, ut opes doctrinae, morumque in noſtris Academiis partas, novis apud exteros augeret acceſſionibus, non neſcius, peregrinationem non facere medicum, ſed ſollicitam applicationem. Hinc cum viris quoque ſummis, imprimis Medicis et Philoſophis, non modo familiariter vixit, eorumque virtutes eſt imitatus, ſed etiam linguas exoticas ſibi fecit notiſſimas, quarum beneficio magnam apud magnos ſibi conciliavit gratiam. Perluſtratis primariis maritimis civitatibus, ſedem fixit Lugduni Batavorum, ubi totus ab ore celeberrimorum Medicorum, imprimis ſummi viri Franciſci dele Boe Sylvii, pependit. Hinc per Belgium in Gallias excurrit, praxeos et ſelectiſſimarum bibliothecarum luſtrandarum cauſa, et Lutetiae Pariſiorum anatomicis, et chirurgicis exercitiis, in oppido vero Montis Peſſullani botanicis in ſic dicto horto Dei vacavit. Elapſo ſemeſtri ſpatio rurſus Pariſios rediit, ubi Medicis et regiis Profeſſoribus, aliisque doctrina excellentibus viris magis magisque innotuit. Anno 1667. menſe Februario per Burgundiam et Helvetiam denuo Argentoratum ſe contulit, ibique antiqua familiaritate et conſuetudine Sebiziorum cum deſiderato ſtudiorum ſuorum incremento uſus eſt, et omnes denuo in id intendit nervos, ut exſpectationi ſuorum aliquando ſatisfaceret, probe a divo noſtro Sene edoctus, imperitiam malum theſaurum eſſe, et infelicem opulentiam illis, qui eam poſſident. Idem ille locus, in quo omni

doctrina, et artis praecipue ſalutaris ſcientia cultus eſt, eidem primum diligentiae praemium contulit, ſummos nempe in arte ſalutari honores ſive gradum Doctoralem. Hic autem ipſi ſumma cum laude collatus eſt, cum in examine et defenſione diſſertationis publicae inauguralis, de *Saliva*, ſine praeſidio, menſe majo habitae, praeclare ſteтiſſet. Hinc rebus ubique bene geſtis, collectisque variis, ac rarioribus naturae, et artis Apollineae curioſitatibus, omni virtutum et honorum genere decoratus, omnibusque politioris literaturae deliciis expolitiſſimus in patriam rediit, anno eodem vero adhuc in Italiam movit, et per Stiriam, Carinthiam et Tyrolim Venetias, et Antenoreum Lyceum, celeberrimum illud Muſarum emporium ſtudii anatomici, et noſocomii publici cauſa adiit; hinc et Romam viſitavit, poſt aliquot vero menſes per Florentiam, Genuam, Mediolanum, Bononiam iter faciens menſe Julio feliciter Poſonii appulit, totus ſalutaris artis exercitio intentus, ſumma vigilantia, et indefeſſa cura, diu noctuque etiam pauperibus inſerviens, quod publica Poſonii teſtatur fama, quam habuit jure tributam; Neque enim nomine, et ſermone, ut multi pro dolor! ſed re, et opere Medicus juxta Hippocratis legem exſtitit, nec timidus aut tumidus, ſed ſumma cum prudentia, et cautione medicinam fecit. In caſibus difficilioribus (in quibus evolvendis divinam quandam ingenii vim exeruit) tanta animi contentione, et in cauſas inquirendi aſſiduitate verſabatur, ut Chryſippo nihil videretur cedere, hinc et invidi ipſum ſuſpexerunt, et laudaverunt, et fama ejus non tantum qua Hungariae patent limites, fuit incluta, ſed ad exteras quoque provincias, ex quibus paſſim ad ipſum, tanquam ad oraculum in caſibus arduis conſulendum literis judicia de rebus difficilioribus expetentibus confugerunt, longe lateque dimanavit. Hinc doctrinae et eruditionis exquiſitioris laudem commendabat morum facilitas, et ſingularis manſvetudo: non erat moroſus Hermocrates, ſed mitis, benignus, affabilis, facundus, qua ratione facilem omnium ſibi conciliavit animos. In literariis diſceptationibus, quas plu-

rimas

rimas habuit, nunquam affectuum vehementia abripiebatur, ſemper ſibi conſtabat, nemini aſper. Scribentem de rebus eruditis movebat veritas, cum exactiſſimi judicii pondere, certantem moderabatur lenitas, vincentem coronabat charitas, coronatum ornabat humilitas. Hac ſingulari morum ſvavitate rapiebat in ſui amorem et venerationem invidos, et inimicos, ſi quos habuit. Quis enim tam amabile et literis expolitum odiſſe potuiſſet ingenium? Illarum vero ſtudia, Raygerus noſter, cum eſſet ἰατρικότατος, cum virtutum ſtudiis ſemper conjunxit, ut alterno foedere, mutuisque officiis ſcientia pietatem, pietas ſcientiam adjuvaret. Anno 1674. fidem conjugalem virgini nobiliſſimae et florentiſſimae, pietatis et virtutum, quae ſexum hunc ornant, imprimis candoris et integritatis inaeſtimabilis exemplo conſpicuae, Judithae Catharinae, perilluſtris ac ſpectabilis Dn. Matthiae Bohaim de Bruchheim, S. Caeſareae Majeſtatis Leopoldi ſummi aerarii bellici Praefecti, et nobiliſſimae matronae, Sarae Sophiae von Holz zum Sternſtein filiae dedit, cum qua per annos XXXI. vixit, ſeptemque filiorum et unius filiae parens eſt factus, ſed unicum ſaltem eumque cariſſimum nepotulum vidit. In principio ſtatim praxeos medicae ſingulis fere annis obſervationes cum Directore Academiae noſtrae communicavit. Anno 1694. vero omnium totius Hungariae illius temporis Medicorum ſolus et unicus numero Academiae Caeſareo-Leopoldinae Naturae Curioſorum eſt adſcriptus cum cognomine Philonis II. Quam non otioſum Societatis noſtrae membrum fuerit, teſtantur ejus obſervationes rariores, Ephemeridibus noſtris paſſim inſertae, et Centuria illa obſervationum medicinalium Pauli Spindleri, cum ſcholiis, propriisque obſervationibus aucta. Scriptorum vero nondum editorum longe major numerus eſt, et in his Wernherus, de admirandis aquis Hungariae auctus, nec non Epidemia Hungarica plurimorum annorum, quorum magnificus Praeſes noſter in literis ſuis ad me datis mentionem fecit, cum vitae hiſtoriam, morbique et diei, qui deſideratiſſimo Raygero noſtro ultimus fuit, deſcriptionem

nem a me deſideraſſet, quo in matriculam Academicam inſcribere eam liceret. Sperabat ceterum, filium Beati Parentis ſcripta in lucem emiſſurum, quae in ſcriniis latent, ſed hucusque nondum ex parentis optimi ſcriniis quidquam protractum eſt. Ipſe certe beatiſſimus ſenex, non paſſus fuiſſet diu ſcripta illa deliteſcere, niſi ſubinde occurriſſet, quod impedimento fuit. Praeterquam enim quod in curandis morbis fuit occupatiſſimus; perpetuas etiam rerum humanarum vices expertus eſt, fata etiam quandoque adverſa, imprimis aetate ingraveſcente, et inſultus podagricos, quos usque ad vitae ſuae cataſtrophen ſenſit *NOSTER*, quibus et Anno 1707. d. 2. Januarii ultima vice correptus cum ſumma virium proſtratione, inquietudine, vigiliis et reſpiratione difficili ob regurgitationem ſeri podagrici ad pectus. Non defuit laboranti fidelis opera, exhibita ſunt varia remedia, neque tamen morbus miteſcere voluit, ſed in dies magis magisque auctus, nullam reconvaleſcendi ſpem reliquit. Unde omnibus in familia ſua diſpoſitis, mortis meditationi ſe totum tradidit, Deoque ſic volente, die 14. Januarii, eodem anno, circa horam quintam matutinam, quae beatiſſima *NOSTRO* fuit horula, qua cum divo Paulo rite omnibus defunctus, conſummato curſu, bonoque certamine, fideque ſervata, animam ſuam aerumnarum atque vanitatum hujus aevi pertaeſam nullo turbatae rationis indicio placide ſuo Creatori reddidit, poſt exactos in hac miſera vita aetatis annos LXV. cum XV. ſeptimanis, praxeos vero XXXIX. Sepultus eſt ibidem in coemeterio Evangelicorum ſolenni pompa funebri, exequias utriusque religionis viris praecipuis, longo ordine proſequentibus, totaque fere civitate, lacrymis et ſummo luctu deſiderium tanti viri teſtante. Panegyrica oratione laudatus eſt a Pl. Reverendo viro M. Aulbero, Paſtore t. t. Poſonienſi, qui perpetuos amaranthos gratae mentis, ſupremique honoris indices ſuper tumbam ejus ſparſit. Sed reliquit ipſe beatiſſimus Raygerus tot nominis ſui monumenta, quae illud facile ab interitu vindicabunt. Vel ſola integritas, placidiſſimi-

que

que mores nomen ejus immortalitati conſecrarunt, adeo, ut quamvis mortali lege eſſet creatus: tamen ingenii, doctrinaeque famam ſempiternam ſit habiturus. Equidem, ſi mors ſatiari lacrymis potuiſſet, multi ad ſanguinis lacrymas eliciendas, uberrimeque pro retinendo tanto viro, tantoque Medico profundendas fuiſſent parati, cujus virtutum cumulus tantus eſt, ut ſi ſingulae pro merito exornandae eſſent, vitae deſcriptio, quam inſtituimus, in juſti voluminis formam excreſceret. Faciam ergo quod pictores ſolent, qui immenſam multitudinem depicturi, quum ſingula exprimere integre non poſſint, capitum ſaltem vertices conſpiciendos exhibent, indeque multitudinem aeſtimandam relinquunt: ita et ego capita virtutum ejus, nec tamen omnia, ſed quaedam et praecipua ſaltem delineabo.

Memoret vetus Roma Tullium, romuleis in roſtris diſerte perorantem: jactet Graecia docta ſtupendam Demoſthenis eloquentiam: praedicet Galeni peritiam, et excellentiam in arte Apollinea: in uno Raygero (o quantum nominis pondus!) confluxerunt omnes gratiae, dicendi lepores, et veneres, et ſolida doctrina, qua praedictos ſi non ſuperavit, tamen aequavit. Inclaruit Raygerianum nomen non tantum apud eruditos, ſed et in aulis, imprimis Auguſtiſſimi Imperatoris, Domini noſtri Clementiſſimi, cujus ſacratiſſimae Perſonae Archiatri titulum pulchrius putavit mereri, quam adipiſci. Contigit haec fortuna Poſonio, talem alendi civem, quem ſummorum hominum gratia proſequeretur, et eruditi omnes admirarentur. Quanto cum ſucceſſu, quantoque plauſu hic ſanitatis pater et ſervator deſperatos ſanaverit morbos, univerſa teſtabitur Hungaria. O felix igitur Hungaria! feliciſſima futura, ſi fata Raygerum tibi non invidiſſent. Timanthem pictorem celebrant, quod in ejus operibus plus ſemper intelligeretur, quam pingeretur. Vellem ea mihi ſuppeteret facultas, ut, quia digne, ſatisque luculenter omnia Raygeri decora exprimere nequeo, adumbrare ſaltem laudes illius poſſem, intelligeretque poſteritas ſupra laudem poſitum Raygerum, talemque fuiſſe, quem ingenii, vitaeque mo-

numenta affectibus omnium per ſe commendant. Ipſum certe non tam ornabant praeconia laudum, quam ab ipſo ornabantur. Nunquam ille, ut alii pretium a laudibus, vel dignitatem a gradus Doctoralis ſplendore mutuo ſumpſit, ſed ab ipſo pretium quaſi hauſerunt laudes, et ornamentum, honorique Doctorali dignitas accrevit a viro propria virtute, omniumque hominum exiſtimatione ornatiſſimo, in quo, ut cum Sidonio loquar, natura, virtus, fortuna ſibi compendium fecerant. Vrbes hanc in rem teſtor totius fere Hungariae et Auſtriae, imprimis Viennenſem et Poſonienſem ampliſſimas, teſtor magna orbis literarii lumina, et inter haec magnificum noſtrum Dominum Praeſidem D. D. Lucam Schroeckium, coeteroſque Dominos Collegas Excellentiſſimos, quos Raygeri noſtri virtutes in ſui admirationem traxerunt. Hinc et nos, etſi laudes, quae hac aetate paſſim in multos conferuntur, quantivis faciamus, quippe, quae ferme nihil ſunt aliud, quam blandientium linguarum lenocinia: Raygeri tamen laudes tanto aeſtimamus, ut dignitati, merito impares judicemus.

Medici enim munus non modo obivit, ſed implevit, nec errabo, ſi dixero in Raygero vixiſſe, locutumque fuiſſe divum Hippocratem, qui, ut ſol caſtigata lucis affluentia ſe ſpectandum in nube exhibet: ita in Raygero noſtro, cui ſingulari elogio Philonis nomen tributum eſt, ſeſe ſingularis prudentiae, ſagacitatis, doctrinae ſolidioris, experientiae, medendique ſcientiae documentis, quaſi redivivum ſtitit.

Cum in lucem haud prodierit Leonis Allatii, Graecorum recentiorum eruditiſſimi, Theologi, Medici ac viri vere πολυμαθεστάτȣ, Philonum promiſſa hiſtoria, catalogum eorum contexuit ὁ πάνυ J. A. Fabricius, gloria ſeculi et Germaniae, in immortali opere, Biblioth. Graec. Libr. IV. p. 118. ſeqq. Numerat ultra quadraginta Philones, quos inter duo tantum Medici.

Nos in memoriam B. PHILONIS noſtri Nat. Curioſ. quae fugitiva lectio nobis ſuggeſſit, de Philonibus medicis ſupplebimus;

bimus; ut appareat haud inter infimos veteris aevi medicos eos, nec ſine omine id nominis Noſtro impoſitum fuiſſe.

Primus *Philo*, ſimpliciter atque ſine cognomine Ciceroni noſtro medico Celſo citatus, forte is fuit, quem Galenus adjectae ſectae nomine *Methodicum* nominat Oper. T. 4. p. 42.

Alter *Philo* Medicus Plutarcho aequalis II. 6. et VII. 9. Sympoſ. cujus exquiſitiſſima medicamenta, Deorum manus dicta fuiſſe refert.

Tertius *Philo Tarſenſis* eſt inter principes certe medicos referendus, cujus aliquoties Galenus noſter meminit, et qui illum ſequuntur Paulus a patria Aegineta dictus Libr. 3. c. 23. et 45. Aëtius Amidenus comes obſequii Tetrabibl. II. ſer. 48. 28. Alex. Trallianus et denique Ebn-Sina. Pharmacum ejus generoſiſſimum citat et laudat Pergamenus aliquot in locis, imprimis Libr. IX. περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπες cap. 4. ubi integram deſcriptionem tradit medicamenti, tantae apud omnes aevi iſtius auctoritatis, quantae vix aliud ullum erat; ab Auctore Philonium nuncupatum, in hunc usque diem ſub Philonii Romani nomine in officinis noſtris pharmaceuticis obvium. Mentionem hujus medicaminis injecit Q. Serenus Sammonicus, Gordiani Iunioris Imperatoris praeceptor, teſte Spartiano in Caracalla. Cujus et hodie ſuperſunt libri verſibus hexametris de re medica conſcripti; ſic ille Tit. Jecor. vit.

Quid referam multis compoſta philonia rebus.

Patet ex Philonis carmine a Cl. Galeno noſtro loc. cit. excerpto, Poëtis elegiacis illum accenſendum eſſe, cujus tamen dememinit doctiſſimus Bartholinus in elegantiſſima de Poëtis Medicis diſſertatione. Latino carmine Graecum Philonis expreſſit feliciſſimus aevi ſui Poëta Medicus Gorreus Gallus. Nec ſibi nimium placeant recentiores chymici, qui remedia et ſecretiora pharmaca artisque arcana aenigmatibus includere tentant; hoc enim ſi laudem mereretur ullam, a Philone didiciſſent, cujus pharmaci deſcriptio, recon-

ditiſſimam ſapit mythologiam. Nonnulla, ut hoc firmemus, tantum diſticha dabimus a Gorreo latine verſa, ne graecis taedium aliquibus pariamus:

Spirantem et rutilum pueri crinem accipe, cujus
Mercurii in plantis, ſanguinis unda micat.
Pondus erunt ſenſus hominis, notiſſima res eſt,
Nauplii et una drachma ſit Euboici.
Quique Menaetiadem letho dedit illius unam
Drachmam, quam clauſam ſervat ovinus uter?
His albi igniti bis denas adjice drachmas,
Atque fabae totidem ſint ſuis Arcadicae.
Drachmaque radicis, falſo dictae uncia natae,
In Piſſa Jovem ubi delituiſſe ferunt.
Cumque Pion ſcribis Grajum, praepone virilem
Articulum, drachmas quinque bis illud agat.
Tum laticem tauri natarum Cecropidarum
Affinem ut Triccae clara propago docet.

Quartus *Philo* ab Epiphan. Cyprio de haereſib Libr. I. poſt. princ. citatur, Quillum de Herbis ſcripſiſſe tradit.

Quintus *Philo* laudatur a nonnullis quaſi ſcripſerit libros περὶ ἰατρικῆς, ſed hi ſunt Philonidis Siculi, quem Galenus citat l. IV. de Differ. Pulſ. de coronis vero et unguentis περὶ μύρων καὶ στεφάνων Athen. Deipn. L. 15. p. 674. vid. R. P. Harduinus in Indic. Auctor. Plin.

Sunt et Philonii vel potius Philones a Galeno, teſte Tirzquello, citati, alter Perſa, alter Tarſenſis. Quod duo fuerint, hinc oſtenditur, quod Tarſus non in Perſide, ſed in Cilicia.

Raygerus noſter eſt Medicorum Philonum ſextus, in quo admiramur ingenium ſolers, ſublime, ſed moderatum, judicium

cium acre, et longa experientia ſubactum, memoriam eorum, quae vel legiſſet, vel audiviſſet, tenaciſſimam, eruditionem reconditam, et cum facundia in conſultando admirabili conjunctam animum laborum toleratiſſimum. Sed ut durabile non eſt, quod alterna requie caret: ita et *NOSTER* aliis ſine intermiſſione inſerviendo, conſumptus eſt. Saepe per difficiles vias, et periculoſa itinera, non ſine vitae diſcrimine ad aegros arceſſitus, continuis etiam meditationibus multas inſomnes noctes egit: dum abſtruſas intricatorum morborum cauſas penitius perſcrutando, publico prodeſſe ſtuduit. Ita vero corporis vires adeo debilitatae ſunt, ut varii morborum inſultus, cum quibus ſubinde conflictatus eſt, virum quiete deſtitutum vexaverint. Jam vero feliciter fato ſuo functo, longa quieſcendi tempora fata dabunt. Conſenuit igitur *Noſter* non tam annorum multorum decurſu, quam propria virtute; non tam caput habuit capillorum, quam pectus eruditionis canitie venerabile: Vir priſci moris et fidei, in quo religio minime fuit fucata, aſſiduus in divino cultu, et in templis frequens. Ita vero fide Deo adhaereſcens, eandem feliciſſimis religioſarum actionum fructibus probavit. Hinc profuſa in egenos beneficiorum collatio, qui agmine obſeſſum quotidie limen ejus tenebant, partim diurnam ſtipem, partim languoribus remedium relaturi. In magna ſeculi licentia, vitiis imagine libertatis blandientibus, rara eſt voluptatum temperantia, et perturbationum animi ſedatio: ſed hac in parte omni laude major Raygerus noſter. Neque tamen priſcum in morem triſtis erat, aut difficilis, aut horridus, ſed liberali convictu omnis officii diligentiſſimus par ubique inter ſeria comitas, nullae frontis minae, aut ſupercilii terror: non durae fores, et audiendi dedignatio; nam et pauperes alloquio dignabatur, et ita morum ſuavitate omnes alliciebat: par omnibus inſerviendi promptitudo, in grandaevos, tanquam patres veneratione; in aequales invicta charitate; in ceteros ſingulari cura ferebatur: tuguria miſerorum aeque, ac ex-

celſas potentium domos frequentabat, erat enim ἀπροσωπολήπτης.

Optat Agamemnon decem Neſtores, quorum prudenti conſilio uti poſſet. O utinam Poſonienſis Comitatus unicum ſaltem Raygeri ſimilem Medicum haberet! Si principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt, Raygerus noſter in hoc fuit laudatiſſimus, qui tot Principum gratia floruit. Quid dicam de aulis Hungariae Procerum? quid de belli Ducibus? qui apud ipſum oracula ſanitatis hauſerunt, et ſolatia, et quorum atria laudibus Raygerianis favebant. Neque id injuria: rara enim Raygeri noſtri dona, ſermonis ſuavitas, actionum ſinceritas, longa experientia, felicitas in curandis morbis admirabilis, virtus ſumma, omnium animos occulta quadam vi trahebant. Inde factum eſt, ut non tantum in Hungaria, ſed apud exteros quoque in veneratione eſſet, propter conſilia et auxilia peregrinis etiam praeſtita. Nulla fere abibat dies, qua non nuncii, literae ex oris exteris eum ſollicitarent, quas omnes ut humaniſſime accipiebat, ita placidiſſime, benevoleque ſciſcitantibus reſpondebat. Nil igitur mirum, ſi rebus humanis exemptus, triſte ſui deſiderium apud omnes reliquit. O miſerum te potiſſimum Poſonium! Poſtquam Raygerus a te abiit, cujus ſimilem nunquam habebis. Hippocrati Athenae, Verona Fracaſtorio excitavit ſtatuam, Raygero noſtro utrum ponenda ſit ſtatua, dubium eſſe poteſt, utpote, qui ipſe ſibi tot tropaea erexit, quibus maxima ſui parte libitinam vitavit. Erigemus tamen et nos ei ſtatuam in Mnemoſynes noſtrae templo, non tam memoriae ejus ab interitu vindicandae cauſa, quae tam diu duratura eſt, quamdiu ſuus virtuti conſtabit honos, quam ut gratae mentis et pietatis exſtet documentum.

In tumulo, precor, ut tua molliter oſſa quieſcant,
Sedibus in ſuperis mens habeatque locum.

Vale

Vale artis Apollineae ornamentum, probitatis exemplar, aegrorum refugium: Vale delicium, et decus Poſonienſium, ſervator, et dolorum curator: Vale columen olim et ingens fulcimentum Academiae noſtrae, quam ſemper amaſti et propagaſti, quae proinde ut grata ſit, aeternae memoriae Tuae, quam ſemper venerabitur, ſupremum pietatis officium moeſta una mecum rependit.

EPITAPHIVM.

Siſte gradum Viator!

Hic jacet

Vir magni Nominis,

CAROLVS RAYGERVS D. Phyſicus Poſonienſis,
Academiae Caeſareo-Leopoldinae Collega.

Qui

Omnia quieti momenta ſurripiens,
Vitam ſtudiis propemodum omnem fecerat vectigalem,
Philtro quodam Palladis deliciarum delibutus,
Foeminas Pindo ſacras deperiens,
illisque ſe totum mancipans;
Vtiliſſimum Vitae ſocialis, et Patriae evaſit Membrum.

Multos olim juvandos antidotis juvans,
Fati neceſſitate nondum occupatos,
Se vero eadem praeventum
juvare

Voluit,

Voluit, debuit, haud potuit:
ortus, mortuus, oriturus.

Fata eheu Fata!
Summus fatorum arbiter Deus,
qui eum tot peragrantem regna et provincias,
totque fatorum diſcriminibus expoſitum juvit,
aeternum juvabit.

Interim

Monumentum aere perennius poſuit duraturus in marmore

Amor

JOANNIS ADAMI GENSELII

qui

Collegae vitam gratae poſterorum, qua potuit pietatis
ſignificatione,
memoriae inſculpere voluit.

Abi Viator!

Cogita, pondera tenue momentum inter omnia
et nihil!

Vale.

AN PLANTAE VENENATAE
ANTE LAPSVM PROTOPLASTORVM EXTITERINT,

DISQVIRIT

SIMVLQVE

MEMORIAM
DN. D. SIGISMVNDI SCHMIEDERI

COMMENDAT

MICHAEL ERNESTVS ETTMVLLERVS

PHIL. ET MED. D. ANATOM. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. EXTRAORD. IN ACADEMIA LIPSIENSI, FACVLT. MED. ADSESSOR, ET ACADEMIAE LEOPOLDINO - CAROLINAE NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGA,

D. ALEXIAS.

B. D. B.

OMnia bona extitiſſe, quaecunque Deus Ter optimus maximus in ſex creationis diebus condidit, ſacer nos docet codex. Iis certe rebus, quae ex terra progerminarunt, ſeminale communicatum eſſe principium, ex quo ſibi ſimilia, iſt eſt, bona producere, ſeque multiplicare et conſervare debebant, idem nos inſtruit. Voluit ſcilicet divina benignitas, ut tellus non ſolum variis florum pigmentis ſuperbiret, ac tales quotannis e ſinu ſuo varii generis promeret foetus, qui, Deum eſſe, ubique demonſtrarent, totiusque mundi elegantiam augerent, ſed et ut ſuppeditaret generi humano, unde commode vivere resque ſuas ex voto peragere poſſet. Cum tamen in vegetabilium claſſe, ut de reliquis naturae regnis nunc nihil dicam, dentur quaedam ſpecies, quae maximopere hominibus nocent, vitamque penitus adimunt, mirari certe ſubit, unde vis haec nociva, deleteria ac venenoſa plantis acceſſerit? Quod problema antequam reſolvere tentem, diſcutiendum prius venit, quid ſub veneni notione intelligamus, et an dentur venena?

In tota vero Arte Medica, judice JOHANNE FABRO TERENTIO LYNCEO *in Annotationibus in Animalia Novae Hiſpaniae* NARDI ANTONII RECCHI *fol. 782. et 783, vix quicquam magis controverſiis implicitum eſt, quam venenorum natura; cum nondum conſtet, quibus rebus etiam veneni vox proprie competat, adeo inter ſe digladiantur Auctores*

res noſtri, DIOSCORIDES, PLINIVS, GALENVS, FERNE-
LIVS, CAPIVACCIVS, *et qui de venenis ex junioribus Me-
dicis ſcripſerunt.* Brevibus ut nos expediamus, ſciendum eſt,
vocabulum veneni priſcae et incorruptae latinitatis Auctoribus
μέσον et ambiguae ſignificationis habitum, et nunc pro delete-
rio, nunc pro ſalutari medicamento uſurpatum fuiſſe, teſte
GELLIO, *Noctium Atticarum Lib. XII. cap.* 9. cui conſentit *L.*
236. *Qui venenum ff. de V. S.* et *Lib.* 48. *Tit* 8. *ff. L.* 3. §. 2. *ad
Leg Cornel. de Sicar. et venef.* Et in priorem quidem partem
paſſim apud ſcriptores id reperire licet, in poſteriorem autem
illud uſurpavit LVCANVS *Lib. VIII. Pharſal.*

- - *Putrisque effluxit ab alto*
Humor et infuſo facies ſolidata veneno eſt.

Haud ſecus ac pharmaci vox nunc pro benigno, nunc no-
xio medicamento olim uſurpabatur. Atque inde eſt, quod
veteres Graeci in ſequiorem partem id accipientes plerumque
fere cum epitheto illud enunciaverint, et nunc βλαβερὸν HIP-
POCRATES *Lib. II. de victus ratione.* mox φθοροποιὸν THEO-
PHRASTVS et DIOSCORIDES, jam ἀνδροφόνον HOMERVS
Odyſſ. 8. inde θανάσιμον HIPPOCRATES *in juramento*, plerum-
que vero δηλητήριον GALENVS *Lib. VI. Epidem. comm.* 6. voca-
verint. Quanquam hic *loc. cit.* inter φάρμακα θανάσιμα et δηλη-
τήρια veteres id diſcriminis adhibuiſſe ſcribat, ut illa ſint, quae infe-
rant quidem mortem, ſed prodeſſe etiam poſſint: haec vero, quae
neque ſanos neque aegros juvare ulla ratione valeant. Quicquid
autem de hac veterum diſtinctione ſit, negari non poteſt, ma-
gnam eſſe venenorum corporibus animalium noxiorum latitu-
dinem. Scilicet alia efficientis cauſae ratione a natura et a pri-
mo ſuo ortu, nulla accedente humana induſtria, talia eſſe, alia
ab arte et opera humana vel primum inventa, vel in majorem
malignitatem exaltata fuiſſe; materiae intuitu quaedam ex cor-
poribus ſimplicibus, non quidem puris, ſed vel a putredine in-
ſigni, vel ab externa aliqua re venenata corruptis, quaedam ex
corporibus miſtis, tum imperfectis, tum perfectis, iisque vel ve-
geta-

getabilibus, vel mineralibus, vel animalibus deſumi deprehendimus; alia reſpectu modi operandi varie diſtinguuntur. Sunt enim, quae intro aſſumta, ſunt, quae extrinſecus applicata, corpori noxam afferunt, ſive id morſu, ſive ictu, ſive punctura, ſive ſalivae aſperſione, vel ſolo etiam contactu fiat; alia viciſſim citiſſime operantur, alia tardius, et interpoſita aliqua mora; alia in minima quantitate necant, alia non niſi in notabili doſi nocere conſueverunt. Ita ſcilicet a natura comparati ſumus, ut omnia illa, quae ſanitati inſervire vel obeſſe poſſunt, inter ſalubria vel inſalubria referamus; ſic aër, cibus et potus, motus et quies, ſomnus et vigiliae, excreta et retenta, atque animi pathemata; tanquam ſalubria probantur, aut tanquam inſalubria rejiciuntur, nullo alio reſpectu, niſi quatenus vel proficua vel noxia corpori noſtro, cujus vita maximam partem in certis, iisque appropriatis conſiſtit motibus, reputantur; hinc noſtram ſanitatem lapidem lydium facimus, ad quem reliqua examinamus ſingula. Et ex hoc fonte ſcaturit quoque venenorum nomen, ad quorum claſſem omnia illa ſunt recenſenda, quae oeconomiam noſtri corporis maximopere turbare, vel etiam evertere poſſunt, et prout damnum, quod corpori infertur, majus eſt, eo pernitioſiora etiam inter venena numerantur. Ea ſiquidem inter alimentum, medicamentum et venenum a GALENO poſita et a recentioribus Medicis recepta eſt differentia, ut illud ſit, quod corporis noſtri ſubſtantiam auget, aut in eam converti poteſt; iſtud, quod vim habet, corpus noſtrum alterandi; hoc, quod illud deſtruit et corrumpit. Quemadmodum autem ex ipſorummet alimentorum claſſe multa ſunt, quae praeter nutritionem inſignem quoque corpus alterandi vim obtinent, et viciſſim ex medicamentis quaedam dantur, quae et frequenter ſine magna alteratione corporis aſſumuntur, et quodammodo idem etiam alere apta ſunt; ita venena adeo ſimpliciter corpori noſtro non videntur adeo adverſari, quin aliquando etiam poſſint prodeſſe; et in medicamentorum claſſem tranſire. Quinimo fieri poteſt, ut quotidiana aſſuefactione

non duntaxat corpori nullum amplius afferant nocumentum, ſed etiam in alimentum quaſi degenerent. Quorundam etiam hominum naturae habent aliquid ſingulare, quod ἰδιοσυγκρασίαν vocant, ob quam laeduntur quam maxime a rebus, quae aliis grata ac proficua ſunt, non autem commoveantur ab iis, quae aliis noxam afferunt.

Ex his omnino liquet, abſolute ſic dicta venena non dari, ſed illorum eſſentiam totam eſſe relativam. Quod aſſertum ut eo magis pateat, prolixius eſt probandum. Primum enim, ut in ſuperioribus jam monuimus, omnia a Deo bona ſunt creata, adeoque nihil in ſe noxium aut venenoſum eſt. Deinde nullum in tota rerum natura reperitur corpus, quod omnibus aeque animalibus, hominibus et brutis ſit venenum, quin potius ea, quae hominibus nocent, brutis ſunt alimenta; et contra brutis noxia hominibus exiſtunt ſalutaria. Sic cicuta, araneae, bufones, ſerpentes, et ſimilia hominem quidem laedunt, vel penitus necant; brutis vero quamplurimis in alimenta cedunt. Vt nunc non allegem GALENVM, qui cicutam ſturnis, et veratrum coturnicibus ſalubrem cibum praebere perhibet, quae tamen ambo homini vitam eripiunt; ſiquidem experientia huic narrationi repugnat, et CAESALPINI Obſervatio, qui de avibus notavit, eſu ſeminis cicutae eas obſtupeſcere, ut manu capi poſſint, et ſi amplius vorent, vertigine tentari et mori. Vnde et SCALIGER anſerculos cicutae foliis devoratis illico expirare vidit, praetereaque animadvertit, coturnices in inſulis Capreis prope Neapolin ſemine hellebori paſtas convulſionibus laborare. Poſſent igitur haec, quae de ſturnis et coturnicibus recenſentur, inter veriſſima mendacia cum CASPARO HOFFMANNO *de medicamentis officinalibus Lib. II. cap. 67. pag. 230.* numerari. De eo vero dubium nullum eſt, quod hyoſcyamo et mandragora ſues, cantharidibus hirundines, ſerpentibus cervi, pavones, et ciconiae, bufonibus anates et lupi piſces innoxie veſcantur. Larum phalangiis frui, et ab illis Tarentinos agros repurgare CASPAR SCHOTTVS *in Phyſica curioſa Lib. IX. cap.*

cap. 49. Ibidem vero ſerpentibus, bruchis, et locuſtis nutriri, *cap.* 47. perhibet. Scammonea, quae hominem interimere dicitur, ficedulis eſt alimentum, obſervante ZWINGERO; coturnices napello, qui hominem inficit, ſine damno veſci FERDINANDVS PONZETVS *de venenis* tradit. Crocus metallorum in ſubſtantia craſſiori aſſumptus equos non movet ad vomitum, homines vero ad convulſionem et mortem usque. Nux vomica in exigua etiam quantitate canes, feles, vulpes etc. necat, ab homine vero innoxie ſumitur, imo olim inter electuaria alexipharmaca, e. g. quod de ovo dicitur, recipiebatur. E contrario amygdalae amarae vulpibus, felibus, ſciuris, columbis, gallinis, anatibus et paſſeribus canarienſibus ſunt venena, homini vero inter bellaria referuntur. Scorpiones ab inſtillata una vel altera guttula olei olivarum ſtatim moriuntur, et malo punico trito turturem necari, habet CASPAR SCHOTTVS *loc. alleg.* homines vero innoxie iisdem utuntur.

Ad haec obſervamus, quod, quae huic vel illi homini venena ſunt, non ſtatim aliis hominibus vel eodem modo noceant; nec omnia bruta ab uno eodemque veneno aequaliter laedantur. Quis enim neſcit, opium a populis Orientalibus in ſat magna copia ſine ulla noxa aſſumi, quod tamen aliis in alio climate in parciſſima quantitate infeſtum eſt. VOSSIVS certe *de Idololatria Lib. I. pag.* 39. dudum jam oſtendit, quod uno loco noxium ſit, id juvare alio, cicutam allegans, quae, cum in praeſentiſſimum vitae periculum alias homines conjiciat, in Liguribus Taurinis pro cibo habetur, non delicato ſolum, ſed etiam ſalubri, et inter caetera urinam ciere idoneo. Imo mala Perſica, per totam fere Aſiam perhibentur eſſe venenata, quae in Aegypto et his oris exiſtunt ſalubria. Vid. GALENVS *L. III. de Sympt. cauſ. cap.* 2 Sic ALBERTVS MAGNVS *Lib. I. de Animal. cap.* 8. ſe vidiſſe teſtatur puellam Coloniae Germaniae, quae araneis toto vitae ſuae tempore uſa eſt innoxie. Cui ſimilia exempla allegant NATHANAEL HIGHMORVS *Diſquiſit. Anatom. Lib. I. Part. II. cap.* 3. DANIEL SENNERTVS

Pract.

Pract. Lib. VI. Part. V. cap. 1. aliique, quemadmodum et Patavii adoleſcentem fatuum citra noxam ſcorpios devoraſſe atque araneas commemorat JOHANNES RHODIVS *Cent. III. Obſ.* 91. Et GODOFREDVS MOEBIVS in *Fundamentis Medicinae Phyſiologicis* plura allegat exempla eorum,, qui veneno fuerunt nutriti. Atque haec diverſitas operationum in venenis non latuit ante quinque jam ſecula PETRVM APONENSEM, qui in libro *de venenis eorumque remediis cap.* 3. rem ita explicat: *Veruntamen tanta poſſet eſſe caliditas naturalis, quae etiam venenum calidum ſuperaret et repelleret, et ipſius nocumentum prohiberet, aut mortem; et inde eſt, quod multi homines venenati uno cibo et eadem quantitate in eadem coena aliquis moritur, et aliquis evadit, el aliquis excorticatur, vel infirmatur; ſicut ego vidi, in quadam coena fuiſſe quatuor venenatos, comedentes ſingulos ferculum venenatum, quorum unus mortuus ſtatim, alius evaſit omnino, reliqui duo infirmati fuerunt ad mortem; qui vero evaſit, animoſus erat, et calidi cordis, qui vero mortuus, fuit minus calidae complexionis, qui vero infirmati fuerunt, calidioris erant naturae, quam ille, qui migravit, et minus, quam qui evaſit. Hoc autem non aliter eſſe poteſt, niſi quia calor naturalis, qui movet ad formam vitae, reſiſtit, in quantum poteſt, calori accidentali, tam febrili, quam calidi veneni, quam etiam calori aëris peſtilentialis et calori aeſtus et dierum canicularium, qui omnes calores movent ad interitionem et diſſolutionem compoſitorum.* Et certe Ophiogenes, Pſylli et Marſi, qui vulneribus venenatis exſugendis olim operam dabant, quod de illis STRABO *Lib. XIII.* et PLINIVS HIST. NAT. *Lib. VII. cap.* 2. de iſtis idem STRABO *Lib. XVII.* et PLINIVS *loc. cit.* de his vero praeter PLINIVM GALENVS *Lib. XI. de Simpl. Medicam. Facult.* teſtantur, huic muneri vacare auſi non fuiſſent, ſi venena omnibus hominibus quovis modo nocerent. Reliqua animalia quod attinet, oleum nicotianae deſtillatum ciconiis, ranis, viperis, et canibus, non vero anguillis aliisque lethale eſſe, medium granum hoſtiae illitae oleo ricini ſimiolo concitaſſe vo-

mitus,

mitus, dejectiones alvi, et hypercatharſes anxias et terribiles, ſex guttas vero ejusdem olei immiſſas gutturi galli ipſum non tantum non necaſſe, ſed nec minimum faſtidium ei aut nauſeam aut alvi dejectionem excitaſſe, teſtatur FRANCISCVS REDI *in Obſervat. de viperis.* Canes opium in quantitate magna absque ſopore ullo aut letho devorant, doſis ejus exigua felem e veſtigio perimit, Authore THOMA WILLISIO *in Pharmac. Ration. Sect. VII. P. I. cap.* 3. Et quam diverſum effectum amygdalae amarae variis animalibus datae habuerint, JOHANNES JACOBVS WEPFFERVS *in Cicut. Aquat. Hiſtor. et Noxa cap.* 19. §. 9. *in Schol.* diſerte edocet.

Sunt equidem, qui male ex his ſimilibusque colligi exiſtimant, ex univerſa natura nullum corpus afferri poſſe, quod omnibus aeque animalibus venenum ſit; exiſtimantes, a particulari ad univerſale fieri concluſionem, cum tamen ab ignorantia forſan noſtra ad rei non-exiſtentiam haud valeat argumentatio, et contrarium illud apud Indos celebratum venenum, quod Mangas bravas appellant, ſatis evincat, utpote quod adeo efficax dicitur, ut ſi quis de eo paulum comederit, illico expiret, ita quidem ut nullum hactenus inventum ſit antidotum ad illius vim compeſcendam; nec non aliud praeſentiſſimum et omnibus hominibus infenſum venenum, quod A. CADAM. ſpatio quadrantis horae occidere affirmat, item alterum illud, cujus, ſecundum J. LEONEM, granum unum inter decem homines partitum breviore adhuc temporis ſpatio omnes interimit. At enim vero vereor, ne, dum falli nos exiſtimant iſti, ipſi magis fallantur. Non enim opus eſt, peregrina et exotica allegare venena; noſtris ſiquidem in terris ſatis activa inveniuntur, quae hominem exili temporis intervallo vita privare capacia ſunt. Ex inductione autem, quam ſolertes Philoſophi fecerunt, jure ſuam formare concluſionem potuerunt ratione ſuffultam, et quoniam haud ſatis apparet, Indos e. g. ad phaenomena, quae in rerum natura contingunt, non ſatis accurate attendiſſe, nec obſervaſſe, quibus animalibus dicta venena pro-

ſint, aut minus noceant, aeque inde colligere licet, ab ignorantia antagoniſtarum ad rei non-exiſtentiam haud valere argumen-tationem.

Poſt haec ne ullum quidem datur venenum, quod ſub qua-cunque quantitate, forma, praeparatione et applicandi modo aeque noxium ſit; ſiquidem quae cruda nocent, praeparata me-dicinae loco proſunt. Sic aſarum crudum magna cum anxie-tate vomitum ciet, bullitionem vero expertum virus in egre-gium deoppilans et diureticum medicamentum mutat. Po-puli Americani radicis Yuccae ſucco tela atque ſagittas inficiunt, iisque ſumme venenata vulnera hoſtibus infligunt, ex reliqua tamen ſubſtantia ſiccata panem conficiunt, quo vitam ſuſten-tant. Spiritus ſalis ammoniaci, oleum tartari per deliquium et ſpiritus vitrioli ſine noxa degluciuntur, et ſaepe remedii loco cum optimo ſucceſſu aſſumuntur, in venam vero animalis inje-cta nociva ſunt et funeſta, nimis diluendo vel coagulando ſan-guinem. Sic dantur alia corpora, quae per ſe absque praepara-tione nihil noxae habent, ſub praeparatione tamen chymica fiunt venena, exemplo antimonii et mercurii, utriusque per ſe innoxii, e quibus tamen cum ſale, vitriolo et tartaro, aeque in-noxiis, per chymiam fiunt violentiſſima venena, vitrum puta, et flores antimonii, crocus metallorum, mercurius vitae, mer-curius ſublimatus et praecipitatus, quicquid etiam in contra-rium afferat GEORGIVS STARKEY *in Natures Explication and Helmonts vindication praefat. pag.* 95. Haec ipſa tamen venena, in parca doſi prudenter adhibita, tantum abeſt, ut ſem-per noceant, ut potius ceu generoſae medicinae graviſſimos affectus curent. Ita mercurius ſublimatus corroſivus tanquam praeſentaneum venenum ſola ſublimatione cum mercurio vivo iterata usque adeo mitigatur ac cicuratur, ut ad drachmam di-midiam ſecure propinari queat. Araneae porro cum vehiculo calido ſumptae nocent tantum, minus cum frigido, neque cum pingui et oleoſo. Et viperarum atque ſerpentum aliorumque animalium morſus non ſemper maligna ſymptomata inferunt, ſed

ſed eo ſolum tempore, quo ad iram prius vehementem concitata fuerunt, quo in ſtatu etiam hominis ipſius morſus quandoque nocivi ſunt deprehenſi. Imo GALENVS plures elephantiacos carne viperarum cocta et vino viperarum medicato reſtituit, ut fatetur ipſe *de ſubfigur. Empir. cap.* 12. Quae curandi ratio olim approbata a Graecis et Latinis ſucceſſu temporis in malignis et peſtilentialibus febribus magnopere commendata fuit a DANIELE SENNERTO *libr. IV. de febribus cap.* 5. SEVERINO *Part. ult. de Viperis*, ATHANASIO KIRCHERO *libr. III. Art. Magnet.* quapropter et ANDROMACHVS theriacae coeleſti easdem admiſcuit, et TAKENIVM decocto viperarum ſaepius profligaſſe contagia foedae luis venereae refert B. Pater meus *in Chirurg. infuſor. cap.* 3. Quid? quod in Sileſia nunc decoctum viperarum in jure gallinaceo ad hecticam curandam et impuritates ſanguinis lymphaeque corrigendas tantum non ubique inter ditiores adhiberi, dum haec ſcribo, ab amico integerrimo, Domino D. REVSNERO, Practico Jaueriano et Collega noſtro honoratiſſimo, percipio. Plura hac de re vide in *Miſcellan. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. II. obſ* 205.

Venena igitur abſolute talia non dantur, ſed ſemper relativi quid involvunt, ratione ſcilicet habita ad certam figuram, et texturam particularum, ſub qua nocent, qua mutata etiam vis illa deſtructiva perit, et ceſſat; ad animal, quod laedunt; ad doſin, ſub qua eidem adhibentur; ad modum, quo applicantur; ad locum, in quo ſuam vim deleteriam exercent, et ſic porro. Ac prout particularum, ex quibus conflantur, naturalis conſtitutio ſe habet, effectus etiam diverſus eſt, quem praeſtant. Dantur enim quaedam venena, quae corrodunt, atque acutis ſuis, pungentibus et ſcindentibus, ſalinis utplurimum, particulis fibras laedunt, diſtringunt, lacerant, alia ſanguinis miſtionem ſecundum minimas moleculas in debita et naturali proportione inter ſe nimium confundunt, et turbant, vel ſangvinem diſſolvendo, magisque juſto fluxilem reddendo, indeque ad nimiam fermentationem urgendo, vel eundem nimis

coagulando et condenſando; alia ſtupefaciunt, vel ſanguinis preſſionem ex corde verſus cerebrum nimis augent, unde pro majori minorive ſpirituum in tubulis cerebri reſiſtentia vel agitatione confuſa quandoque aut mentis alienatio et delirium, aut ſomnus profundus et lethalis ſaepe inſequitur. Animalium certe venena maxime ſale volatili peregrino fermentativo et reſolutivo ſangvinis et reliquorum humorum mixturas plane turbant, et deſtruunt, unde corruptiones, deliria, aliaque mille mala excitantur. E Mineralium familia oriunda venena potiſſimum acrimonia acida, ſive ſalſa et corroſiva nocent, qua non ſolum viſcera graviter vellicant, pungunt, ſtringunt, et erodunt, ſed menſtruum quoque ventriculi et reliquos humores eadem acrimonia inficiunt, ac corrumpunt, quaedam etiam humores vehementes fundunt et liquant. In vegetabilium regno quae obſervantur, ſale magis irritante, aut etiam ſulphureo, vaporoſo, ſylveſtri et narcotico conſtant principio, unde motum ſpirituum et humorum turbant, conſequenter deliria, convulſiones, et ſopores aliaque terribilia ſymptomata inducunt.

Miſſis autem venenis, quae ab animalibus et mineralibus petuntur, de vegetabilibus nunc ſolum quaerimus, unde vim ſuam deleteriam acquiſiverint? In varias abire ſententias Auctores circa hoc problema videmus. Ægyptii Graecique, teſte PLVTARCHO, ex eo, quod in orbe terrarum tot res generi humano noxias obſervarint, nec in animum inducere potuerint, ut crederent, Deum optimum malorum fontem eſſe, atque originem, eo fuere delapſi, ut duplex conſtituerent principium, a quorum altero acerbitates, venena et exitium, fluere praedicabant, alteri autem omnia edulia, ſalubria, et quidquid boni eſſet, adſcribebant. Sic et AVGVSTINVS *libr. I. de Geneſi contra Manichaeos cap.* 13. a Deo plantas venenatas, ſpinas, et tribulos ante lapſum fuiſſe creatos negat. Et ſine ſpinis roſam initio extitiſſe, BASILIVS *Homil.* 5. *Hexaëm.* AMBROSIVS *libr. III. Hexaëm. cap.* 11. DAMASCENVS *libr. II. de Fide cap.* 10. et BEDA *in Geneſin* ſtatuunt. Sed non opus eſt, duo fingere

gere principia, quorum alterutri malum in acceptum ſit referendum. Siquidem ſacrae ſatis nos inſtruunt literae, a Deo, tanquam uno vero principio omnia condita, et quaecunque creata ſunt, intra hexaëmeron producta, ſuoque ſeminali principio inſtructa fuiſſe, quo propagari poſſent, nec ullam ſpeciem poſt lapſum demum in conſpectum veniſſe, aut quoad partes ſuas immutatam extitiſſe; quievit enim Deus ſeptimo die. Ex quo fundamento putandum etiam eſt, roſas itidem ſpinis non caruiſſe ante lapſum. Quapropter et AVGVSTINVS *libr. III. cap.* 18. *de Geneſi* palinodiam cecinit, dicens: Primitus conditos fuiſſe tribulos et ſpinas; nec ſine cauſa additum eſſe a Deo verbum TIBI, tellus tibi feret ſpinas et tribulos, ſcilicet in poenam, cum antea in nutrimentum animalium jam dum adfuerint. Omnia bona in ſuo genere approbavit ipſe Deus, nihilque noxium tum temporis reperiebatur. *Sentio*, inquit B. LVTHERVS, *arbores omnes ab initio fuiſſe bonas et fertiles.*

Vnde autem deleterium vegetabilibus acceſſit poſt lapſum? Nullam plantis alterationem vel immutationem tum contigiſſe, probabile eſt; eodem enim modo ſuccum ſuum nutritium ex terra quovis tempore hauſerunt, accreverunt, easdemque qualitates obtinuerunt. Cauſa igitur non in plantis, ſed in homine ipſo quaerenda venit. Id quod patebit, ſi diverſum ejus, quem ante et poſt lapſum habuit, ſtatum penitius rimemur. Ante lapſum imagine Dei gaudebat homo, quae tam animam quam corpus reſpiciebat. Anima, ſi intellectum contempleris, luce ſpirituali erat illuminata, ita ut non ſolum Deum recte cognoſcere, qua ratione colendus ſit idem, perfecte praeſcribere, aut quae divinitus revelata erant, firmo aſſenſu amplecti potuerit, verum etiam rerum creatarum habuerit notitiam, earumque qualitates penitius cognoverit; ſin voluntatem reſpicias, ſanctitatem haec prae ſe ferebat, originalem, ſeu vires habebat diligendi Deum ſuper omnia, et exequendi, quae intellectus recte dictitaverat, itemque recte coërcendi appetitum. Corporis incorruptibilitas atque immortalitas in ſtatu integritatis homini

competebat, aequilibrium aderat omnium humorum, et accurata craſis ſummusque partium vigor. *Cibus aderat*, ut verbis D. AVGVSTINI *libr. XIV. de Civitate Dei cap.* 26. utar, *ne eſuriret, potus, ne ſitiret, lignum vitae, ne eum ſenecta diſſolveret, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias ullis ejus ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas.* Sed quantum mutatus ab illo poſt lapſum fuit homo? Poſt perpetratum enim peccatum privatus eſt juſtitia originali, et tota ejus natura ad prava inclinare coepit. Intellectus luce ſpirituali orbatus non ſolum, ſed et pronus factus eſt, ad temeraria et falſa de rebus ſpiritualibus ferenda judicia, imo etiam in his, quae lumini naturae ſubjacent, impotens fiebat in vita inſtituenda, et rebus cognoſcendis. Voluntas ſanctitate illa originali exuebatur, et ex adverſo ad opera peccaminoſa propendebat. Corpus temperamenti bonitate perdita morbidam qualitatem in lapſus poenam recepit, corruptioni obnoxium, ac variis injuriis rerum externarum expoſitum fuit, imo morti in victimam ceſſit. Id quod eleganter ATHANASIVS KIRCHERVS *in Mundo ſubterraneo libr. IX. ſect. I. cap.* 1. exprimit: *Homo*, dicens, *in primordiali naturae ſuae dignitate et innocentia conſtitutus, uti perpetuo beatitudinis felicitatisque bono ſine ullo malorum incurſu fruebatur, ita poſt peccati commiſſi labem, converſa felicitatis ſorte, ex ſummo felicitatis apice in imum calamitatum miſeriarumque barathrum lapſus eſt, omnibus rerum naturalium claſſibus in ejus vexationem, ultimumque exitium conſpirantibus; hinc nata diſcors elementorum antipathia, et hinc humorum, ex quibus componitur,* δυσκρασία. *Ignis ſiquidem clandeſtinis machinis armatus corporis humani oeconomiam ardentibus febrium ſpiculis aggreditur; aër, quo ad vitam trahendam nil magis neceſſarium eſt, varia corruptionis ſuae virulentia innatum nobis ſpiritum infeſtare non deſinit; Aqua, ſine qua vivere nequimus, infelicium foetuum productione ſemper nonnihil ibi exitiale apportat; Terra denique mineralium*

fumis,

fumis, vaporibusque pernicioſis et plantas et animalia et vel hominem ipſum ita infeſtat, ut, unde ex vegetativis ſive ſenſitivis terrae fructibus nutrimentum ſuae conſervationi congruum promanat, inde vel maxime ſuum ſibi ſenſim exitium paret; adeoque nihil adeo ſanum ſalubreque ſit, cui non quidpiam connexum ſit, quod vitae noſtrae ſanitatisque integritati contrarietur. Vbi mel, ibi fel, ubi uber, ibi tuber, ut ſua e ſingulis commoda, ac neceſſariae res faceſſant in hominis corpus, inque perfecti jam hominis uſus et alimentum, ita ad internecionem quoque ab ipſismet fontibus tum aperta molimina, tum occulta nos miris quandoque cuniculis adoriuntur, eademque quae vitam dederant prius, ruptis ſymmetriae legibus, orbe jam revoluto, veluti indicto bello, quod conſtruxerunt, rurſus elidunt, atque exterminant. Quae quidem diſſidiorum genera numeroſiora ſunt, qua ut recenſeri poſſint, notiora, quam ut debeant.

Habuerunt ergo plantae mox ab initio et ante lapſum hominis ſuas qualitates, qua ſalubres, qua deleterias, hiſce autem homini nocere non poterant, utpote qui intime earum naturam cognitam atque perſpectam habebat, et in quo una ſpecies ab altera differat, bene norat, adeoque cavere ſibi ab earum uſu poterat, ita ut nec petroſelini loco cicutae, loco imperatoriae napelli radices in cibum ſumſerit. Ad haec in ſtatu innocentiae corporis fibrae usque adeo erant validae, et robuſtae, ut venenorum impetum facile eluſiſſent, naturaque ita obfirmatae, ut peregrinum illud atque heterogeneum concitato humorum motu mox iterum ex corporis penetralibus eliminare et propellere potuiſſent. Et quis negaret, ejusmodi robore hominem, niſi peccaſſet, a natura praeditum fuiſſe, ut haud ſecus ac Paulus ſingulari et extraordinaria Dei gratia in inſula Maltha viperae morſum absque tumore aut ullo damno ſuſtinere, aut ac Apoſtoli divina Spiritus ſancti gratia impleti potus venenatos ſine noxa juxta divinam pollicitationem haurire potuerit. Nam *ne intelligimus quidem nunc*, ut B. LVTHERVS ediſſerit, *quantum bonum imago Dei fuerit, ſed cum de illa loquimur, loquimur de re in-*

re incognita, quam non ſolum non ſumus experti, ſed perpetuo contraria experimur, et nihil niſi nuda vocabula audimus. Et quanquam per Evangelium id agitur, ut imago illa reparetur, imago tamen iſta novae vitae incipit tantum reparari in hac vita, perficietur autem in altera. Antequam vero in nobis compleatur, non poſſumus ſatis ſcire, quid illa imago Dei per peccatum in paradiſo amiſerit. Ac profecto eo minus quis de naturali hoc in ſtatu innocentiae contra venenorum effectus infauſtos praeſidio dubitabit, qui ſecum perpendet, quod ſupra innuimus, dari etiamnum homines, quibus venena, aut certae eorundem ſpecies minus nocent. Imo etiamſi homini ante lapſum immunitas a venenorum inſidiis ex bonitate naturae non obtigerit, praeſto tamen aderat arbor vitae, cujus uſu ſe ab omni noxa praemunire et ab omni corruptionis metu ſalvum praeſtare potuerit.

Nec tamen eſt, cur Manichaei calumniandi anſam inde arripiant, Deum multa feciſſe, quae hominibus non neceſſaria, quaedam etiam, quae ſint perniciosa. *Non enim intelligunt, dum ita dicunt,* verba ſunt AVGVSTINI *libr. I. de Geneſi contra Manichaeos, cap. 10. quod omnia pulchra ſint Conditori et artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem Vniverſitatis, cui ſumma lege dominatur. Quodſi in alicujus opificis officinam imperitus intret, videt ibi multa inſtrumenta, quorum cauſas ignorat, et ſi multum eſt inſipiens, ſuperflua eſſe putat. Jam vero ſi in fornacem incautus inciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, ſe ipſum vulneravit, etiam pernicioſa et noxia exiſtimat, ibi eſſe multa, quorum tamen uſum quia novit artifex, inſipientiam ejus videt, et verba inepta non curans officinam ſuam conſtanter exercet.*

Quem igitur in uſum creatae ſunt plantae venenatae? Inutilia eas terrae pondera eſſe, nemo forſan erit, qui aſſeveraverit. Quanquam enim omnia, quae producta ſunt, in hominis eſum non cedant, in alium tamen ea uſum condita eſſe, nemo dubitabit. Multo minus PLINIO quis ſubſcripſerit, qui a tellu-

tellure venena ideo prodiiſſe ſcribit, ut nos ſponte interficiamus, dum *Lib. II. c. 63.* haec habet verba: *Quin et venena noſtri miſertam* (terram) *inſtituiſſe credi poteſt, ne in taedio vitae dirae famis mors, terrae meritis alieniſſima, lenta nos conſumeret tabe, ne lacerum corpus abrupta diſpergerent, ne laquei torqueret poena praepoſtera, incluſo ſpiritu, cui quaereretur exitus, ne in profundo quaeſita morte ſepultura pabulo fieret, ne ferri cruciatus ſcinderet corpus. Ita eſt, miſerta genuit id, cujus facillimo hauſtu, illibato corpore, et cum toto ſanguine extingueremur, nullo labore ſitientibus ſimiles: qualiter defunctos non volucris, non fera attingeret, terraeque ſervaretur, qui ſibi ipſi periiſſet.* In Coorum certe inſula ſenio confecti non expectabant mortem, ſed antequam ſenectutis laboribus et doloribus corriperentur, alii papavere, cicuta alii mortem accerſebant, ut refert HERACLIDES *in Politicis.* Quemadmodum et Anaxagoras, Demoſthenes et alii quamplures epoto veneno voluntarie perierunt. Verum cum vitam a nobismet ipſis non habeamus, nec convenit nobis Chriſtianis eadem nos privare. Dicendum igitur eſt, ob varios fines venena creata eſſe. Primum enim opus erat, ut univerſum omnibus rerum generibus eſſet integrum. Ex varietate enim rerum creatarum mundo ſingulare accedit decus et ornamentum. Deinde ex venenatarum plantarum noxa ſalutarium bonitas magis magisque eluceſcit. Bonum enim malo oppoſitum melius dignoſcitur. Ad haec homini in medicinam cedunt venena. Quanquam enim homo, ſi in ſtatu integritatis manſiſſet, nullis opus habuiſſet medicamentis, utpote nullis morbis obnoxius; praevidit tamen Deus omniſcius, illum ſanctitatem originalem non conſervaturum, ſed per transgreſſionem legis divinae corpus ſuum variis malis expoſiturum fore, adeoque per miſericordiam et bonitatem ſummam media ſimul ſuppeditavit, quibus fragilitati ſuae ſuccurrere queat. Venena autem, ſive interne aſſumantur, ſive externe applicentur, non eſſe ſemper noxia, ſed praeſtantiſſima remedia, et ultimum in morbis

deſperatis medicorum pariter ac aegrorum refugium, JOHANNES BAPTISTA, VAN HELMONT *in Diſpenſ. mod.* §. 46. clare ediſſerit, *Immenſam*, dicens, *Architecti clementiam et ſapientiam cum admiratione ſupplices poſſumus adorare. Nam venena noluit nobis eſſe venena, aut nociva; nec enim mortem fecit, nec medicamentum exterminii in terra: ſed potius ut parvo noſtro ſtudio mutarentur in grandia amoris ſui pignora, in uſuram mortalium contra futurorum morborum ſaevitiem. In illis nempe latitat ſubſidium, quod benigniora et familiariora ſimplicia recuſant alias. Ad majores et heroicos medentium uſus venena tam horrida ſervantur.* Conf. ejusdem *Demens Idea* §. *II.* Et MELCHIOR FRICCIVS, Medicus Vlmenſis, in tractatu *de virtute venenorum Medica* per ſpecies ſingulas ſatis ſuperque id ipſum demonſtravit. Vt taceam, plantas venenatas quibusdam animalibus in nutritionem cedere, aliosque praeſtare uſus in commodum hominum, quos forſan non omnes novimus. *Neque enim in hoc mundo, ſi qua nobis difficilia intellectu videntur, et incomprehenſibilia ingenio noſtro, temerario quodam debemus condemnare judicio, ut creaturam ſerpentium venenatique alicujus animantis: quippe homines, qua ratione ſingula quaeque ſint facta, intelligere et ſcire non poſſumus:* ut loquitur D. AMBROSIVS *de Paradiſo cap.* 2. Tandem commemoranda eſt hic D. JOHANNIS LVDOVICI HANNEMANNI ſententia, quam in *Miſcellaneis Naturae Curioſorum Decur. II. Ann. V. Obſerv.* 116. *pag.* 231. expoſuit. Poſtquam enim ex PETRI IOHANNIS FABRI *Hydrograph. Spagyr. cap.* 11. fontis, Son, mentionem fecerat, cujus ſcaturigo parva, napello circumdata, animalibus cunctis, quae ex eo bibunt fonte, lethalis eſt, et quidem intra parvum ac breviſſimum tempus, putat, quemadmodum bufo burſa veneni magnetica, ſcilicet terreſtris, et aranea veneni aërei eſt, ita napellum multum inde ad ſe trahere veneni, ejusque ſpirituoſitatem coagulando, et in ſui ipſius corpus figendo impedire, quo minus forte ſit ſcaturiginis venenum; tandemque concludit, ſi Deus ſolum ex terra animalia

vene-

venenata et plantas venenatas tolleret, nemo hominum vivere quidem poſſet ad momentum temporis. Cui ſententiae eo lubentius ſubſcribo, quo conſentientem magis habeo ATHANASIVM KIRCHERVM, qui *in Mundo ſubterraneo Lib. IX. ſect. I. cap. 2.* haec habet verba: *Cum universa naturae inferioris oeconomia in perpetua generationis corruptionisque viciſſitudine conſiſtat, generationem vero corruptio, corruptionem neceſſario putredo ſequatur; putredo autem calore fermentata, ne otioſa ſit, ſemper vivum aliquid producere attentet, hinc factum eſt, ut, quod putredini ineſt malignum, et venenoſa qualitate imbutum, id in ſe naturali veluti magnetiſmo quodam derivet, atque hoc pacto putredinoſum corpus, ex quo naſcitur, a ſua malignitate liberet, quod niſi fieret, univerſa telluris ſubſtantia hac veneni qualitate infecta, dum continuo propagatur, ingentia et irreparabilia damna naturae inferret; ne vero aut plantae aut animalia, venenoſa jam qualitate imbuta, halitu virulento terram denuo inficerent, ea plerumque in aliorum animalium cibum deſtinavit, unde venenoſa qualitas paulatim diſſipata conſumptaque in nutrimentum animalium quorundam innoxium vertitur.*

Sed quo abripior? In hanc de venenis materiam immerſus vix mihi evitare poſſe cenſuram illorum videor, qui a Medici munere alienum ducunt, venena tractare. Sententiam enim ſuam hi ut roborent, provocant ad *Jusjurandum Hippocratis*, in quo ſanxit: ſe neque venena propinaturum, nec conſequenter alios docturum eſſe hujusmodi miſtionem; allegant legem apud PLATONEM *de Leg. Lib. II.* juxta quam venenarii ſecundum Iureconſultos capite puniendi ſunt, praeſertim ſi Medici fuerint; ſuumque faciunt SANTIS DE ARDOYNIS *in opere de Venenis* monitum, venenoſa ſcilicet taceri debere ab omnibus intellectum habentibus. Ita quidem eſt, quod contra has leges et monita iſta quidam parum prudentiae adhibuerint, qui vel veneficia vendiderunt, talibusque nefandis artibus homines e medio

ſuſtulerunt, quam ob cauſam Medicos Roma pulſos tradit PLINIVS *Hiſt. Nat. Lib. XXIX. cap. I.* vel qui in ſcriptis, ubi venenorum mentio facienda fuerat, modum expoſuerunt, quo illa in hominis perniciem ſint paranda. Tales fuerunt ORPHEVS, Theologus cognominatus, HORVS MENDESIVS Iunior, HELIODORVS Athenienſis, ARATVS, et alii, qui ob id a GALENO *Lib. II. cap. 7. de Antidotis* merito reprehenduntur. Ad hanc claſſem etiam IOHANNES BAPTISTA PORTA, *in Magia Naturali*, HIERONYMVS CARDANVS *de Subtilitate Lib. XVIII.* nefandas intoxicandi artes docentes, THEOPHRASTVS ERESIVS, qui *Lib. IX. de Hiſtor. plantar.* modum inculcavit, quo Chii populi cicutam parabant, ut cito interimeret, et IOHANNES PONZETTVS, qui in *Lib. I. de Venenis* enchireſin tradidit, qua vinum ex vite venenoſum producatur, pertinent. Haereo, an et PLATONEM huc referam, qui in calce *Phaedonis*, dum mortem Socratis narrarat, rationem inſimul docuit, qua uſi ſunt ſatellites, ut cicuta ſuum mox adipiſceretur effectum. Cum enim haec et ſimilia in proximi commodum haud vergant, ſed occaſionem veneficii poſteris praebere queant, merito pius IOHANNIS WEICKHARDI VALVASOzelus etiam atque etiam commendandus venit, qui, poſtquam faſſus erat, ſe Anno 1669. ab erudito quodam Mahumedano, ALI HAISA, edoctum fuiſſe modum, venena praeparandi, quae tam occulta vi ac lento paſſu corpus humanum ſubruant, ut ad integrum etiam annum eorum effectus pro lubitu ſcilicet propinantis retardetur, in cujus inſuper arbitrio poſitum ſit, circa quod praeciſe tempus mors inſequi debeat, ſic ut vix tridui aut bidui ſpatio operatio fallat, haud ullo antidoto eluenda, animitus optat, ne perniciosum hoc et diabolicum artificium in humani generis perniciem unquam divulgetur. Eam etiam ob cauſam quidam, qui juxta GALENVM *in Libr. de Purg. Med.* herbam attrahentem ſanguinem repererat, oculis velatis ad ſupplicium ductus eſt, ne in itinere aliquem doceret eam, humano generi adeo nocivam. Verum genuini Medici et quibus pietas

curae cordique eſt, alio modo venena tractant, aliosque docent. *Eſt enim et harum* (deleteriarum) *ſtirpium notitia* juxta REMBERTI DODONAEI, *in Stirpium hiſtoria pemptad. III. libr. IV. praefat.* effatum *Medicis non minus neceſſaria, quam aliarum, ut videlicet ipſas, uti SCRIBONIVS LARGVS ait, devitent, et ne per ignorantiam aliquam aſſumant. Vel etiam, ſi quando neceſſitas incidat, ut iis utantur, id cum matura deliberatione, ſummo cum delectu, et adhibitis propriis fraenis efficiant.* Hinc Ethicos imitantur, qui vitia depingunt, non ut aliis eadem commendent, ſed diſſvadeant, et debita iisdem opponant remedia, fraenaque injiciant; et in venenatorum varias ſpecies earundemque indolem inquirunt, non ut veneficis arma praebeant, ſed ut omnibus et ſingulis antidotum opponant, et ſimul aliquam cavendi rationem oſtendant. Tantum igitur abeſt, ut id agentes Medici vituperio excipiantur, quod ſibi factum conqueritur AMBROSIVS PARAEVS *cap. I. de venenis*, ut omni potius modo a quovis excuſentur. Qui enim venena contemnit, loquitur CHRISTIANVS LANGIVS *Patholog. animat. p. 593. ac temere horret, is ignorat, quantus inibi theſaurus lateat ſepultus, et quam profunda ſit Dei ſapientia, rerum virtutes tam ſollicite tegens ac protegens. Sane haud fugax eſt illud poëtarum figmentum, quo amoeniſſimos Heſperidum hortos, mala aurea confertim proferentes, pervigilem cuſtodire draconem tradiderunt; hoc ipſo enim nihil aliud digito velut commonſtrare intendunt, quam quod ſub rebus et obſtaculis virulentiſſimis, vitaeque noſtrae crudeliter inſidiantibus, recondita ſint pretioſiſſima naturae dona, et maximae omnino dotes.*

Atque haec ſcripſeram, ut praefationis loco apponerentur Libro curioſiſſimo, quem ſub manibus habebat vir clariſſimus, Dominus Doctor Sigismundus Schmiederus, ſed en acerba eum et inopinata morte extinctum eſſe, mox referebatur. Cujus obitum ut deploremus, aetas ejus vegeta, eruditio haud proletaria, ingenium uber, vividum, igneum, judicium acre, profundum, penetrans, memoria tam diffuſa, animus nullis defati-

 gatio-

gationibus, nullis unquam laboribus delaſſatus aut fractus, exacta in omni doctrina ſoliditas, ſagax in obſervando ſolertia, in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, in agendo dexteritas, prudentia, integritas incredibilis, ſvadet, imo jubet. Tam triſte igitur nobis tanti collegae deſiderium cum relictum ſit, non poſſum, quin hac occaſione ad poſteritatis memoriam et praeclarae imitationis exemplum natales et vitam SCHMIEDERI noſtri recenſeam.

Natus eſt Leobaci, vulgo Löwenhayn/ pago in Miſnia ſito et ad dioeceſin Cygnenſem pertinente, MDCLXXXV. die XXIV. Novembris, honeſtiſſimis qua paternum, qua maternum genus ſtirpibus oriundus. FRIEDERICVS SCHMIEDERVS Pater fuit, Philoſophiae Magiſter, et Paſtor dicti loci, quem dein cum Langenrhensdorff, pago itidem in Miſnia ſito, commutavit, Paſtor ibidem pariter conſtitutus. Mater MARIA ELISABETHA, ut eximiae pietatis, ita omnis matronalis virtutis ſingulare exemplar praebuit, Domini HEINRICI JVNGHANSII, Paſtoris quondam Miſnenſis cujusdam pagi, Conſtappel dicti, Paſtoris filia, natu maxima. Poterat pio tali ſtemmate oriundus majorum imaginibus ad probitatem SCHMIEDERVS noſter excitari; neque etiam nos dubitare patris pariter ac matris dexteritas ſinit, quin ab ipſis pene incunabulis filio ſuo recta inſtitutione, ſaluberrimis monitis, vita ipſa ad praeclarae virtutis rectique cultum praeiverint. Prima, ut per baptismum Eccleſiae Chriſtianae insereretur, proxima, ut ſincerae pietatis et honeſtatis principia mature imbiberet, paulatimque majoribus praepararetur, illis cura fuit. Et quidem cito etiam a tenella aetate nobilioris ingenii igniculi in eo emicuerunt, ut ad ſumma aliquando eniſurum ſpem eximiam Pater conciperet. Quo majori ſollicitudine educationi ejus cum ipſe incubuit, tum idoneis praeceptoribus, et initio quidem privatim erudiendum dedit; hinc Crimmitium eum, et biennio poſt in Gymnaſium Cygnenſe miſit. Quibus in locis admirabantur omnes in adoleſcente et vim ingenii, et induſtriam incredibilem, ſtudiorum ſpecimina

multi-

multiplicia et inſignia, orationes, carmina, Latine, Graece eleganter et polite elaborata; tantumque ille igneo in ſtudia impetu et ardore profecit, ut dignus judicaretur, qui decimo octavo aetatis anno Academiam peteret; Rectori igitur, Domino M. GEORGIO ANDREAE VINHOLD valedicens literas ab eo commendatitias recepit, quae praeter alia encomia ſequentia continebant verba: "Et fuit ſaepe, cum ipſe nova ſpecimina praeter ea, quae tam publice quam privatim laudabiliter dedit, non " juſſus, non inſtructus, ſed ſua inflammatus alacritate, et quia " totus libenter in fermento eſſe conſvevit, oculis noſtris expo- " ſuit, laudisque materiam praeripuit potius, quam oblatam ar- " ripuit; id quod vel avidiſſimo Magiſtro ſatis eſſe debebat. " Tali cum tamque ignita, ut ita loquar, natura pollens SCHMIE- " DERVS, quid mirum, ſi votis noſtris exacte reſponderit? " Lipſiam itaque ſe anno MDCCIV. Menſe Majo contulit, et a Rectore, Domino CHRISTOPHORO PFAVTZIO, civium Academicorum numero ſe adſcribi curavit; hinc totum Philoſophiae ſe ſobriae atque eclecticae, imprimis autem arti Apollineae, ad quam a teneris ungviculis ſtimulum apud ſe ſenſerat, conſecravit, BOHNII, RIVINI, PAVLI, SCHACHERI, aliorumque auditor ſedulus, permultisque ſectionibus tam publicis, quam privatis in noſocomio meo ſub ductu interfuit, ipſeque manum his ſaepe admovit. Anno inſequente publicum eruditionis ſuae ſpecimen editurus prima vice ſub praeſidio Domini D. SCHACHERI diſputationem phyſiologicam de Deglutitione habuit. Anno MDCCVI. induſtriae atque virtutis praemium affectans primam in Philurea noſtra lauream conſecutus eſt, qua condecoratus diebus ejusdem anni canicularibus more recepto theſes quasdam Philoſophicas defendit, Lectionesque de Viſu ejusque requiſitis Superiorum juſſu publice praelegit. Anno vero ſequente praeſide Domino D. JONANNE CHRISTIANO LEHMANNO, Phyſices Profeſſore publico, diſſertationem de Balſamo Peruviano nigro publice defendit. Sed et ipſe ut manum admoveat, conſultum ducens, in anti-

pathiae

pathiae phaenomena inquiſivit, eaque ad ſuas cauſas vocavit; quam diſputationem hiſtorico - phyſico - philologicam anno MDCCVIII. die XIV. Januarii ſub praeſidio Domini M. FRIEDERICI MENTZ, Facultatis Philoſophicae Adſeſſoris habuit. Ad quod thema excutiendum occaſionem ei propria ſuppeditavit experientia. Adeo enim caſeum et butyrum abhorrebat, naturae juſſu, ut, ſi ad tantillum eorum deglutiendum cogebatur, ſibi in ſyncopen incidendum fuerit, cum ſanitatis diſpendio non levi. Haud multo poſt IX. ſcilicet Februarii dignitate Magiſteriali ornatus XVI. ejusdem primum in Medicina honorem, Baccalaureatus ſcilicet gradum, aſſumſit. Anno MDCCIX. diſſertationem hiſtorico - phyſico - mathematico - moralem de Aſtrologia judiciaria PhiloſophoChriſtiano indigna conſcripſit et die XVII. Aprilis praeſidendo publice defendit. Sed et Muſas Salanas ſalutare in animum induxerat SCHMIEDERVS, ad eas igitur menſe majo dicti anni properavit, Rectore Domino D. JOHANNE PHILIPPO SLEVOGTIO, quem Botanica docentem, ut et Dominum D. GEORGIVM WOLFGANGVM WEDELIVM, praxin, materiam et politiam medicam explicantem, non ſine fructu audivit, variisque ſectionibus interfuit privatis. Anno in hac Academia tranſacto Lipſiam reverſus, poſtquam Gratioſiſſimae Facultati Medicae in conſvetis examinibus ſuos profectus in arte ſalutari ſufficienter probaverat, publice lectiones pro Licentia, quas vocant, de Oculorum vitiis habuit, ſuamque inauguralem diſputationem de Superſtitioſa verborum cura Chriſtiano et dogmatico Medico indigna elaboravit, et anno MDCCX. moderante Domino D. CHRISTIANO LVDOVICO WELSCHIO, Facultatis Medicae Adſeſſore, publico examini ſubjecit. Quas binas poſteriores diſſertationes prolixius deducere, et ſub tractatuum forma luci publicae exponere conſtituerat ſecum, ſi vitam conceſſerit Altiſſimus. Summam haec SCHMIEDERI induſtriam, quamdiu ſtudiis in Academiis vacavit, licet abunde teſtentur, igneum tamen ejus ardorem plura majoraque diſcendi, atque tempori imprimis parcendi ſedulitatem

tem ex eo pariter colligere licet, quod ſive Sirius arderet, ſive Mercurius negotiaretur, atque Apollini Lipſiae inducias concederet, otioſus nunquam eſſe potuerit, ſed ut haec ſtudiorum interſtitia in ſuum converteret uſum, itinera modo per Saxoniam ſuperiorem inferioremque, modo per Thuringiam vel Miſniam, aut Variſcorum regionem inſtituerit, variaque curioſa, bibliothecas, montes, metallorum et carbonum foſſilium fodinas, plantas &c. perluſtraverit, ſibique varia annotaverit. Collegerat quinimo ſibi nonnulla curioſa, ex regno minerali, et vegetabili, quorum priora ſibi ab homine quodam levi ſubdole ablata dolebat. Annis ita Academicis abſolutis menſe Octobri anni MDCCX. Oſſitium ſe contulit Noſter, praxin exerciturus medicam, poſtquam die XXVI. Junii mater ipſius e vivis exceſſerat, quemadmodum et optimi patris jacturam, inſequentis anni die XII. Julii paſſam deplorare cogebatur. Quoniam autem docti in precio non adeo magno apud vulgus habentur, niſi Doctoris titulo ſimul ſuperbiant, ut hunc ſibi compararet, differre amplius noluit SCHMIEDERVS, quem eo promptius etiam a Gratioſiſſima Facultate Medica, quae Lipſiae floret, anno MDCCXIV. die XXIIX. Martii eſt conſecutus, quo magis huic de ejus capacitate conſtabat. Sed et vitae ſociam quaerere conſultum duxit, quam etiam invenit in Viri, et dignitate et doctrina et pietate venerabilis, Domini JOHANNIS DAVIDIS SCHWERTNERI, S. S. Theologiae Doctoris et Superintendentis Pirnenſis filia unica, et virgine lectiſſima, ingenio omnibusque virtutibus ad ſummam laudem ornatiſſima, nunc vidua, mariti funere graviſſime conſternata. Peractis igitur cum eadem die XXIX. Maji anni MDCCXIV. nuptiis Pirnam ſe contulit SCHMIEDERVS, quem tamen locum poſt beatam analyſin venerandi ſui ſoceri cum Lommatio paulo ante nativitatis Chriſti ferias anno MDCCXV. commutavit. Concordi nexu, quanquam per tempus non adeo longum, indivulſa conjuges

copula, mutua eaque conſtanti caritate conjunctos tenuit, perpetuumque marito inter labores levamen et adminiculum aſſiduum, fomentumque uxor optima, rei familiaris curatrix ſedula, virique amantiſſima praebuit. Nec minori foecunditatis laude conjugium floruiſſet, niſi Deo vinculum hoc diſſolvere placuiſſet. Progenuit tamen filium, DAVIDEM FRIDERICVM SIGISMVNDVM, et filiam DOROTHEAM FRIEDERICAM SIGISMVNDAM, utrosque tamen liberos in tenella aetate mors praematura, illum Pirnae, hanc Lommatii, abripuit.

Conſtat interim, quanta in Praxi SCHMIEDERI dexteritas, quanta in medendo felicitas fuerit, et quam late per ditiones adjacentes fama illius et celebritas penetraverit. Quando ab aegris otium ſibi conceſſum videbat, curioſa vel legebat, vel meditabatur, vel ſcribebat, vel obſervabat, vel experimenta faciebat, ita ut nullam diem ſine linea tranſire permitteret; hinc factum eſt, ut anno MDCCXIII. d. 13. Aprilis in Illuſtre Leopoldino-Carolinum Collegium fuerit adoptatus, Sabinique nomine ornatus; imo ſi divina eum clementia paucas adhuc ſeptimanas inter vivos eſſe juſſiſſet, in Regiam pariter Boruſſicam Societatem fuiſſet receptus. Cum eruditiſſimis viris perpetuum ei interceſſit literarum commercium. Loqvuntur ejus induſtriam et capacitatem tot ſcripta atque obſervationes, hinc inde typis expreſſae. De Aqva Lommacenſi tractatus diaeteticus inter Manuſcripta ejus adhuc aſſervatur, ut et ſcriptum de Appetitu agonizantium. Anno MDCCXIV. edidit Epiſtolam idiomate Germanico conſcriptam ſub titulo: SINCERI PHILALETHAE, Academiae Naturae Curioſorum Socii, unvorgreifflich Sentiment von dem elenden Zuſtande unterſchiedener Kinder und erwachſener Perſonen in Annaberg. Anno MDCCXV. Schediaſma Epiſtolicum divulgavit ſub nomine ALETHOPHILI SINCERI de ſcarabaeis criticis et hypercriticis,

ſeu

ſeu de Criticis malevolis, petulantibus atque vanis cum ſcarabaeis comparatis, ob quod a Domino Sauzet in Belgio laceſſitus, ſed a Domino CHRISTIANO ANTONIO RICHTERO, Philoſophiae et Medicinae cultore, in Epiſtola ad Amicum de cenſura Belgica maſcule defenſus eſt. Ut Imperiali Collegio Naturae Curioſorum NVNQVAM ſe OTIOSVM probaret, varias eidem transmiſit obſervationes rariores atque curioſas. Talis-modi legitur in Ephemeridum centuria III. obſ. LXXVI. de Hippocratis purgatione morali, obſ. LXXVII. de Sapientiae morbo PLINII, Hiſt. Nat. lib. VII. cap. L. obſ. LXXIIX. de dicto Hippocratis: ὁ Ιητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος; obſ. LXXIX. de ſeminis regreſſu ad maſſam ſanguineam; obſ. LXXX. de ſulphure cum pluvia aeſtivo interdum tempore decidente putatitio; obſ. LXXXI. de aphonia periodica; obſ. LXXXII. de tuſſi ex acrimonia ceruminis aurium oborta et curata; obſ. LXXXIII. de tuſſis diurnae ex teſtium tumore ſolutione; obſ. LXXXIV. de ſpaſmo inſolito frequenti, ſucceſſive in motus convulſivos et vehementes inſultus epilepticos degenerante, tandemque mortem aegrotanti adferente; in centuria IV. obſ. CLV. de pyris florentibus et roſis duplicibus, triplicibusque; obſ. CLVI. de ſtupenda et deteſtanda puellae cujusdam ſalacitate; obſ. CLVII. de filamentis meteoricis, tempore vernali et autumnali volitantibus, vulgo divae virginis, Germ. Jungfer-Garn/ Sommer; obſ. CLXI. de calculo ingenti a muliere excluſo. In Cent. VII. Obſ. VI. de Flexione atque diviſione tempeſtatum fulgurantium, vulgo von denen Wetterſcheidungen.

Quin et obſervationibus ſuis curioſis locupletavit Miſcellanea Lipſienſia ad incrementum rei litterariae edita; in quibus reperire licet obſervationem I. de herba et morbo ſolſtitiali ad PLAVTI *Pſeudol. Act. I. ſcen. I. v. 36. 37.* obſerv. XXXV. de ſcientiae herbarum antiquitate, jucunditate, praeſtantia atque utilitate; obſerv. LXXIX. de equo fictili locum HIPPOCRATIS

Lib. IV. epidem. edit. Foëſian. corruptum priſtinae lectioni reſtituentem; obſerv. LXXX, de vera herbae verbenae denominatione germanica; et obſerv. CIII. de clavis ſecalinis. Quanquam autem SCHMIEDERVS libris novis ad Acta Eruditorum, quae Lipſiae colliguntur, recenſendis manum non admoverit, volupe tamen ipſi fuit, iisdem ſubinde obſervationes ſuas communicare. Praeter eam enim, quam de ſeminis regreſſu ad maſſam ſanguineam Ephemeridibus Naturae Curioſorum inſertam diximus, et *in Actis Eruditorum ſupplement. Tom. V. ſect. IX. pag.* 408. iisdem legimus verbis, transmiſit obſervationem de nube arborea, tempeſtatis mutationem certo indicante, vid. *ſupplem. Tom. VI. pag.* 154. de duplici phaenomeno lunari die XXIV. Maji obſervato, vid. *ann. MDCCXIV. Menſe ſeptembri pag.* 427. de polypo oeſophagi vermiformi rariſſimo, a nimio pulveris ſternutatorii hiſpanici uſu excitato, *vid. ann. MDCCXV. menſe Octobri, pag.* 456. quem uberius explanatum paulo ante obitum publici juris fecit. Quid vero in eclipſi ſolis, quae anno MDCCXV. die III. Maji accidit, Pirnae obſervaverit, in iisdem *Actis anno MDCCXVI. menſe Januario pag.* 18. docetur. Sub manibus habuit SCHMIEDERVS noſter curioſiſſimum tractatum de plantis venenatis, cui ut majus accederet decus atque ornamentum, multos impendit ſumptus pro emblematibus atque plantarum iconibus delineandis. Mens quippe ipſi erat, accuratius quam hactenus factum fuit, agere 1.) de aconito, 2.) de bangue, 3.) de cicuta, 4.) de cicutaria, 5.) de colchico, 6.) de corona imperiali, 7.) de datura, 8.) de erica baccifera, 9.) de gramine Norvegico oſſifrago, 10.) de hyoſcyamo, 11.) de Kerzereh, 12.) de napello, 13.) de ranunculo, 14) de ran, 15.) de ſolano furioſo, 16.) de taxo, 17.) de tagete ſeu flore Africano, et 18.) de baccis piſcatoriis, vulgo cocculi di Levante dictis. Non autem eſt, ut modum inculcem, quo ſingulas has plantarum venenatarum ſpecies pertractare volue-

voluerit, dum ipſe in obſervatione laudata XXXV. Miſcellaneorum Lipſienſium eum abunde expoſuerit, in qua ſimul Medicos et Botanicos rogavit, ut laborem ſuum colligendo adjuvarent. Nec defuerunt, illuſtri potiſſimum Naturae Curioſorum Academiae adſcripti, qui ſuam ei operam ad elegantiſſimum hoc opus perficiendum non denegarunt, ſed hinc inde collectas obſervationes medico-botanico-chymicas prompte transmiſerunt, nec, me, quicquid exigua librorum meorum collectcanorumque ſupellex ſuppeditavit, lubentiſſime communicaſſe, diffiteor. Sed fuerunt etiam, qui, quanquam non adeo exile prudentiae pariter ac eruditionis talentum ſibi concreditum glorientur, auxiliatrices ei manus ad opus hoc abſolvendum commodare, detrectarunt, cauſam allegantes, ſe circa ea ſolum occupari malle, quae divini Numinis gloriam promovere, proximoque et imprimis aegrotis aliquod adferre commodum poſſint. Quaſi vero ejusmodi labor eundem ſibi non praefixum habeat ſcopum. Non ſine animi angore, fateor, has SCHMIEDERVS ſermones excipiebat, cui vero ſolatii loco reponebam, quae habet HIERONYMVS MERCVRIALIS, *de Morbis venenoſis et venenis Lib. I. cap. 3. De natura autem*, dicentis, *venenorum ſingulis cognita ſi Medicus tractet, minime rem aut injuſtam, aut inhoneſtam faciet, quia, cum ſint a Deo et natura creata, vires et naturas ipſorum docere, haud inconveniens eſt, eo maxime, quia ad ſalutem hominis pertinet; ut hujusmodi natura cognoſcatur, quo poſſit caveri.* Verum inter vivos tamdiu ſupereſſe noluit divinum Numen SCHMIEDERVM, donec elegans atque ſumptuoſum hoc ſcriptum ad umbilicum duxerit. Supereſt igitur, ut de beato illius exitu aliqua commemoremus. Multa enim verba facere de amore, quo erga Deum ferebatur, et de comitate et dexteritate, qua proximum ſuum nullo non tempore fuit amplexatus, nunc non attinet. Illius enim teſtes adſunt Praecones verbi divini, quibuscum de dubiis Sacrae Scripturae

locis ſermones caedere, fontes veteris et novi foederis probe intelligenti ſumma fuit voluptas. Hanc vero loquuntur, quibuscunque cum Beato SCHMIEDERO amicitiae pignus interceſſerat. Cum circa finem anni praeterlapſi MDCCXVII. iter aliquod animi gratia inſtitueret, contingebat, ut ob objectum aliquod certum, cum alias vanae ſuperſtitioni nunquam fuiſſet addictus, viresque imaginationis optime moderari noſſet, horrore graviter percuteretur, unde ab eo redux die V. Octobris vehementem per totum corpus paſſus fuerit pruritum, quem die ſequenti purpura excipiebat rubra. Quemadmodum autem nulla calamitas ſola, ita ab hoſpite ſuo, Boeotici ingenii homine ſaevis dictis protelatus aeger malignitatem ob animi affectum auctam obſervavit, ob quam propriis non amplius confiſus viribus, die VIII. Octobris Dominum D. FRANZIVM, Practicum Olſitienſem, ad ſe accerſi curavit. Quanquam vero efficaciſſima malo opponerentur praeſidia, hoc tamen docta plus valebat arte; et purpuram albam, non quidem in pectore, ſed abdomine, in conſpectum dabat cum magnis luteis veſiculis interſtinctam. Sicque placida morte inter adſtantium preces atque ſuſpiria die XV. Octobris dimidia poſt meridiem hora obdormivit, decem menſibus cum tribus ſeptimanis ultra trigeſimum primum aetatis annum transactis. Exuviis terrae matris gremio die XVII. Octobris illatis, juſta funebria die XIV. Novembris celebrata ſunt. Piis Beati Viri manibus parentaturi adſcribimus:

Eheu!

Eheu!
dum
Externorum
Venenorum naturam indagat
Solertiſſimus Medicus,
SIGISMVNDVS SCHMIEDERVS,
Internorum
Inſidias non minus metuendas
eſſe
ſuo exemplo
diſcit atque docet.
Corpus
malignis morbi ſpiculis tentatum,
Animam
contagio connato infectam
advertit.
Vtrumque venenum
aggreditur,
ſed diſpari eventu.
Venenoſis Morbonae Inſultibus
cedit,
et in victimam
concedit
Corpus alias fragile;
Non eſſe in Medico, ut ſemper relevetur aeger,
gnarus.

Pecca-

Peccati rabiem connati
Antidotis praemunitus
eludit.
Fides et Meritum
CHRISTI,
Virulenti ſerpentis Domitoris,
qui
morti venenum,
inferno peſtis,
factus,
Alexipharmaca fuere,
Quibusvis medicaminibus longe nobiliora.
His inſtructus
de peccati cruciatibus,
de mundi illecebris,
de ſatanae ſtratagematibus
triumphat
SCHMIEDERVS.

INDEX
Rerum et Obſervationum in Centuria VII. et VIII. contentarum.

A.

Abortus cum mola. 217
Abſceſſu cerebri defuncti anatome. 84
Abſceſſus lumbaris. 286
Acidularum Vberkingenſium hiſtoria. 103
Acriviola nomen, genus et ſpecies. 164. ſeq. App.
folia an Peltata. 168. App.
flore pleno. p. 175. App.
peruviana foliis quinquefidis p. 178. App.
Alcyonium Britannicum. App. 153
Alvi obſtructio gravis curata. 47
Amauroſis, glaucoma et cataracta in uno oculo obſervata. 174
Apoplectici anatome. App. 78
Aquae ſulphureae Iaurovienſes. 49
Zeiſenhuſanae uſus. 116
Araliaſtrum novum plantae genus cum ſpeciebus. p. 189 ſeq. App.
Arena conchifera Moguntina. 426
Ariſtolochiae rotundae vis arthritica. 424
Arthritis haemorrhoidalis. 100
Atreta. 89
Aurantia prægnantia. App. 93
Aurum anatinum. 330

B.

Balſamum Carpathicum. 4
Baroſcopii ſtationes ſupremae et infimae. App. 71
Bilis putrida. 281
ex *Buſone* deglutito urinae ſuppreſſio. 422

C.

Cachexia laborantis virginis anatome. 213
Calculi remedium. 40
Calculus veſicae magnus. 269
in ſue. 21
Cancer uteri externus. 371
Cancri exulcerati labii externi curatio. 361

Cancrorum lapidum collectio. 417
palingeneſia. 35
Capparum vices ſupplet acriviola. p. 184. App.
Cardialgia hirudinoſa. 59
Caries oſſis bregmatis et temporum. 284.
Caro boum lue infectorum innoxie comeſta. 264
Caſſis. 273
Catheteris inſignis uſus. 286
Ceraſi foliorum uſus. 275
Cerebri abſceſſus. App. 79
Cerebro carens foetus. 120
Citationis in vallem Ioſaphat conſideratio phyſica. 181
Citrium pomum prægnans. App. 90
Clavus a muſca meatui auditorio inhaerente. 278
Cochlearum teſtarum uſus in calculo. 80
Cochleae vivæ per alvum ejectae. 184
Coecitas ſubitanea ex uſu mercurii dulcis. 420
Colicus dolor purgatione ſanatus. 405
Contagia boum in homines tranſeuntia. 319
Contuſio verticis et thoracis graviſſima. 300
Convulſivi motus poſt puerperium. 215
Convulſivus et febrilis affectus proteiformis. 436
Conyza major flore pleno. 254
Cor duplex. 264
Cordis auriculæ dextræ dilatatio. App. 79.
Coruſcationes boreales. 153
Curationes vernales. App. 150

D.

Δασυ aſper umne an hirſutum denotet. p. 465
Deglutitio impedita ſingularis. 125
Deglutitionis impeditae cura. 410
Delirium dubium. 321
Delirium melancholicum grave. 322
Dentitionis difficilis conſectarii motus ſpaſtici. 357

E.

Ecbrasmata cutis ſanguinea. 328
Empyema per clyſterem fortem curatum. 163
ſectione curatum. 446
funeſtum. 199
Epilepſia letalis ex fiſſura oſſis frontis. 299
Epilepticae anatome. App. 23
Epulis a pilæ mollioris jactu. 220
Equi currentis impetus mirandus. 221. 222
Excreſcentia carnea inteſtina referens. 279

F.

Febris tertianae ſingularis typus. 82
308
quintana. 265
octana et ſextana.
petechialis tumore critico cervicis ſoluta. 42

Febres

Febres malignas & petechiales curandi methodus. 141
Ferri hiſtoria, et Nix. App. 25
Fila meteorica. 83
Fiſtula lachrymalis ſanata. 376
Flores proliferi. App. 87
Foecunditas nimia ſibi ipſi exitioſa, 259
Foetus ex utero ulcerato extractus. 46
octimeſtris monſtroſi anatome. 72
foramen ovale diu patulum. 129
Fractura oſſis frontis a jactu minimi ſilicis. 218
vertebræ lumbaris letalis 223
Fulgurantium tempeſtatum flexio atque diviſio. 14
Fulminis magna vis. App. 13
Fungus pedis letifer ex levi contuſione. 229

G.

Gemellorum partus. 88
Gen-Seng Canadenſis. p. 187. App.
Glandulae thyroideae etc. nova et accurata delineatio. 365
Gloſſopetrae quid ſint? 3
Grandines verminoſi. 7
Gravida nunquam menſtruata. 177
Guſtus et olfactus ſingularis laeſio. 38
Gutta ſerena ex capitis ſcabie retropulſa. 303

H.

Haemoptyſis vera abſque tuſſi. 305
diuturna ac pertinax. 323
Haemorrhagia ex ano. 178
e faucibus. 93. 178
uteri letalis puellæ ſexennis. 92
Haemorrhoides caecae. 256
in puero ſexenni. 307
Hectica a ſcirrhoſitate pylori et pancreatis. 207
Hemicrania chronica curata. 71
Hernia abſciſſa omenti particula curata. 172
monſtroſae magnitudinis. 307
ſingularis in femore. App. 14
Herniae carnoſae imprudens ſectio in ſene. 48
umbilicalis cura ſympathetica. 94
Hirudinum hiſtoria. 338
deglutitorum cura. 60
Humorum in tumoribus anadrome. 314
Hydrargyri in aqua coctio etc. 30
Hydrophobici pueri caſus. 101
Hydrophobia contagioſa. App. 5
Hydrops ovarii. 167
pulmonum cognitu difficilis. 405
Hydrope ſaccato defunctae anatome. 44
Hydropicorum anatome. 86. 231
Hymenis deſcriptio. 379

Hypercatharſis periculoſa. 216, 306

I.

Jalapae magna doſis puerperae exhibita. 22
Idioſyncraſia mira. 83
Ileum diſciſſum et extra abdomen dependens. 42
Ilei a vermibus perforati cura. 263
ſacculi. 331
Inedia notabilis. 81
Inteſtini recti excreſcentia magna ablata. 373

L.

Labiorum cruſtae periodicae curatae 411
Lachrymae ſanguineae. 266
Lapathum orientale. 10
Lapidum cancrorum collectionis Hiſtoria. 417
Lapis quadra Sinenſis. 385
Lari cinerei majoris anatome. 334
Lien permagnus. 24. 215
in ventriculo deliteſcens. App. 120
Lienes duo. 80
Linum catharticum. 336
Liquitaja Braſiliana. 149
Lithontripticum cingulum. 348
Lotii Muſca. 474

M.

Marchetti Alex. anatome. App. 76
Martis uſus in ictero. 292
Maslach Turcarum. 135
Maxillae fractura. 12
Melancholica veneficam ſe imaginans. 184
Melancholiae uterinae cauſa feralis. 255
Menſes octogenariae. 93
ex dorſo fluentes. 206
poſt duas ſeptimanas ordinarie revertentes. 311
Mictio purulenta largiſſima curata. 326
Mineralium medicamentorum operatio per irradiationem. 28
Millepedibus ſimiles urinae vermes. p. 472
in *Morbillis* V. S. utiliter celebrata. 430
Morbus incongruus. 82

N.

Nephritis curata. 95
Ninzin Canadenſis. 187. App.
Nix rubra. App. 6

O.

Oculi humoris aquei ſitus. 381
Onagrae radix. 275
Orobanche hypopytis flore puniceo. 255
Orthopnoeae curatio ſingularis. 310
Oſſium crepitatio in gravida. 421
Oſſa ſeſamoidea. 49
Oſſium pubis articulatio mollis et laxa. 91
Oſſiculum diu in gula detentum. 17
Oſtreae viridiuſculae Anglicae. 450
Oſtrearum notabilia. 451
Ovarii ſteatoma botryoides. 141
Ovulum in tuba Fallopiana humana inventum. 25

P.

Palingeneſia herbarum etc. 31
Papiliones ſingulares. 347
Paracenteſis abdominis fruſtra inſtituta. 113

Parotidis tumor oedematoſo - ſcirrhoſus. 302
Perinaei ruptura curata. 90
Pernionum cura. 195
Pes ſponte deciduus. 226
Peſtis origo ex Maslach frequenter comeſto. 131
cura. 138
per inciſionem bubonum ante eorum intumeſcentiam curanda. 170
Viennenſis etc. App. 12
bovina. App. 5.
Philones Medici quot. 203. ſeqq. App.
Phrenitis ab utero. 23
Phthiriaſis cordis Plinii Valeriani, 233. ſeqq.
Phthiſis ſucco Plantaginis etc. curata. 25
Phthiſicorum anatome. 201. 431
Plantae venenatae ante lapſum an extiterint. p. 211. App.
Pici majoris nigri anatome. 535
Pinus Carpathica etc. 7
Pis - Vliege vid. Lotii muſca.
Pleuropneumonia per diarrhaeam ſoluta. 337.
Plutarchi θηρίδιον δακῶ. p. 465
Podagra non podagra. 261
Pollicis duplicis in manu cura. 77
Potatores inſignes ſibimet Medici. 202

R.

Raygerianum elogium. App. 191
Renis ulcere affecti anatome. 285
Ribes Arabum. 8
nigrum. 274
Roſa prolifera. App. 83

S.

Salivatio mira. 315
Sanguis ex poris cutis exſudans. 419 et App. 7.
Scabies humida vermicularis. 49
Scarabaeus farinaceus. 468
Schmiederianum Elogium. p. 229. App.
Scirrhoſus pylorus etc. 281
Scrophulariae aquaticae virtus traumatica. 145
Braſiliana. 149
Malabarica, etc. 150
Serpentum coronae. 1.
oculi. 3.
antrum Romanum. App. 129
Serpentes petrefacti. 2
Sirenes munus et coſtae. 412
Spasmodicus ſingularis morbus. 37
Spasmus periodicus muſculorum cervicis. 67
prænuncius arthritidis. 297
venaeſectione curatus. 94
Steatoma in cavitate pectoris. 85
Stellae marinae petrefactae. 334
Stomachi percuſſio letalis. 266
Stranguria et inflammatio ſphincteris veſicæ ex haemorrhoidibus coecis. 161
Syringae coeruleae ligni analyſis chimica. 211

T.

Taeniae polypoſae loco vermium per urinam excretae. p. 468
Terroris noxa in cura ſalivatoria. 95
Tetragonolobi ſiliquae. 276
Thee Romanum. 39
Roſeum. 424

Θηρίδιον δασὺ Plutarchi. p. 465
Thermoſcopium vegetabile. 423
Tumor hepatis cyſtico-ichoroſus etc. 433
inſtar epulidis curatus. 446
Tumoris oſſium cura. 350
Tympanites uterina in gravida letalis. 47

V.

Variolarum curatio. 430
Variolae cum petechiis et diarrhoea. 336
cum puſtulis miliariis. 311
Variolas confluentes excipientis febris curatio. 353
Vegetabilia prolifera. App. 83
Venae azygos ſingularis diſtributio. 369
Venenorum examen. 212. ſeqq. App.
Venenatae plantae an ante lapſum extiterint. p. 211. ſeq. App.
Ventriculus enormis magnitudinis. 384
Vermium mira foecunditas. 317
Vrinae hiſtoria et metamorphoſis 467. ſeqq.
Vertebrarum dorſi dislocatio letalis. 196
Veſicae ruptura letalis. 79
excreſcentia. 309
Veſicatoriorum uſus in variolis. 429
Viſcera extra abdomen pendula. App. 117
Viti inſecta infeſta. App. 8
Vitri fruſtum diu inter oſſa metacarpi deliteſcens. 204
Vitrioli ſpiritus antepileptici praeparatio. 186
vis ſalivatoria. 424
Vitrorum planorum uſus Aſtronomicus. 457
Vomitus variorum inſectorum a faſcino. 64
Vomitu rejecta. 290
Vomitoriorum uſus in peſte. 139
Vrinae vermium hiſtoria et examen. p. 467. ſeqq.
Vrina per umbilici funiculum ſtillans. 307
Vteri verus prolapſus an detur. 459
Vteri vaginae prolapſus. 372
rugoſæ prolapſus uteri prolapſum mentiens. 450
Vulnus naſi profundum ſanatum. 448
Vulnus ſubito letale. 119